BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLII
C
41
NAPOLI

Digitized by Google

X411
C
41

Digitized by Google

Digitized by Google

JOANNIS CLERICI

ARS CRITICA,

IN QUA AD STUDIA

Linguarum

LATINÆ, GRÆCÆ, ET HEBRAICÆ,

Via munitur; Veterúmque emendandorum, Spuriorum

SCRIPTORUM

A Genuinis dignoſcendorum, & judicandi de eorum

LIBRIS

Ratio traditur.

Editio Quinta auctior & emendatior.

VOLUMEN SECUNDUM.

AMSTELÆDAMI,

Apud JANSSONIO-WAESBERGIOS.

M. DCC. XXX.

BIBLIOTECA NAZIONALE NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

LECTORI

S. P. D.

JOANNES CLERICUS.

MOnitus à Typographo aliquot hîc ſupereſſe paginas vacuas, occaſionem adripui, LECTOR, iterum te adloquendi, hujuſce alterius Voluminis initio; & quidem de ratione ſcribendi nonnullorum, qui Opuſcula noſtra, & præſertim hancce Artem Criticam, admordere conati ſunt.

Socrates apud *Platonem*, in Gorgia, oſtendit duas eſſe perſuadendi vias, unam διδασκαλικὴν, quæ adcuratam cognitionem ejus, quod perſuadetur, animis audientium inſerit; alteram πιστευτικὴν; quæ fidem tantùm & opinionem parit, quamvis res ipſa etiamnum ſit ignota. Prior

Digitized by Google

quidem perſuadendi ratio id ſolùm inquirit quod eſt in re aut exploratum, aut certè maximè probabile; poſterior verò non quid ſit certum, aut veriſimile, petitúmque ex re ipſa ſpectat; ſed quid ſit idoneum ad perſuadendum quod libet iis, qui verba potiùs adtendunt, quàm res, & de earum Veritate, non adcurato examine inſtituto, ſed ex alienis quibuſdam circumſtantiis judicant. Homines nonnulli planè imperiti Artis, quam hîc tradidi, ſed non inepti ad commovendum imperitum vulgus, cùm priore viâ nihil proficere ſe poſſe ſentirent, poſteriore me adgreſſi ſunt. Quem grammaticis aut criticis rationibus oppugnare debebant, ſed non poterant, eum *argumentis Theologicis ab Invidia ductis*, de quibus Diatriben edidi, ad calcem Logicæ, impetiverunt, rémque conficere ſe poſſe putarunt.

Ego quidem eodem armorum ge-

Digitized by Google

genere, quod viro probo indignum puto, cum iis non certabo; quamvis nihil eſſet cur quererentur, ſi iiſdem armis, quibus contra me priores uſi ſunt, contra eos pugnarem; ſed monebo homines ut de rebus criticis, interpretationibúſque, quæ ex Linguarum cognitione pendent, poſſint rectè judicare, duo eſſe planè neceſſaria. Unum eſt ut Artem ipſam, ad cujus normam talia exigenda ſunt, pernoſcant, omnéſque ejus partes adtentè animo verſent. Alterum ut Linguam, qua uſi ſunt Scriptores, de quorum interpretationibus judicare adgrediuntur, probè intelligant; quod non potuerunt adſequi puerilibus illis ſtudiis Scholarum, aut tumultuariâ lectione pauculorum Recentiorum, adhibito ſubinde, prout ſubitus uſus poſtulabat, Lexico; ſed longâ atque adtentâ lectione Scriptorum Veterum, de quorum ſententia

Digitized by Google

judicare volunt. Tum demum idonei judices interpretationum grammaticarum poterunt eſſe, ipsíque etiam aliquid in eo rerum genere, ſi ita ferat animus, moliri. At abſurdum eſt & dignum ludibrio, velle, poſt lectos aliquot libellos recentiores, & quidem maxima ex parte hominum imperitorum harum rerum, aut etiam vernaculâ Linguâ ſcriptos, judicem agere omnium quæ prodeunt, & adgredi etiam confutare quæ non intelligas. At peritiæ loco eſt id quod ſolent nonnulli, veriùs quam putant, *zelum* vocare; hoc eſt, vehemens adfectus, quo alienis laudibus invidentes, cupientéſque famam conſequi ex aliorum probro, cœlum terræ miſcent, ut bonos viros & Litterarum ſtudioſos infament.

Quando non inveniunt in ipſa re quod carpant, ad ſophiſticas artes converſi fingunt quod nuſquam eſt, ut

Digitized by Google

ut hominibus invidiam creent. Eſt nonnemo, apud vicinam gentem, qui ab aliquot annis artem conviciandi optimis quibúſque profitetur. Is, ut in aliquot populares ſuos doctiſſimos viros, ita & in me acerbiſſimè invectus eſt larvâ tectus, atque hoc meum Opus ſuſpectum imperitis, iis artibus quas dixi, reddere conatus eſt. Primùm mihi tribuit opiniones, quas novit non tantùm me pro meis non agnoſcere, ſed etiam confutaſſe; quaſi noſſet animum meum, quod eſt hominis ferreæ frontis. Deinde vult meam Criticam eò ſpectare ut opiniones illas, quas mihi pro arbitrio tribuit, confirmem.

Atqui Deum teſtem vocare poſſum, cujus ſolius judicio nobis omnibus ſtandum eſt, aut cadendum, in hoc Opuſculo me præ oculis hunc unum habuiſſe finem, ut Artem, quam explicare conatus ſum, illuſtrarem, exemplis ex graviori-

bus rebus, quoad ejus fieri poſſet, deſumtis; ne Critica haberetur Ars nihili, & intra fines anguſtiores multò, quàm par eſt, coërcenda. Ideò ſæpe hîc occurrunt, quæ à pleriſque Criticis adtingi non ſolebant, qui intra profanos Scriptores ſe continebant. At ea non faciunt ad perſuadendum quod quiſpiam *Picrocholus* vulgo perſuaſum vellet, ut ipſe magni fieret, & optimi quique ac eruditiſſimi ſpernerentur. Non diffiteor; nec quiſquam, niſi inſanus, mihi exprobrarit, me operam non dediſſe ut, conculcatâ rectâ Ratione, regulísque omnibus criticis perfractis, pro oraculis haberentur quæ placerent Cenſori, qui vix ipſe novit quid velit, quæ verò exiſtimarem ipſe eſſe vera ea falſa haberentur. Quis bonus aliter ſua ſtudia comparat, niſi ut Verum ante omnia cognoſcat; deinde ut cognitum confirmet, atque aliis etiam perſuadeat?

Cùm

AD LECTOREM.

Cùm autem multa ſint vera, eſt una primaria Veritas, ad quam confirmandam atque illuſtrandam omnes ingenii nervi ſunt contendendi. Ea eſt Veritas Religionis Chriſtianæ, quam non ſophiſticis ratiunculis, & ab invidia ductis, diſſimulationibúsque quæ ſunt illâ indignæ; ſed argumentis petitis ex adcuratis rectæ Rationis atque Criticæ Artis Canonibus ubique probare, atque illuſtrare conatus ſum, & porrò conabor. Nec vera tantùm Religio habenda, ſed illi ſoli parendum, ſi beatitudinem conſequi velimus. Præcepta ejus amanda, extollenda, ſibi & aliis inculcanda ſunt, & præſertim quidem quæ ad amorem proximi pertinent. Hæc eſt ſententia cui omnia mea ſtudia ſerviunt, & poſthac, Deo juvante, ſervient. Scio quidem Religionem Chriſtianam non eodem modo ab omnibus intelligi, quia Novo Teſtamento

multi hominum decreta adſuunt. At ego Chriſtianam Religionem voco, quæ habetur in ſacris illis libris, & ab iis ne latum quidem unguem diſcedit. Non probari mihi multa *Unitariorum* interpretamenta ſatis oſtendi, cùm hîc, tum alibi; ſed fraudibus & malis artibus eos oppugnare judico eſſe eorum quibus Religio Chriſtiana ſit ignota, aut qui ei nequaquàm credant, ſed faveant potentioribus, ut gratiam ſibi apud eos, muneráque & honores comparent; ſimilia facturi, *Unitariorum* cauſâ, ſicubi rerum potirentur. Quales non puto paucos eſſe, inter Zelotas; certè tám malis ſubinde argumentis utuntur, ut, niſi ea iracundiſſimè proponerent, omnes crediturí eſſent ab iis partes prodi, quas propugnandas ſuſceperunt. Non magis probo eorum ſententiam, qui Scholaſticas voces Apoſtolis ignotas nobis imponunt, quaſi ne-

neceſſarias; ſéque, dum volunt explicare quod revelatum non eſt, in mæandros inexplicabiles repugnantiarum conjiciunt. Mihi media via videtur tenenda inter duo illa extrema, & dum meritò contendimus loca eſſe inſignia, de Divinitate Chriſti déque ejus Sacerdotio, quæ à *F. Socino* ejúſque ſequacibus torquentur; fatendum etiam rationem, quâ ſe *Scholaſtici* expedire conantur, multò plura complecti, quàm quæ ſunt revelata, nóſque pro expeditis impeditiores quàm antea reddere. Quid ergo nobis faciendum erit? Adquieſcemus, ſi ſapimus, in loquutionibus Apoſtolorum, quas non ſine ſumma ratione ab iis adhibitas eſſe credemus; quamvis eas omnes adcuratiſſimè interpretari non poſſimus. Quod ſi fecerimus, nec *Scholaſtici*, nec *Sociniani* erimus, ſed Apoſtolorum diſcipuli, qualem me adhuc profeſſus

AD LECTOREM.

feſſus ſum & ſemper profitebor. Quem in ſenſum, nonnulla jam dixi hujus Artis Criticæ P. II. S. 2. C. VIII, 10. & ſeqq. Vale.

Nonis Decembribus anni MDCXCIX.

IN-

INDEX CAPITUM

TOMI SECUNDI.

PARS III.

De emendandi ratione, Libris suppositis, & Scriptorum stylo.

SECTIO I.

De Emendatione.

CAPUT. I. *DE origine mendorum.* 1
CAP. II. *De antiquitate mendorum.* 12
CAP. III. *De mendis ex imperitia Dictantis ortis, 1: quòd litterarum ductus non adsequeretur.* 28
CAP. IV. 2. *Quòd adfines figurâ litteras, ductúsque similes miscuerit.* 40
CAP. V. 3. *Quòd omiserit quæ erant inter eamdem vocem repetitam, aut in alio verborum situ.* 48
CAP. VI. 4. *Quòd malè pronunciaret.* 56

CAP.

INDEX

CAP. VII. 5. *Quòd Gloſſemata in margine ſcripta contextui intulerit.* 79
CAP. VIII. *De mendis à negligentia Scribentis ortis,* 1. *quòd quæ cogitaret, non quæ audiret, ſcriberet;* 2. *quòd perperam audiret.* 87
CAP. IX. 3. *quòd non adſequeretur orthographiam, aut antiquiores litteras.* 104
CAP. X. *Diſtinctionum omiſſionem multa menda peperiſſe.* 123
CAP. XI. *De ſignis Parentheſeos, &c.* 145
CAP. XII. *Ex compendiaria ſcriptura multa eſſe nata menda.* 165
CAP. XIII. *De mendis ex incuria Librariorum natis.* 179
CAP. XIV. *De mendis ex Criticorum temeritate, aut imperitia ortis.* 193
CAP. XV. *De mendis, quæ impoſtoribus tribuendæ.* 212
CAP. XVI. *De mendis à Vetuſtate ortis.* 244
CAP. XVII. *Leges emendandi.* 256

SECTIO II.

De locis & ſcriptis ſpuriis à genuinis ſecernendis.

CAPUT. I. *VEterum teſtimonia, de fraudibus quibus inſerta ve-*

CAPITUM.

veteribus Scriptoribus loca, ſuppoſititque iis integri libri. 302

CAP. II. *De indiciis, ex quibus colligere licet librum eſſe ſuppoſititium, aut interpolatum. I. & II. indicium.* 324

CAP. III. *Indicia III. & IV.* 336

CAP. IV. *Indicia V. & VI.* 346

CAP. V. *Indicia VII. & VIII.* 358

CAP. VI. *Indicia IX. & X.* 372

SECTIO III.

De judicio de ſtylo & charactere Scriptoris ferendo.

CAPUT. I. *DE iis quæ ſunt in quovis Scriptore animadvertenda, ut de eo rectè judicare poſſimus, déque forma ſcribendi Q. Curtii.* 395

CAP. II. *Q. Curtium fuiſſe Aſtronomiæ & Geographiæ planè imperitum.* 402

CAP. III. *Malè elegiſſe quæ ſequeretur & fabulas ſubinde deſcribere.* 421

CAP. IV. *Nonnulla malè deſcripſiſſe, & repugnantia prodidiſſe.* 430

CAP. V. *Inutilia narrare, neceſſaria omittere.* 436

CAP. VI. *Fabularum Græcarum documenta apud Indos quærere, Aſiæque remotiſſimis*

mis amnibus nomina Græca imponere. 448
CAP. VII. *Perperam omittere annos & tempeſtates, quibus ſingula geſta ſunt.* 457
CAP. VIII. *Perpetuò propemodum Declamatoris ſtylo uti.* 475
CAP. IX. *Q. Curtium laudatorem potiùs eſſe ambitionis nimiæ Alexandri, quàm vituperatorem. Egregia de illa Senecae & Lucani loca.* 494
CAP. X. *Aliquot loca Curtii tentata aut emendata.* 506

Addenda P. 3. *S. I. C. IX*, 7. Poſtea deprehendi eamdem loquutionem apud *Tacitum* Annal. III, 12. ubi de cadavere Germanici oculis plebis expoſito: *Quò pertinuit nudare corpus*, & contrectandum *vulgi oculis permittere.* Sed & illic quoque *conluſtrandum* legi oportere cenſuerim, quamvis durioribus metaphoris gaudeat *Tacitus*; nam ne manibus quidem *contrectantur* cadavera à vulgo, nedum ut oculis *contrectari* dici poſſent. Scio *Ovidium* de Tereo, Philomelæ amore flagrante, dixiſſe:

Spectat eam Tereus præcontrectátique videndo.

Sed mollior hîc multò eſt metaphora, quia Tereus Philomelam contrectare cupiebat.

FINIS.

A R-

ARTIS CRITICÆ

PARS III.

De Emendatione locorum corruptorum, de Libris ſuppoſititiis à veris dignoſcendis, ac Judicio de ſtylo & charactere Scriptorum ferendo.

SECTIO I.

De Emendatione locorum corruptorum.

CAPUT I.

De Origine Mendorum.

1. SI Deo Optimo, Maximo viſum fuiſſet antiquiſſimorum mortalium ita adflare animos, ut inter ea quæ invenerunt vitæ utilia ac neceſſaria, fuiſſet pulcherrima artium mechanicarum Typographia; non modò innumera Veterum monumenta, quæ ob paucitatem exemplarium interciderunt, mani-

bus noſtris nunc tererentur ; ſed illa etiam, quæ vim vetuſtatis omnia perdentis effugerunt, ad nos multò emendatiora perveniſſent. Cùm enim olim, dum libri manu deſcriberentur, ſingula exemplaria non aliter poſſent emendari, quàm ſi à viro docto & diligente adcuratè legerentur, quod longum erat, & difficile ; nunc unus atque alter, iteratâ unius exemplaris lectione, millena aliquot exemplaria emendare facilè poſſunt. Sed quoniam, ut ille ait, * *nullum habemus in præterita jus, præterquàm oblivionis* ; iis miſſis, quibus remedium nullum adferre poſſumus, videndum nobis ſupereſt, an ſit Ars aliqua, quâ poſſimus loca Veterum in mendo cubantia dignoſcere, ab iis quæ ſana ſunt, & veram in ea lectionem revocare. Hoc certè profitentur CRITICI à ſe fieri poſſe, atque hac in re potiſſimùm Artem ſuam ſitam eſſe dicunt ; nec dubium eſt, quin ſæpiſſimè id præſtiterint quod polliciti erant, & ſanitatem innumeris locis ægris reſtituerint.

2. Quod illi factitarunt id, in hac Criticæ noſtræ Parte, ad certas Regulas revocare, & in Artis, quatenus licebit, formam redigere, conſilium nobis eſt. Ut autem tutiorem ac breviorem viam ineamus, quâ poſſimus pervenire ad cognitionem veræ lectionis locorum corruptorum; quærendum, ante omnia, quibus potiſſimùm modis corrumpi potuerint. Cognitâ enim morborum cauſâ & origine, faciliùs & certiùs curari poterunt.

3. Menda ergo quatuor cauſis originem ſuam debent, LIBRARIIS, CRITICIS

* *Plinius Lib. II, c. 7.*

CIS, IMPOSTORIBUS & VETUSTATI, quæ omnia paullatim adterit.

I. LIBRARIORUM *incuriâ*, aut *imperitiâ*, pleraque ſine dubio menda irrepſerunt, quæ nos nunc exercitos habent; cùm enim pleroſque libros deſcriberent, ab iis longè maximam mendorum ſegetem provenire neceſſe fuit. *Incuriæ* peccata tot & tanta ſunt, ut difficillimum ſit ſibi ab ea cavere. Novit enim quiſque, ſi quid exſcribat parum adtentus, non modò ſe adfinia vocabula, dum animus peregrinatur, miſcere; ſed diverſa planè ſcribere, detrahere, addere, & neſcio quot peccata admittere, quorum rationem ipſe poſtea reddere non poſſet, nedum ut alii eam deprehendere queant. *Imperitia* quoque in deſcribendo, ſi magna ſit, ut ſine dubio magna ſæpiſſimè fuit in Librariis, monſtra etiam mendorum peperit; cujus exemplorum ingentem copiam omnes MSS. Codices, omnes Criticorum libri ſuppeditant.

4. Sed variis modis imperiti, aut indiligentes Librarii in errorem delabi potuerunt; quos indicaſſe, quoad licebit, inutile non erit. Cùm alii dictarent, alii ſcriberent, ab utrisque varia provenire potuerunt menda. Ut à *dictante* incipiam, ille, licèt ſtatuamus emendato Codice eſſe uſum, ſi non fuit ſatis peritus, ſæpiſſimè decipi potuit, dum non bene legit, quæ bene ſcripta erant. Cùm enim manu exararentur omnia, multíque ſine dubio non pulcrè pingerent litteras, ut hodie fit, loca fuere, in quibus legendis homines rei aut Linguæ non ſatis periti ceſpitare po-

tuerunt. Voces adfines, aut ſimiles litteras facilè miſcebant. Si vox quæpiam bis repeteretur, & fortè ad eam uſque vocem, ubi primùm occurrebat, dictaſſent; ſæpe fiebat ut, omiſſis interjectis, ea quæ vocem ſecundò repetitam ſequebantur priori proximè ſubjicerent; aut etiam integros verſus, aliud agentes, omitterent. Præterea dictantis, & feſtinantis, lucri cauſâ, vox non ſemper fuit ſatis clara, aut pronunciatio ſatis diſtincta; ita ut ſcribentes, licèt adtenti, quid dixiſſet, non ſatis intelligentes ſcriberent quod ſibi audiviſſe videbantur, adfinéſque ſono litteras, ſyllabas, voces confunderent. Vocabula varia, apud Græcos præſertim, aut eodem, aut pænè eodem modo pronunciabantur, quamvis diverſiſſima, ut poſtea oſtendemus; eáque à ſcribentibus, aut imperitis, aut parum adtentis, facilè poterant miſceri; cùm præſertim celeriter ſcribentibus, & ſequentia adtendentibus, non ſatis eſſet temporis ad videndum, utrum vox, quam ſcripſerant, loco conveniret, aut ad interrogandum dictantem.

5. Præterea cùm *dictans* videret ſæpe, in margine exemplaris, quo utebatur, quiddam ſcriptum; poterat ſuſpicari, verba eſſe à Librario feſtinante omiſſa, quæ Criticus ad oram poſtea ſcripſiſſet; præſertim ſi commodè poſſent inſeri, ita ut orationis ſeries iis nequaquam turbaretur. Attamen ejuſmodi verba ſæpe interpretationes ſunt Grammaticorum, aut eorum qui Codicibus illis uſi erant; quo factum, ut tam ſæpe Critici in con-

tex-

textum orationis admiſſa *gloſſemata*, quærantur.

6. Dubium non eſt quin Librarii, qui vitam tolerabant quæſtu, quem in deſcribendis libris faciebant, pluribus ſimul dictarent, ut unâ operâ plura haberent ejuſdem operis exemplaria; ſed fuerunt etiam ſine dubio pauperiores, qui vendebant ea quæ ipſi ex libris, nemine dictante, *deſcripſerant*; qua in re, eadem ferè irrepere potuerunt menda, quæ vitio *dictantis* debentur, exceptis iis quæ ex mala pronunciatione oriebantur. Præterea dum integra commata, aut etiam integras periodos legunt ac poſtea ſcribunt, feſtinandi cauſâ; quid mirum, ſi quidpiam omittunt, aut ſynonymas voces pro aliis ſcribunt? quod in omnibus antiquis Scriptoribus animadvertent, quicumque varias lectiones, è veteribus MSS. Codicibus collectas, paullò adtentiùs expendent. Innumera ſunt ejuſmodi, in variis lectionibus Veteris Teſtamenti, ex Verſione LXX. Intt. & Novi, ut omnibus liquebit, ex inſpectis collectionibus dudum & non ita pridem editis. Poſtremis præſertim ſæculis, quicumque imperiti veteris orthographiæ, ex antiquis Codicibus quidpiam tranſcribebant facilè falli poterant, dum alias eſſe voces putarent, quàm reipſâ erant.

7. Hanc in rem obſervandum non ſemper, apud omnes Gentes, eamdem fuiſſe rationem pingendorum characterum, aut accentuum adſcribendorum. Apud Latinos antiquiſſimis temporibus, character erat quadratus & majuſculus, qualis in veteribus Inſcriptionibus

& MSS. etiamnum cernitur ; nisi quòd figuræ litterarum calamo tam eleganter pingi non solerent, ac scalpro. Deinde invaluit scriptura, quæ *Langobardica* dicitur, rotundior & similior huic nostræ, quâ hodie utimur. Hac exarati sunt plerique omnes MSS. Codices, qui nunc exstant in Bibliothecis, perpauci vetustiore illo Romano. Creditur ita dici ea Scriptura, quòd MSS. plerique ejus ævi, quo *Langobardi* Italia potiebantur, eo characterum genere sint conscripti. Sunt & qui *Saxonicam* scripturam aliásque huic addant ; sed non tantum est earum à priore discrimen, ut seorsim expendi debeant. Vide, hac de re, *Joannis Mabillonii* Lib. V. de re Diplomatica, ubi omnium earum scripturarum specimina profert.

8. Sunt in Veteribus, seu majusculis litteris, aliquot sat similes, præsertim si parum eleganter pingantur ; quæ non difficulter à Librariis rerum ipsarum imperitis, nec vocum significationem tenentibus, misceri potuerunt. Cujus rei ratio, in emendationibus, maxima habenda est. Similia animadvertenda, de litteris Langobardicis. Sæpe factum ut menda irreperent in Codices Romano vetere characterе scriptos, quæ in Langobardicos transfusa sunt ; deinde & nata nova eorum progenies, ex Langobardica scriptura ; quibus mendis plurima nunc loca usque adeò depravata sunt, ut in integrum restitui nullâ ingenii ope possint.

9. Græcorum etiam characterum aliqua videtur esse facta mutatio, nam cùm antiquissi-

mi

mi quadrati eſſent, quales in Inſcriptionibus viſuntur, poſtea inter ſcribendum videntur rotundiores eſſe facti. Qua de re conſulenda *Palæographia Græca* doctiſſimi Monachi Benedictini *Bernardi de Montfaucon*, Lutetiæ nuper edita. Sed præterea accentus, & ſpiritus, qui in antiquiſſimis Codicibus nulli erant, in recentioribus ſunt additi; unde nata etiam nova menda, dum hæc perperam adpinguntur. Vide, apud eumdem, veterum Exemplarium MSS. ſpecimina.

10. Apud Hebræos, ante tempora captivitatis Babylonicæ, in uſu erat id litterarum genus, quod à Phœnicibus acceperant, & quod vulgò *Samariticum* vocatur, eò quòd id ſervarint Samaritæ. Deinde is character in Aſſyriacum mutatus eſt; in Captivitate, ut demonſtrarunt viri doctiſſimi, & potiſſimùm *Lud. Cappellus*, in Diſſ. de Litteris Hebræorum. Sed & nos quædam diximus, in Diſſertatione de Nummis characteribus Punicis ſignatis, XI. *Bibliothecæ Selectæ* Tomo. Cùm Hebræorum Librarii, aut *Scribæ*, homines eſſent, quemadmodum Græcorum & Latinorum, menda ſimilia admittebant, ut poſtea liquidò oſtendemus.

11. Verùm aliud animadvertere licet, in Codicibus antiquiſſimis, cùm Græcis, tum Latinis, quod & in Hebraïcis fuiſſe, ante Maſſoretharum tempora, nonnulli Judæi fatentur; voces, nimirum, nullis interſtitiis ſejunctas, nec ullis interpunctionibus ſeparatas eſſe; aut, minimùm, quàm plurimas ita conjunctas, quaſi eſſent una vox; quo factum

ut non modò falsis interpunctionibus, ab hominibus non satis peritis, corrumperetur postea sensus; sed etiam ut syllabæ conjungerentur, quas divelli oportebat; aut contrà divellerentur, quæ conjungendæ erant. Hinc intelligere licet, munus *Anagnostæ*, temporibus illis, non fuisse indocti prorsus hominis, cùm ejusmodi Codicibus utebantur; nam ex tempore orationem interpositis moris dividere, cùm divisa in Codice non esset, cujusvis certè non erat. Insigne ejus rei exemplum legere est apud *A. Gellium*, Lib. XIII. c. 30. *Laudabat*, inquit, *venditabátque se quispiam in Libraria sedens, homo ineptè glorioſus, tamquam unus esset, sub omni cœlo, satirarum M. Varronis enarrator; quas partim Cynicas, alii Menippeas adpellant; & jaciebat inde quædam non admodum difficilia, ad quæ conjicienda adspirare posse neminem dicebat. Tum fortè eum ego librum ex iisdem Satiris ferebam, qui ἐδεσμών inscriptus est. Propiùs igitur accessi & nosti, inquam, magister, verbum illud, scilicet, è Græcis vetus; musicam quæ sit abscondita, eam esse nulli rei? Oro te legas hos versus pauculos, & proverbii istius, quod in his versibus est, sententiam dicas mihi. Lege, inquit, tu mihi potiùs, quæ non intelligis, ut ea tibi ego enarrem. Quonam, inquam, pacto legere ego possum quæ non adsequor? Indistincta namque fient & confusa quæ legero & tuam quoque impedient intentionem. Tunc aliis etiam, qui ibi aderant, compluribus idem comprobantibus desiderantibúsque, accepit à me librum veterem fidei spectatæ, luculentè scriptum; accepit*

autem inconſtantiſſimo vultu & mœſtiſſimo. Sed quid deinde dicam? Non audeo hercle poſtulare, ut credatur mihi. Pueri in ludo rudes, ſi eum librum accepiſſent, non ii magis in legendo deridiculi fuiſſent; ita & ſententias interci-debat, & verba corruptè pronunciabat.

12. Ad hæc omnia, ſi accedat incuria *dictantis*, aut *ſcribentis*, aut utriuſque ſimul; potuit alter dictare quod cogitabat, non quod erat in libro, aut alter ſcribere id quod animum ejus avocabat; quod nobis contingit, cùm animus diſtrahitur aliis cogitationibus. Indidem variæ luxationes ac tranſpoſitiones, ſequentium ætatum Criticis erucem fixuræ, provenire potuerunt.

13. Præterea & hoc ſæpe accidit, ut à feſtinantibus Librariis per compendium multa ſcriberentur, omiſſis aliquot ſyllabis, quæ Lectori conjiciendæ relinquebantur. Eæ verò vocum contractiones ſæpè malè à Librariis aut Criticis intellectæ pepererunt maxima menda; cùm in nominibus adpellativis, tum etiam in propriis.

14. Antiquiſſimis temporibus, cùm litterarum ſtudia in Græcia atque in Italia etiamnum florerent, Librariis pænè ſolis aut Criticis imperitis, vel æquo audacioribus tribui poterant omnia menda; ſed cùm barbaries Orientem, ſub Imperatoribus Chriſtianis jam invaſiſſet, & unà cum ea creviſſet mirum in modum Monachorum numerus; hi cœperunt veteres libros in Monaſteriis exſcribere, cúmque plerique homines indocti eſſent, præſertim ad humaniores litteras quod adtinet,

quippe in legendis Liturgiis potiſſimùm occupati, menda innumera admittebant. Quod fiebat in libris Græcis, apud Græciæ & Aſiæ Monachos, idem factitabant in Occidente alii Monachi, ad libros Latinos quod ſpectat. Hinc fit ut perpauci ſint Græci, aut Latini Codices MSS. qui non ſcateant mendis, præſertim qui complectuntur res non ita vulgò notas.

15. Igitur cùm antiquiſſimi Librarii parum emendatè Codices deſcriberent, iíque Codices poſtea in manus Monachorum ignariorum inciderent; quid mirum, ſi depravatiſſimi pervenerunt in manus noſtras? Cùm autem inventa eſt Typographia, viri docti, pro illo ævo, qui ex MSS. primùm typographicis litteris deſcripta ediderunt Veterum monumenta, perſæpe nimis ingenio ſuo indulſerunt, in emendandis quæ vitioſa ipſis videbantur; unde nata in Editionibus, ex primis illis expreſſis, nova menda; quæ nonniſi inſpectis denuo Codicibus MSS. hoc & præteritis ſæculis, tolli à viris doctis potuerunt. Sed & horum multi imperitiâ, aut audaciâ nimiâ, quâ conjecturas ſuas, quaſi exploratas lectiones, in Veterum contextum admiſerunt, eorum Scripta conſpurcarunt; ne jam loquar de Typothetarum mendis, quæ vix poſſunt omnino vitari.

16. II. Quot & quanta orta ſint ex Librariorum aut indiligentia, aut imperitia menda ſatis, ut opinor, liquet ex ſuperioribus. Hæc cùm CRITICI jam olim animadverterent, hoc in ſe laboris ſuſceperunt, ut exemplaria opti-

optimorum quorumque Scriptorum manu ſuâ emendarent; cum in gratiam amicorum, tum etiam lucelli cauſâ, quòd exemplaria ab eruditis Grammaticis emendata majore pretio emerentur. Sed cùm hi Critici non omnia æquè intelligerent, nec pari omnes judicio valerent, ſæpe quæ emendatione indigebant, quaſi ſana tranſvolarunt; aut contra violentas manus iis, quæ rectè poſita erant, adtulerunt. Quæ omnia exemplis ſingillatim poſtea comprobabimus.

17. III. Sed & homines nequam; quos non Criticos vocaverim, cùm Critica nequaquam uterentur, ſed FALSARIOS, datâ operâ, varia in Veterum ſcriptis mutaverunt, aut iis detraxerunt, vel adſuerunt, ut legentes fallerent. Quod in antiquitatibus Ethnicis rariùs contigit, in quibus operæ pretium non erat fallere; ſed in Eccleſiaſticorum Scriptorum antiquiſſimis monumentis, quæ contendentes Chriſtiani in ſuas quique partes trahere conabantur, frequenter accidit; ut in hujus Operis Præfatione jam monuimus, & aliis exemplis manifeſtis poſtea oſtendemus. In vita *Lanfranci* Benedictini primùm Monachi, deinde Cantuarienſis Archiepiſcopi, edita cum ejus Operibus Lutetiæ, anno MDCXLVIII. hæc leguntur: *Quia Scripturæ, Scriptorum vitio, erant nimiùm corruptæ, omnes tam Veteris, quàm Novi Teſtamenti Libros, nec non etiam Scripta SS. Patrum* SECUNDUM ORTHODOXAM FIDEM STUDUIT CORRIGERE.

18. IV. Ad hæc omnia acceſſit VETUSTAS,

TAS, quâ factum ut antiquiſſimæ membranæ & chartæ laceræ, vel ita ſitu adfectæ, ut litteræ ſæpe deletæ eſſent, ad poſteros pervenerint. Hoc modo, ſine culpa ulla Librariorum, Criticorum, aut Falſariorum, plurimæ lacunæ in Veterum Scriptis factæ ſunt, quæ ſæpe nullo ingenio expleri poſſunt; aut ſi non incommodè expleantur, deſiderium tamen in nobis verorum Scriptoris verborum relinquunt. Exempla rem poſtea clariorem efficient.

CAPUT II.

In quo Mendorum antiquitas, Veterum teſtimoniis, exempliſque demonſtratur.

1. QUAMVIS quæ à nobis ſuperiore Capite dicta ſunt certiſſima ſint, ut cùm ex ipſa re jam conſtat, tum etiam exemplis poſtea liquebit; attamen quia multi de ſinceritate atque integritate Codicum ſacrorum & profanorum judicant, qui non tam ratione moventur, quàm exemplis, & præſertim auctoritate; age, ſuperiora, hoc etiam modo, extra omnem dubitationis aleam collocemus.

2. Ut à veteribus Hebræis initium faciamus, ab iis Libros Sacros non ſatis diligenter ſervatos eſſe, ſi dixero, nihil dicam quod non facillimum ſit creditu; ob frequentes eorum ad Idololatriam defectiones, quibus fiebat ut Prophetarum Scripta negligerent. At ipſa

ipſa hiſtoria ſacra rem, ſine ulla conſectariorum ope, nos docet, cùm narrat Librum Legis qui in Templo adſervabatur, & ſeptimo quoque anno publicè legi debebat, diu delituiſſe; nec, inventus cùm fuiſſet, ſine admiratione, à Rege alioqui pio, Joſia, fuiſſe lectum. Vide 2. Paral. XXXIV, 15. Si Rex, quem ex Lege oportebat ejus exemplar habere, quod quotidie lectitaret, nullum habuit; non eſt credibile vulgò Jeroſolimæ ejuſmodi libros emendos, aut deſcribendos proſtitiſſe.

3. Quòd ſi, ſtante ac florente regno Judaïco, tam negligentes fuere Judæi Legis ſuæ, cùm non modò deberent ejus exemplaria multa habere, quæ diurnâ ac nocturnâ manu verſarent, ſed etiam facilè poſſent; non eſt veriſimile eos, non modò acciſis rebus, ſed planè profligatis, cùm in alieno ſolo, procul à patria, duram & inopem vitam agerent, majorem curam adhibuiſſe, ut multos ac emendatos haberent Codices; aut curâ ſuâ efficere potuiſſe, quod, ſtante Republicâ, à viris piis fieri non potuerat. Imò verò multi Patres credidere libros ſacros, in Captivitate Babylonica, planè intercidiſſe. Duorum dumtaxat teſtimonium proferemus. Prior erit *Clemens Alexandrinus*, Stromat. * Lib. I. quem credibile eſt rem habuiſſe à Judæis ſui ævi: Κἀν τῇ Ναβυχοδονόσορ αἰχμαλωσίᾳ, διαφθαρεισῶν τῶν γραφῶν, κατὰ τοὺς Ἀρταξέρξου τοῦ Περσῶν βασιλέως χρόνους, ἐπιγνὰς Ἔσδρας

* P. 342. Ed. Colon. an. 1688.

ὁ Λευίτης Ἱερεὺς γενόμενος, πάσας τὰς παλαίας αὖθις ἀνενεώμενος προεφήτευσε γραφάς: *etiam in captivitate Regis Nabuchodonosor, cùm periissent Scripturæ, Esdras Sacerdos, temporibus Artaxerxis Persarum Regis, adflatu omnes veteres iterum renovans prophetavit Scripturas.* Idem antea * dixerat; sed paullò obscuriùs. Scriptor *Synopseos*, quæ exstat in secundo *Athanasii* volumine, in Synops. Lib. XII. qui est Esdræ: Ἱστορεῖται δὲ καὶ τοῦτο περὶ τοῦ Ἔσδρα, ὅτι ἀπολομένων τῶν βιβλίων, ἐξ ΑΜΕΛΕΙΑΣ τῶν λαῶν, καὶ διὰ τὴν πολυχρόνιον αἰχμαλωσίαν, αὐτὸς Ἔσδρας φιλόκαλος ὢν, καὶ εὐφυὴς, καὶ ἀναγνώστης, ἐφύλαξε πάντα καθ' ἑαυτὸν, καὶ λοιπὸν προήνεγκε, καὶ πᾶσιν ἐκδέδωκε, καὶ ὅτως διασώζεται τὰ βιβλία: *narratur & hoc de Esdra, cùm periissent Biblia* NEGLIGENTIA *populorum, & propter diuturnam captivitatem, ipsum Esdram, cùm esset rerum honestarum studiosus, bonæ indolis, & lector, servasse omnia apud se, & postea protulisse, ac omnibus edidisse, quo pacto servata sint Biblia*, Similia possent ex † *Chrysostomo* & ‡ *Theodorito* proferri.

4. Quæ non adfero, quòd credibile mihi fiat Esdram ex memoria, aut adflatu omnes libros veteres restituisse; sed quia videtur omnino hæc historia orta esse ex aliqua vera narratione. Nimirum, corrupti erant Libri Sacri, negligentiâ populorum & longinquitate temporum, eósque Esdras recensuit, quatenus

* P. 329. † *Homil. VIII. in Ep. ad Hebr.*
‡ *Præfat. in Cantic.*

tenus licuit. Hæc enim eſt opinio vulgò inter recentiores Judæos recepta. *Elias Levita*, in Præf. tertia ſui *Maſſoreth hammaſſoreth* fol. 44. Ed. *Seb. Munſteri*, ita eam exponit "בגלות ראשונה אבדו רוב וגו *in captivitate prima, perierunt plurima exemplaria, diſtracta ſunt, paucáque incorrupta manſerunt, & præterea qui noverant biblicos libros mortui erant; ut coactus fuerit Eſdras & Concilium ejus reformare coronam, ſecundùm vetuſtatem ſuam, & emendare libros.* Vide & ſequentia.

5. Verùm antiquiores Judæi, poſt hæc etiam tempora, non ſatis emendatos fuiſſe libros ſuos faſſi ſunt; fortè propter negligentiam eorum, qui poſtea vixerunt. Ita *Demetrius*, apud *Ariſteam* p. 13. Ed. nuperæ Oxonienſis, de libris Judæorum, qui in Bibliotheca Alexandrina deerant, Ptolemæum adloquitur: Τὰ νόμα τ῀ Ἰουδαίων Βιβλία, σὺν ἑτέροις ὀλίγοις τισὶν, ἀπολείπεται. τυγχάνει γὰρ Ἑβραικοῖς γράμμασι καὶ φωνῇ λεγόμενα. ΑΜΕΛΕΣΤΕΡΟΝ ᾖ, καὶ ὐκ ὡς ὑπάρχει, ΣΕΣΗΜΑΝΤΑΙ, καθὼς ὑπὸ τ῀ εἰδότων προσαναφέρεται, προνοίας γὰρ βασιλικῆς ὐ τέτευχε. δέον δέ ἐστι καὶ ταῦτα ὑπάρχειν παρά σοι διηκριβωμένα: *legis Judaicæ libri, cum paucis quibuſdam aliis, deſunt. Dicuntur enim eſſe Hebraicis litteris & linguâ; ſed negligentiùs, nec ut merentur, exarati, ſicut ab intelligentibus perhibetur. Regia enim providentia nondum iis contigit. Oportet autem ut & illi ſint, apud te, diligenter deſcripti.* Hæc pænè verbatim repetit *Joſephus* Ant. Jud. Lib. XII.

XII. c. 2. habétque etiam: συμβέβηκε δ' αὐτὰ καὶ ἀμελέστερον ἢ ἔχει σεσημάνθαι; *contigit eos negligentiùs, quàm oportuit, exarari*; nam pro ἔχει, quod nihil hîc ſignificat, legendum ἐχρῆν, aut ἔδει, *oportebat*, quod reſpondet τῷ ὑπάρχειν, *Ariſteæ*, quod aliquando ſignificat *promereri*. Hanc etiam hiſtoriam præſtare nolim; ſed hoc ſaltem hinc patet, ante verſionem LXX. Intt. non ſolitos eſſe Judæos, magnâ diligentiâ, Codices Sacros deſcribere.

6. Neque hoc figmentum eſſe, aut Helleniſtæ Judæi vanam opinionem, oſtendit ipſa LXX. Interpretum Tranſlatio; ex qua manifeſtò liquet eos exemplari emendatiſſimo, aut adcuratè deſcripto uſos non eſſe. Frequenter enim falluntur, dum aliter legunt, quàm oportet, aut adfines figurâ litteras miſcent; ut cùm in *Critica Sacra*, tum in *Notis Criticis*, multis oſtendit *Lud. Capellus*, & nos quoque, in Commentario in Pentateuchum ceteróſque V. Teſtamenti libros, non rarò demonſtravimus. Scio aliter ſenſiſſe *Joan. Buxtorfium*, virum Rabbinicâ eruditione inſtructiſſimum; ſed in rebus Criticis planè hoſpes fuit, & ab omnibus pænè peritioribus Interpretibus cùm Veteris, tum Novi Teſtamenti, hac in re, diſſentit.

7. Cùm autem Judæi, aliquot pòſt ſæculis, animadverterent Codices non ſatis emendatos circumferri; quæſitis antiquiſſimis, ſed exiguo numero, ex iis Maſſoram conflarunt, at-

atque deſcriptum iri poſthac Codices ſacros decreverunt ; quod quando & quomodo factum ſit docuit is, quem modò laudavimus, *Lud. Cappellus*, in *Arcano punctationis*, ejúſque *vindiciis*. Idem etiam oſtendit non aliter de Judæorum Criticis, quos illi *Maſſorethas* vocant, quàm de aliis judicandum; adeóque illorum judicium à quovis viro erudito iterum ad examen revocari poſſe.

8. *Samaritæ* etiam, qui Pentateucho veteribus, ut antea diximus, Hebræorum litteris exarato utuntur, paſſi ſunt in ſuum Codicem multa menda illabi; ut paſſim obiter demonſtravimus, in Comment. in Pentateuchum. Habuerunt quoque illi ſuos Criticos, qui multos locos aut emendarunt, aut emendare conati ſunt; ſed & nonnullos corruperunt, ut exemplis poſtea liquebit.

9. Nunc ad Græcos libros veniendum eſt, eóſque cùm ſacros, tum profanos; & à poſterioribus quidem initium faciemus, quia minùs eſt, ad eos quod adtinet, difficultatis. Nemo eſt, cui ſanum ſit ſinciput, qui, re ipſâ ſpectatâ, in dubium revocare poſſit, an facilè potuerit fieri ut menda admitterent Græcorum Librarii, ob rationes, quas ſuperiore Capite adtulimus. At ſi umquam inſpexerit manu ſcriptos Græcos Codices, etiam optimæ notæ, & antiquiſſimos; aut etiam virorum eruditorum, qui illuſtrandis veteribus Scriptoribus Græcis operam dedere, Scripta nonnulla legerit; non modò potuiſſe fieri, ut multa menda irrepſerint in MSS. Codices,

ſed reverâ irrepſiſſe illico fatebitur. Qui hæc in animum revocare neglexerit, nec unquam conſiderarit, & tamen volet de iis quæ diximus judicare; is verò non rationibus, ſed helleboro indigebit.

10. Adferam tamen duo loca doctiſſimi Geographi *Strabonis*, ex quibus adparebit novas non eſſe de corruptelis Librariorum querelas, & quantam diligentiam ſolerent Græci adhibere, ne iis fallerentur. Igitur ille Lib. XIII. p. 419. ubi agit de *Ariſtotelis* & *Theophraſti* libris, déque mendis quæ vetuſtate, & malorum Criticorum operâ, in illos irrepſerant, pergit his verbis de Librariis loqui: βιβλιοπῶλαί τινες ΓΡΑΦΕΥΣΙ ΦΑΥΛΟΙΣ χρώμενοι, καὶ οὐκ ἀντιβάλλοντες, ὅπερ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων συμβαίνει τῶν εἰς πράσιν γραφομένων βιβλίων, καὶ ἐθάδη, καὶ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ: *Multùm etiam hanc in rem & Roma contulit* —— *& Bibliopolæ quidam* LIBRARIIS MALIS *uſi*, *neque conferentes* (deſcripta exemplaria cum Archetypis) *quod & aliis accidit libris, qui vendendi cauſâ ſcribuntur*, & *hîc* (Romæ) & *Alexandriæ.*

11. Cùm *Strabo* de Nilo ſcripturus eſſet, & conquiſiviſſet eos qui ante ipſum de eo flumine egerant; invenit, inter alios, *Eudorum* & *Ariſtonem* Peripateticos; ſed exemplaribus ſuis ſatis fidere non audebat, ut teſtatur, niſi eos cum aliis contuliſſet; quæ tamen cùm non poſſet reperire, eos Scriptores inter ſe contulit: Ἐγὼ γοῦν, inquit Lib. XVII. ἀπορήσας ἀν-

τιγράφων εἰς τὴν ἀντιβολὴν, ἐκ δατέρᾳ δάτερον ἀντίβαλον: *ego igitur deſtitutus exemplaribus, ad collationem faciendam, alterum cum altero contuli.* Qua in re, Geographus propriis utitur vocibus. Gloſſæ Veteres: ἀντιβάλλω βιβλία, *confero.* Ἀντιβάλλω, *recognoſco.*

12. Proprium hoc munus fuit Criticorum, quod neceſſe fuit, inter Græcos, exerceri, ex quo lectitare antiquiorum monumenta, cum aliqua voluptate, cœpere; nam ejuſmodi lectionis ſtudioſis nihil antiquius eſt, quàm ut habeant emendata exemplaria. Certè nulla eſt voluptas legentium ea quæ non intelliguntur, aut quæ neſcimus an edita ſint eo modo, quo à nobis leguntur, ab eo qui primus ea ſcripſit. Sic cùm *Alexander* ſecum ferre ſtatuiſſet Iliadem, quaſi τὸ πολεμικῆς ἀρετῆς ἐφόδιον, *virtutis bellicæ viaticum*, ἔλαβεν Ἀριστοτέλους διορθώσασαν, ἣν ἐκ τοῦ νάρθηκος καλοῦσιν, *accepit ab Ariſtotele, qui emendarat, quam ex narthecio vocant.* Fuit, nimirum, ejuſmodi editio, quam ita vocabant, quia exacta dicebatur ad id exemplar, quod *Ariſtoteles* emendarat, quódque Alexander in narthecio circumferre ſolebat, ut docet in ejus vita *Plutarchus.*

13. Hinc factum ut multi crediderint *Ariſtotelem* primum Criticam inveniſſe. *Dio* Chryſoſtomus Orat. LIII. de *Homero*: * Ἀριστοτέλης, ἀφ' ἧς φασι τὴν κριτικήν τι καὶ γραμ-

* *Pag.* 753. *Ed. Morel.*

ματικὴν ἀρχὴν λαβεῖν, ἐν πολλοῖς διαλόγοις περὶ τῆς ποιητῆ διέξιστι, θαυμάζων αὐτὸν, ὡς τὸ πολὺ, καὶ τιμῶν: *Ariſtoteles, à quo aiunt Criticam & Grammaticam initium cepiſſe, in multis dialogis de Poëta agit, eum ſummopere miratur, & magni facit.* Sed ante hæc tempora, fuerant qui *Homeri* lectione delectarentur, & qui proinde emendata ejus Poëmatum habere exemplaria conarentur. Itaque antiquiores videntur fuiſſe Critici, licèt eorum nomina ad nos non pervenerint. Quod liquet ex *Æſchinis* Dial. III, 7. ubi vide quæ à nobis adnotata ſunt. At ab ætate *Ariſtotelis*, cœpit hæc ſcientia florere,* potéſtque ab illo veluti διαδοχὴ Criticorum, non ſecus ac Philoſophorum, tradi. Sed nunc id non agimus, ut Criticorum Hiſtoriam texamus; ſatis nobis erit, ſi ipſam Artem illuſtrare, aliqua ex parte, poſſimus.

14. Liquet ex ſuperioribus hanc non fuiſſe novam Eruditorum querelam, de negligentia aut imperitia Librariorum, à quibus Ethnicorum Græci Codices deſcripti ſunt. Cùm verò ab iiſdem, aut ſimilibus Librariis deſcriberentur Exemplaria Verſionis LXX. Interpretum, & Novi Teſtamenti; non erit mirum, ſi dicamus ab iis ſimilia in Sacris admiſſa peccata. Neque enim putandum eſt homines lucri cupidos multò majorem curam adhibuiſſe, in deſcribendis Libris Sacris, quàm profanis. Imò verò quò plura vendi poterant horum exemplaria, quàm illorum, poſtquàm no-

* *Vide G. J. Voſſium in Ariſtarcho Lib. I. c. 6.*

nomen Chriſtianum crevit; eò plures, imperitiorésque Librarii, aut Monachi ei rei operam dabant, & magis feſtinabant. Inanes non eſſe has conjecturas, manifeſtò oſtendunt Codices MSS. Veteris & Novi Teſtamenti, quorum nullum invenire licet, qui non ſcateat mendis. Qua de re conſulendæ ſunt variarum lectionum in utrumque collectiones, in Bibliis Polyglottis Londinenſibus, & in Editione Novi Teſtamenti *Milliana.* Cave autem putes, poſtremis dumtaxat ſæculis, ita ſe geſſiſſe Librarios; jam enim, ab antiquiſſimis temporibus, ſimilia queſti ſunt Patres.

15. Eorum aliquot loca ſunt hîc à nobis adferenda, in eorum gratiam qui cùm numquam eos legerint, de hoc negotio, ex metaphyſicis quibuſdam notionibus judicare aliquando adgrediuntur. Sic ergo *Origenes*, vir non modò ſui ſæculi doctiſſimus, ſed & corruptorum Codicum diligentiſſimus emendator, in Comment. in Matthæum pag. 439. Edit. Huëtianæ, laudato loco è Pſ. CXVII. Hebraïcè: *δοκεῖ μοι ὑπὸ Ἑλλήνων συνεχῶς γραφόμενα τὰ εὐαγγέλια, μὴ εἰδότων τὴν διάλεκτον, συγχεχύσθαι ἐν τοῖς κατὰ τὸν τόπον ἔχουσιν αὐτὰ ἀπὸ προσῳημένων ψαλμῶν*: *Evangelia, à Græcis dialecti* (Hebraïcæ) *ignaris frequenter exſcripta, corrupta eſſe mihi videntur in hoc loco, in iis quæ habebantur ex memorato Pſalmo.* Idem Comment. in Joannem, p. 151. *Οὐ καταφρονητέον ἐν τῷ περὶ τὰ ὀνόματα ἀκριβείας τῷ ἀπαρα-*

λείπεσθαι βυλομένῳ συνιέναι τὰ ἅγια γεάμματα τὸ μέντοιγε ἠμεςτῆσθαι ἐν τοῖς ἑλληνικοῖς ἀντιγεάφοις τὰ πεεὶ τῶν ὀνομάτων πολλαχοῦ, καὶ ἀπὸ τέτων ἄν τις πεισθείη ἐν τοῖς εὐαγγελίοις: *contemnenda non eſt adcurata circa nomina diligentia, ei qui voluerit probè intelligere ſanctas litteras. Peccatum quidem frequenter fuiſſe*, (in Evangeliis,) *ad nomina quod attinet, in Græcorum exemplaribus, facilè quis hinc perſuadeatur.*

16. Sed eſt utroque illo loco inſignior alius, in Comment in Matth. p. 381. ubi ſuſpicatur hæc verba Matth XIX, 19. & *diliges proximum tuum, ſicut teipſum*, addita fuiſſe Evangeliſtæ; quod an verum ſit nunc quidem non quæram, nec rationes *Origenis* expendere adgrediar. Tum verò ſubjicit: πολλὴ γέγονεν ἡ τῶν ἀντιγεάφων διαφορὰ, εἴτε ἀπὸ ῥαθυμίας τινῶν γεαφέων εἴτε ἀπὸ τόλμης τινῶν μοχθηρᾶς τῆς διορθώσεως τῶν γεαφομένων, εἴτε καὶ ἀπὸ τῶν τὰ ἑαυτοῖς δοκοῦντα ἐν τῇ διορθώσει προσθέντων ἢ ἀφαιρόντων: *magna fuit exemplarium diſcrepantia, ſive propter negligentiam quorumdam librariorum, ſive propter audaciam quorumdam, malè corrigentium quæ ſcripta erant, ſive etiam propter eos qui in correctione quæ ſibi videntur addunt, aut detrahunt.*

17. Hæc ille, de Novo Teſtamento, de Vetere verò ita: Τὴν μὲν οὖν ἐν ταῖς ἀντιγεάφοις τῆς παλαιᾶς διαθήκης διαφωνίαν, Θεοῦ διδόντος, εὕρομεν ἰάσασθαι, κειτηρίῳ χεησάμενοι ταῖς λοιπαῖς ἐκδόσεσι. τὴν γὰρ ἀμφιβαλλομένην παρὰ τοῖς ἑβδομήκοντα, διὰ τὴν τῶν ἀντιγράφων διαφωνίαν, τὴν κρίσιν ποιησα-

σάμενοι ἀπὸ τ λοιπῶν ἐκδόσεων, τὸ συμᾶδον ἐκείναις ἐφυλάξαμεν, καὶ τὰ ἑξῆς: *discrepantiam vero, quæ occurrebat in exemplaribus Veteris Testamenti, Deo favente, invenimus qui sanaremus, reliquis editionibus usi, unde judicium ferremus; nam cùm judicassemus de iis, quæ dubia sunt apud LXX. Interp. propter varietatem exemplarium, ex ceteris editionibus, servavimus id in quo consentiebant, &c.*

18. At diligentia *Origenis* non obstitit quominùs paullò pòst *Lucianus* & *Hesychius* similes recensiones instituerent, ob mendorum multitudinem & editionum varietatem. Operæ pretium est audire quæ de *Luciano* habet *Suidas*: Τὰς ἱερὰς βίβλους διασάμενος πολὺ τὸ νόθον ἐξεδίξαμένας, τῷ χρόνῳ λυμηναμένου πλλὰ τ ἐν αὐταῖς, καὶ τ συνεχῶς ἀφ' ἑτέρων εἰς ἕτερα μεταδέσεως καὶ μέν τοι καί τινων ἀνθρώπων πονηροτάτων, οἳ τῷ ἑλληνισμῷ προεστήκεισαν, παρατρέψαι τ ἐν αὐταῖς διανοηθέντων νῦν, καὶ πολὺ τὸ κίβδηλον ἐισκευασαμένων, αὐτὸς ἀπαράτας ἀναλαβὼν ἐκ τ ἑβραίδος ἐπανορθώσατο γλώττης, ὅν καὶ αὐτὸν ἐς τὰ μάλιστα ἐν ἀκριβεῖ, πόνον τῇ ἐπανορθώσει πλεῖστον εἰσενεγκάμενος: *hic cùm animadvertisset sacros libros multa adulterina recepisse, quòd tempus in illis multa depravasset, & propter continuam ab aliis in alia translationem. Quin etiam cum improbissimi quidam homines, qui Hellenismo favebant, eorum sensum pervertere voluissent, & multa adulterina in eos introduxissent, ille omnes libros adsumtos ex Hebraïca Lingua restituit in integrum, eâ adcuratè percognitâ, & multo labore*

in emendatione collocato. Vide eumdem, in voce νοθεύω ; unde liquet hæc ex *Symeone Metaphraſte*, in Martyrio Luciani, eſſe petita. Fortaſſe, ut ſuſpicantur viri docti, & *Origenes*, & *Lucianus* & *Heſychius* corruperunt ipſi non rarò LXX. Intt. dum Codices corruptos emendare nituntur. Verùm hoc ad noſtrum inſtitutum nihil facit, qui hoc unum hîc agimus, ut oſtendamus, ab antiquiſſimis temporibus, multa à Librariis in Sacris Libris corrupta fuiſſe ; quod ex adlatis locis liquet.

19. Poſſemus hiſce adjungere multa *Hieronymi* loca, ex quibus idem comprobaretur. Sed in re clara temperandum eſt ſtylo, poſſúntque Lectores ejus Prologos adire in Scripturæ libros. Videantur præſertim Prologi in libros Paralipoménon, & in quatuor Evangelia. Sed & poſtea nonnulla, prout res poſtulabit, ex eo loca proferemus. Aliorum quoque Patrum teſtimonia adjicere liceret, ſed profectò & res ipſa & quæ jam dicta ſunt ac dicentur ſatis haberi debebunt, aut neſcio quid ſit ſatis.

20 De Codicibus Latinis ſimilia dici poſſe, ac de Græcis, nemo negaverit ; & ſimiliter corruptos eſſe docent omnes omnium Gentium Critici, qui MSS. Codices tractarunt. Aliquot tantùm hac de re loca Veterum proferam ; ex quibus liquebit, quàm antiqua ſint menda, & quantæ ea de re fuerint dudum Eruditorum querelæ. *Livius* Lib. XXXVIII. C. 55. indicatâ, ex *Val. Antiate*, ſummâ auri

ri & argenti, quam Antiochus dediſſe dicebatur *L. Scipioni*, & quæ falſa videbatur: *malim*, inquit, *librarii mendum, quàm mendacium Scriptoris eſſe. Cicero* vero Ep. ad Quintum fratrem Lib. III. Ep. 5. *De Latinis verò* (libris, quos ſibi comparari cupiebat Quintus) *quò me vertam neſcio, ita mendoſè & ſcribuntur & veneunt. Symmachus* de ſervis ſuis, à quibus *Plinium* tranſcribi curaverat, Lib. I. Ep 18 ad Auſonium: *Si te amor habet naturalis Hiſtoriæ, quam Plinius laboravit, en tibi libellos quorum præſentanea copia fuit; in qua, ut opinor, opulentia eruditioni tuæ negligens veritatis librarius diſplicebit. Sed mihi fraudi non erit emendationis incuria. Malui enim tibi probari mei muneris celeritate, quàm alieni operis examine. Palladius* in Præfatione libri de Inſitione: *Quòd volumina hæc ruris colendi, ſeriùs quàm juſſeras, ſcripta ſint, librarii manus ſegnior fecit; cujus ego tarditatem numquam malignè æſtimo. Scio enim quò frequenter inclinet argutia famulorum. Malo operam ejus exſpectare, quàm timere. —— Velocitas procurrit in facinus, ſegnities figuram benignitatis imitatur.* Non ergo nos ſoli querimur Librarios nimiùm feſtinaſſe. Nonnulla ex hiſce locis & alia quædam, hanc in rem, laudavit *Joann. Wowerius* Polymathiæ Cap. XVIII. ab initio. Ipſum, ſi videatur, adeat Lector.

21. Hinc factum ut eruditi Grammatici gloriam, ſaltem apud poſteros, nacti ſint, ex collatione veterum librorum, diligentíque eorum emendatione; ut *Valerius* ille *Probus*, cu-

jus meminit *Suetonius*, in libro de Illuſtribus Grammaticis, c. 24. *Legerat in Provincia*, inquit, *quoſdam veteres libellos, apud Grammatiſtam, duraute adhuc ibi antiquorum* (Codicum, ut videtur) *memoriâ, necdum omnino abolitâ, ſicut Romæ* (ubi libri recens exſcripti præferebantur veteribus) *Hos cùm diligentiùs repetere, atque alios deinceps cognoſcere cuperet; quamvis ſe contemni, magiſque opprobrio legentibus, quàm gloriæ & fructui eſſe animadverterat, nihilominùs in propoſito manſit; multáque exemplaria contracta emendare, ac diſtinguere, & adnotare curavit, ſoli huic, nec ulli præterea Grammatices parti deditus.* Alii ſimilia fecerunt, quorum nomina collegit *J. Ger. Voſſius* in Ariſtarcho, Lib. I. c. 6.

22. Libri qui veteres & emendati habebantur cariore pretio veniebant, qua in re ne fallerentur ſtudioſi à Librariis, ſæpe Grammaticos adhibebant; qui libros, quos cupiebant emere, priùs inſpicerent. Diſcere hæc licet ex hiſtoriola, quæ habetur apud *A. Gellium*, Lib V. C. 4. *Apud ſigillaria, fortè in Libraria, ego & Julius Paulus, vir memoriâ noſtrâ doctiſſimus, conſederamus; atque ibi expoſiti erant Annales Fabii, bonæ atque ſinceræ vetuſtatis libri, quos venditor ſine mendis eſſe contendebat. Grammaticus autem quiſpiam de nobilioribus, ab emtore ad ſpectandos libros adhibitus, reperiſſe unum in libro mendum dicebat; ſed contrà Librarius in quodvis pignus vocabat, ni in una nuſpiam littera delictum eſſet* &c. Quin & magnâ pecuniâ à litterarum ſtudioſis conducebantur libri emendati ab eru-

eruditis Grammaticis, ſi quid difficultatis occurreret. Exemplum ejus rei ſuppeditat idem *Gellius* Lib. XVIII. c. 5. Antonius Julianus contendebat ſcripſiſſe *Ennium*, in quodam verſu *quadrupes eques*, non *equus*; quod probabat non tantùm *Virgilii* & *Lucilii* locis, ſed etiam vetuſto codice, de quo ita loquitur: *Librum ſummæ atque reverendæ vetuſtatis, quem ferè conſtabat Lampadionis manu emendatum, ſtudio pretióque multo, unius verſûs inſpiciendi cauſâ conduxi*, & eques, *non* equus, *ſcriptum in eo verſu inveni*.

23. Hæc cùm ita ſint, nemo, qui non ſit in Veterum lectione planè hoſpes, negare ſuſtinuerit, poſſe in eorum Scriptis ſupereſſe menda, imò permulta re verâ etiamnum iis ineſſe; ac proinde Antiquitatis ſtudioſis utiliſſimam eam eſſe Criticæ partem, quæ de emendatione agit. Aliorum, qui nihil legunt præter Syſtemata Theologica, aut ejuſmodi libros, & de hiſce rebus ex præconceptis temerè opinionibus judicare audent, ſuffragia nihil moror. Neque illi hæc legent, neque nos eorum Scripta evolvemus; ſed Juventuti, quæ ab illis decipi poteſt, ſuccurrendum judicavimus.

CA-

CAPUT III.

De Mendis ex imperitia Dictantis ortis; 1. *quòd litterarum ductus non adsequeretur.*

1. QUÆ antea diximus de variis rationibus, quibus menda nasci potuerunt, ea nunc sunt exemplis illustranda; qua quidem in re, nobis facilius esset modum excedere, quam intra modum manere; si vellemus exempla congerere è Scriptis Criticorum superioris aut hujus sæculi, apud quos innumera omnium generum exstant. Sed hanc nobis legem imposuimus, ut ferè ubique aut antiquiora duntaxat, aut à nobis animadversa proferamus, & paucis contenti simus. Antiqua exempla non modò probabunt quod volumus, sed & auctoritate eorum à quibus ea accipiemus iis, qui quàm maxime περιεργοντες nihil tamen nisi antiquitatem crepant, os occludent. In nostris verò, si peccemus, venia digniores erimus, quia conjecturas tantùm proferre nos profitemur. Fortè (nam & hoc monendum) contigisse posset, ut conjecturæ hæ nostræ ab aliis Criticis essent interdum occupatæ; sicut accidit sæpe viris eruditis, ex quo Critica colitur, ut similia inscii protulerint. Neque enim semper plures editio-

tiones consulere potuimus, aut omnes Criticorum commentarios evolvimus, aut inspicere etiam licuit, vel omnium olim lectorum recordamur. Itaque si quid hîc occurrat ab alio præceptum, non minùs nostrum est; quàm ejus qui præcepit, quicumque sit. Si quis tamen felicioris fortè conjecturæ gloriolam alii tribuere malit, id æquo animo feremus, & nobis occinemus illud Homericum

Τέτλαθι δὴ κραδίη, καὶ κύντερον ἄλλο ποτ' ἔτλης.

Cùm verò ab initio hujus Opusculi Linguas Latinam, Græcam & Hebraïcam conjunxerimus, ex tribus illis Linguis exempla passim petemus. Sequemur autem ordinem, quem antea Cap. I. in originibus mendorum adsignandis observavimus; incipiemúsque proinde à mendis, quæ ex vitio *Dictantis* orta sunt.

2. I. Cùm nec omnes Librarii, aut quicumque exemplar, ex quo dictabatur Opus quodpiam, scripserant, satis eleganter litteras pingerent, & vetustas ductus earum partim delere potuisset; non mirum est, si qui dictabat interdum malè legeret, & perperam quidpiam efferret. Tria ejusmodi erroris exempla proferemus, ex Præfatione *C. Plinii Secundi*, in Historiam Naturalem; quamvis possent etiam tribui auri *Scribentis*, fateor enim persæpe non unam posse esse unius mendi originem. At nobis satis est, in re ejusmodi,

di, ſi ea menda, non ſine veriſimilitudine, ex priore fonte manare potuiſſe judicentur. Quod & de ceteris exemplis, poſtea proferendis, ſemel dictum eſſe volumus.

3. In * Pariſienſi Editione, aliam enim, cùm primùm hæc ſcripſimus, non inſpexeramus, ita loquitur *Plinius*, de ſuis collectaneis: *Viginti millia rerum dignarum cura—ex lectione voluminum circiter duûm millium, quorum pauca admodum ſtudioſi adtingunt, propter ſecretum materiæ, ex exquiſitis auctoribus centum, incluſimus triginta ſex voluminibus*, ABJECTIS *rebus plurimis, quas aut ignoraverant priores, aut poſtea invenerat vita.* An ergo *Plinius* quæcumque priores ignoraverant, aut quæ vita invenerat, poſt illorum ætatem, *abjecit*; ut nihil prorſus diceret, niſi quod ante ipſum litteris mandatum eſſet? An timuiſſet ſibi vitio verti, ſi quid ſcriberet, quod in priorum monumentis dudum non legeretur; cùm id laudari ſoleat in omnibus Scriptoribus, & maximopere omnes facere niſantur? Non opinor, imò verò contrarium liquet ex hoc opere, ubi innumera † ſuo ævo reperta memorat, quæ à nemine fortè umquam ſcripta erant Itaque lege ADJECTIS, atque intellige eum *adjeciſſe* iis, quæ antea ſcriptæ fuerant, *res plurimas, quas aut ignoraverant priores, aut poſtea invenerat vita.* ‡ Fortè dictantem adfinis figura B & D in

* *Ann.* 1685. *in uſum Delphini.* † *Scripſit ſine dubio primus, quæ habet Lib. XVIII. C.* 20. *De Trevirico agro.*

‡ *Vide hujus ipſius Cap.* §. 12. *unde liquet mendoſum eſſe Editionis Harduiniana.*

D in litteris Romanis decepit, quæ, ductu interiore litteræ B deleto, non multùm abit à figura ꝝ D.

4. In ſequentibus verbis mendum etiam eſſe videtur, haud multò minùs manifeſtum: *Nec dubitamus*, inquit, *multa eſſe, quæ nos prætierierint. Homines enim ſumus, & occupati officiis, ſubciſivísque temporibus iſta curamus, id eſt, nocturnis, ne quis veſtrûm putet* HIS *ceſſatum horis. Dies vobis impendimus, cum ſomno valetudinem computamus.* Sic in MS. legerat *Jac. Dalechampius*, ſic edidit *Joan. Harduinus.* Frigidum omnino eſt illud: *nequis veſtrûm putet his ceſſatum horis*; legendúmque prorſus videtur SUIS, ita ut *Plinius* hoc velit: nequis veſtrûm putet, ut hæc ſcriberem, me ceſſaſſe ab officio, quod *ſuis horis* à me exſpectare potuit, ſcitote me nocturno tempore hæc ſcripſiſſe. *Plinius* ita tempus ſuum deſcripſerat, ut nec amici queri poſſent *ſuas horas*, quas, nempe, officiis ipſis exhibendis impendere eum oportebat; in ſtudiis ab eo collocari. *Horæ* illæ, quæ hîc ſpectantur, erant hora, exempli gratiâ, ſalutandorum Cæſaris & magiſtratuum, & hora quâ cauſſæ dicebantur, de quibus *Martialis* Epig. Lib. IV. Ep. 8. ubi curas totius diei deſcribit:

Prima ſalutantes, atque altera diſtinet hora,
Exercet raucos tertia cauſſidicos.

Vide *Plinium* juniorem in Ep. V. Lib. III. ubi de

de vita avunculi ſui, quæ Epiſtola mirè hæc ejus verba illuſtrat.

5. Eſt in eadem præfatione tertius locus, in quem mendum irrepſit, ut videtur, eodem modo; ídque eo faciliùs, quòd Librarii vocem non adſequerentur, ubi ita *Plinius*, de hiſtoria à ſe ſcripta: *Nos quidem omnes, patrem, te, fratrémque diximus, opere juſto; temporum noſtrorum hiſtoriam orſi, à fine Auſidii Baſſi. Ubi ſit ea quæres? Jam pridem peracta* SANCITUR. Conjecit nuperus editor Plinii *Harduinus*, *ſarcitur*, quod interpretatur: *revocatur, retractatur, adcuratiùs elimatur.* Certè is videtur eſſe oportere ſenſus *Plinii*; ſed *ſarcire* hoc non ſignificat. Malim SARRITUR, voce petitâ è re ruſtica, & quæ ſignificat ſarculo noxias aut inutiles herbas evellere; ita ut velit *Plinius*, ſe perfeciſſe quidem hiſtoriam, ſed eam veluti *ſarriendam*, hoc eſt, inutilibus aut falſis circumſtantiis liberandam. De *ſarritione* ipſe multis egit Lib. XVIII Capp. 21. & 26. Novam fateor eſſe metaphoram, ſed ſimiles paſſim, & audaciores etiam in *Plinio* leguntur.

6. Ut exempla nonnulla è Græcis adferamus, mihi videtur locus *Platonis*, initio Phædri, eodem modo corruptus, quòd litteræ in media voce dictantis oculos fugerint. Poſtquàm Socrates explicuit fabulam, de Orithyia à Borea rapta, quaſi ſeptemtrionalis venti impulſu delapſa & mortua eſſet, ſubjicit: ἐγὼ μέν, ὦ Φαῖδρε, ἄλλως μὲν τὰ τοιαῦτα χαρίεντα ἡγοῦ-

ἡγοῦμαι· λίαν δε δεινὸν καὶ ἐπιπόνον, καὶ ὃ πάνυ εὐτυχὲς ἀνδρὸς, κατ' ἄλλο μὲν οὐδὲν, ὅτι δ' αὐτῷ ἀνάγκη μετὰ τοῦτο τὸ τῶν Ἱπποκενταύρων εἶδος ἐπανορθοῦσθαι, καὶ αὖθις τὸ τῆς Χιμαίρας. καὶ ἐπιῤῥεῖ γε ὄχλος τοιούτων Γοργόνων καὶ Πηγάσων καὶ ἄλλων ἀμηχάνων πλήθει τε καὶ ἀτοπίᾳ τερατολόγων τινῶν φύσεων. αἷς εἴτις ἀπιστῶν προσέσται κατὰ τὸ εἰκὸς ἕκαστον, ἅτε ΑΓΡΟΙΚΩΙ τινὶ σοφίᾳ χρώμενος, πολλῆς αὐτῷ σχολῆς δέησει: *ego autem, ô Phædre, ingenioſa quidem illa exiſtimo, ſed hominis acerrimi & laboris patientiſſimi, nec valde felicis; non alia de cauſa, quàm quòd ei poſtea neceſſe ſit formam Centaurorum, ut & Chimæræ, emendare. Confluit & turba ejuſmodi Gorgonum & Pegaſorum, & aliarum, quæ eſſe nequeunt cùm multitudine, tum abſurditate, monſtroſarum naturarum. Quibus ſi quis non credens diligentiam adhibeat, ut ſingula, quemadmodum par eſt, interpretetur; RUSTICA quapiam ſapientia uſus, otio nimiùm indigebit.* Neminem eſſe puto, qui intelligat cui uſui ſit *ruſtica ſapientia*, ad inveniendum fabularum latentem ſenſum, & abſurdas narrationes ad rectam rationem ac veriſimilitudinem argutâ interpretatione revocandas. Certe Stoïci aliíque Philoſophi, qui talia adgreſſi ſunt, non verebantur ne propterea rus redolerent. *Plato* ipſe aliquando idem facitat, & antea hæc interpretamenta χαρίεντα vocat, hoc eſt, ingenioſa & ſcita. Contrà ἀγροϊκὸν *illepidum* & *parum ſcitum* ſonat. Sed legendum ΑΓΡΕΥΤΙΚΗ τινὶ σοφίᾳ; *venatoria*

riâ quadam peritiâ; quâ, nimirum, vir ſagax evanida veri veſtigia ſequutus id à fictionibus poëticis acutè ſecernat. Tralatitio ſenſu ἀγρεύειν Græcè & *venari* Latinè ſignificant diligenter & ſagaciter quærere, ut quævis Lexica docebunt. Eodem etiam tralatitio ſignificatu, non rarò occurrunt, apud ipſum *Platonem*, & *Xenophontem*, θηράω & θηρεύω, quæ proprio ſonant *venari*. *Cicero* ait *phyſicum* eſſe *venatorem*, *ſpeculatorémque naturæ*. Ἀγρευτικὸς in vetere Onomaſtico vertitur *captioſus*, hoc eſt, capiendi cupidus & peritus; quo factum ut *Euſtathius* Dianam vocet * ἀγρευτικὴν, quemadmodum obſervavit *Henr. Stephanus*, qui nullum aliud exemplum vocis adfert. Vox eſt, fateor, paullò rarior, ſed analogicam eſſe ἀπὸ τοῦ ἀγρευτοῦ, *à venatore*, nemo negarit; & ideò quia rara eſt, deletis mediis litteris, à dictante legi non potuit, éſtque in aliam abſonam mutata. Ea tamen etiam utitur *Scholiaſtes Pindari*, ad Pyth. Od. IX ubi ἀγροτέρᾳ interpretatur τὴν θηρευτικὴν καὶ ἀγρευτικὴν, vocibus proſæ Scriptorum, cùm ἀγροτέρα ſit tantùm Poëtarum.

7. Inſignem locum *Theophraſti* in Charact. Cap. III. de Adulatione, omiſſâ in medio litterulâ corruptum, emendabimus, ubi deſcribens adulatorem: *Jam verò*, inquit interprete *Caſaubono*, *ſi aliquid dicat ille* (cui adu-

* Ed. Rom. pag. MCCXLVII. l. 1.

adulator vult blandiri) *ſilentium omnibus imperare* , κ) ἐπαινέσαι ἧ ἄκοντα , & *laudare invitum.* Quod frigidum eſt , & locum hîc non habet , quo factum ut *Caſaubonus* ſuſpicatus ſit legendum ἀκούοντ@ *audiente* , verterítque *in os laudare.* At legendum ἀκόντα , *tacentem.* Non modò ſilentium imponit aliis , ſi loqui velit , & loquutum laudat adulator ; ſed etiam non loquutum , quaſi ſilentium illud eſſet prudentiæ indicium. Vox ἀκέων eo ſenſu frequens eſt apud *Homerum.* Ejuſmodi adulationis exemplum accipe ex *Ovidio* , Ponticorum Lib. II. El. 5. ubi ita Germanico adulatur :

Dúmque ſilens adſtat , ſtatus eſt vultúsque diſerti ,
Spémque decens , doctæ vocis , amictus habet.
Mox , ubi pulſa mora eſt , atque os cœleſte loquutum ,
Hoc Superos jures more ſolere loqui.

Optimos Scriptores , etiam in proſa , interdum Homericas voces uſurpare notum eſt , vel ex indice *Xenophontis* , ab *Æmilio Porto* confecto , & iis qui *Platonem* legerunt.

8. Alterum locum ejuſdem Scriptoris emendabimus , in Charactere τῦ ἀγίσκυ , hoc eſt , hominis qui urbanitate , & cultûs , vitæque elegantiâ omnibus placere nititur. Mendum inde ortum , quòd initium vocis , aut non ſatis eleganter ſcriptæ , aut vetuſtate fugientis

oculos, adsequutus non sit qui hunc libellum dictabat. Ait ergo *Theophrastus*, Cap. VI. ejusmodi hominem *è longinquiore spatio salutare & virum adpellare præstantissimum*; tum subdit καὶ θαυμάσας ἱκανῶς ἀμφοτέραις ταῖς χερσὶ μὴ ἀφιέναι, quod vertit *Casaubonus*: *fortunámque ejus admirari soleat, & utraque manu prehendens non dimittat.* Sed de *fortuna* & *prehensione* nihil *Theophrastus*, nec vocem ἱκανῶς expressit *Casaubonus.* Sensum tamen partim vidit. At legere debuit: καὶ ἀσπάσας ἱκανῶς ἀμφοτέραις ταῖς χερσὶ μὴ ἀφιέναι, *& complexus diu utraque manu, nondum dimittat.* Hanc nostram emendationem iterum *Homerus* confirmabit. Sic ille Odyss. I. vers. 35. de Nestore & Pyliis, hospites Telemachum & Mentorem excipientibus:

Οἱ δ' ὡς. ἓν ξείνους ἴδον, ἄθροοι ἦλθον ἅπαντες,
Χερσὶν τ' ἠσπάζοντο, καὶ ἑδριάασθαι ἄνωγον.

Illi igitur, ut viderunt hospites, confertim omnes venerunt, manibus verò amplexabantur & jubebant sedere. Docet *Eustathius* idem esse ac περιπλέκεσθαι, *circumfundere brachiis.*

9. Hisce exemplis, è Latinis Græcisque Scriptoribus, Hebraïca nonnulla, prout pollicitus sum, adjiciam. Deut. XXXIII, 23. Moses ita Nephthalin adloquitur: *O Nephthalis,*

lis, qui ſatur es favore, plenus benedictione Jehovæ, occaſum & meridiem (ים וררום jam vedarom) *poſſide.* At Nephthalitæ obtinuerunt agros in ſeptemtrionali Chananææ tractu ſitos, nec in ejus tractûs occidentali parte, nam eam habuerunt Aſeritæ. Viri docti ita interpretantur, Nephthalitas habuiſſe agros ad occaſum & meridiem ſpectantes; ſi comparetur eorum ſitus cum ſitu urbis, quam Danitæ nonnulli ad Jordanis fontes occuparant. Danitis autem Moſes, in proximè præcedentibus verbis, bene adprecatus erat. Si omnis Tribus Danitica iis ſedibus conſediſſet, poſſet hæc interpretatio ferri; ſed perpauci illi Danitæ à Moſe illic non reſpiciunttur, ut oſtendimus ad eum locum. Itaque legendum videtur, non, ut eſt in noſtris Codicibus, ים וררום ſed ים מרום jam merom, *mare Merom*, hoc eſt, lacus qui ita vocabatur, & cinctus maxima ex parte fuit Nephthalitarum agris. Vide quæ illic notavimus. Facillimè potuit ר miſceri cum מ, ſi ductus litterarum minùs adcurati erant. Fateor, in Aſſyriaca, ſeu Judaïca Scriptura, majorem eſſe ductuum ſimilitudinem, quàm in Samaritica ſive Phœnicia; ſed in hac etiam litteræ, minùs benè ſcriptæ, præſertim in nomine proprio, facilè potuerunt legentem fallere; & poſſet fieri ut Samaritarum Critici ex Judaïco Codice ſuum emendaſſent.

10. Ad eamdem mendorum claſſem referri poſſunt multa nomina propria Hebraïca, quæ in verſione LXX. Intt. malè ſcribuntur; cum non ipſis Interpretibus, qui legere poterant

Hebraïcè, ſed Græcis Librariis ſolis tribui queant. Sæpe hac de re queritur *Origenes*, ſæpe *Hieronymus*. Cùm, nempe, nomina propria minùs claris ductibus eſſent exarata, nec à Græcis Librariis legi poſſent, ea mirum in modùm mutarunt. Non poſſunt enim mendi ſuſpecti eſſe Hebraïci Codices, qui ſemper eodem modo habent ea nomina ſcripta, & ut debent ſcribi ex ingenio Linguæ Hebraïcæ. Vide *Origenis* loca adlata ſuperioris Cap. §. 15. Illuſtriora duo nomina ſatis erit protuliſſe, nam ex minùs notis innumera poſſunt exempla colligi, ut ſciunt omnes, qui varias lectiones Verſionis LXX. Viralis & *Joſephi* inſpexerunt. Joſua, qui dicitur, in Judaïcis & Samaritïcis exemplaribus, *filius* נון *nun*, à LXX. Intt. conſtanter vocatur *filius* ναυῆ. Sed omnino videntur ſcripſiſſe NAYN, cujus vocis cùm poſterius N non ſatis adcuratè pictum eſſet, mutatum in H à Librariis; quod mendum cùm in aliquot antiquiſſima exemplaria, Alexandrinæ fortè Bibliothecæ, admiſſum eſſet, per reliqua omnia recentiora propagatum eſt.

11. Nec mihi poſſum perſuadere Prophetam חבקוק *hhabakkouk*, dictum à Linguæ Hebraïcæ peritis ἀμβακκούμ, quemadmodum vocatur in Codicibus LXX. Intt. Scripſerant omnino illi ABBAKKOYK, ſed tam barbarum nomen, fortè nec ſine litura ſcriptum in Archetypo, aut non ſatis eleganter, non adſequutus Librarius legit AMBAKOYM. Sic nomen proprium ABILIOC, ſecundi Alexan-

Alexandriæ Episcopi; mutatum in MILIOC, ut observat *Joan. Bap. Cotelerius* in Constitut. Apost. Lib. VII. c. 46. *num.* 21. in Ed. Amstelodamensi. Si invertatur, nempe, B, ut sinister ductus fiat superior, & deleantur aliquantùm hemicyclorum mediæ partes, fit M. Eamdem litteram facies, si K uno atque altero ductu augeas.

12. Cùm jam ad Typothetam missa essent superiora, inspexi in Bibliopolio Editionem Dalecampianam *in* 8. ut vocant, deinde & majorem *in folio*, & vidi rectè in ea scriptum esse, in loco primo *Plinii* antea adlato, *adjectis*. Itaque *abjectis* mendum erit aut Editoris, aut Typothetæ Parisiensis, quod tamen in Erratis omissum. Nihilominùs scripta mutare nolui, ne in iterata quidem Editione; quòd exemplum non multò minùs adpositum sit, ad ostendendum errare posse Librarium, dum malè legit. Quidni enim contigerit Librario, quod viro erudito, *Joanni Harduino*, contigit? Præterea hinc discet Lector non esse semper elegantibus & ornatis editionibus credendum; sed si quid certo scire velimus, exemplarium ἀντιβολὴν esse instituendam.

CAPUT IV.

De Mendis ex imperitia Dictantis ortis: 2. quòd adfines figurâ litteras, ductúsque similes miscuerit.

1. DICTANTEM fallere potuit, ut modò videbamus, ductuum & litterarum adfinitas; neque hoc tantùm factum in nominibus propriis Linguæ Librariis ignotæ, qualia proferebamus, sed & in notiore Lingua, vocibúsque frequentissimis, cujus rei exempla passim suppeditant Critici. Conferant studiosi harum rerum Glossaria Latino-Græcum, & Græco-Latinum *Henr. Stephani*, postea à *Bon. Vulcanio* & *Car. Labbæo* edita, innumeráque exempla in iis ejusmodi hallucinationum invenient. Nos pauca ex iis quæ observavimus, atque ex optimis Scriptoribus, omissis alienis, proferemus. Sed & subinde conjecturas nostras ex Glossariis illis confirmabimus; quia in iis menda manifestiora sunt, cùm ob ordinem *Alphabethicum*, tum etiam ob additam interpretationem Græcam, aut Latinam. Quod ante nos factum postea vidimus à *Joan. Passeratio*, libro *de Litterarum cognatione & permutatione.*

2. Adfinis est figura litterarum N & M, præsertim si scribentis incuriâ aut pennæ errore superior pars dextri ductûs τῦ N aliquantùm inflectatur ad inferiorem, aut simile

le quid accidat. Ideò aliquando miſtæ ſunt. *Gloſſæ* Veteres: *Capreus*, *rimus* (lege *primus*, aut *rinus*, hoc eſt, *caprinus*, repetitâ ex antecedente voce ſyllabâ *ca*) αἴγιος. Infra: *caprina*, αἴγιον, αἰγεία. In iisdem *Gloſſis*, aliísque Veteribus libris, eſt *collimare* σοχάζεσθαι, quæ vox ſuſpecta eſt nonnullis; qui putant ubique ſcribendum *collineare*, à *linea*, quòd in *Gloſſis* proximè ſequitur. At alii volunt dici *collimare*, quòd id fiat *limis* oculis. Prius defenditur loco *Q Claudii Quadrigarii*, apud *A. Gellium* Lib. IX, 1. quod probat *J. F. Gronovius* in notis ad locum & *Chr. Becmannus*, in Origin. Linguæ Latinæ; poſterius placet *J. G. Voſſio*, in Etymologico. Alterutra opinio erit vera, hinc ſequetur N pro M, aut M pro N multis in locis ſcriptum fuiſſe. Sic *Livius* Lib. II. c. 58. ubi deſcribit contumaciam exercitûs *Ap. Claudio* ægrè parentis, quòd hic ſe plebis Romanæ inimicum profiteretur: *Si citiùs agi vellet agmen, tardiùs ſedulo incedere; ſi adhortator operis adeſſet, omnes ſuâ ſponte* MOTAM *remittere induſtriam.* Imò verò NOTAM, ita ut liquidum eſſet datâ operâ, non naturâ, ſegnes eſſe, quòd alioqui *nota eſſet eorum induſtria.* Sic *Nepos* in Cimone Cap. III. *Confeſtim* NOTÆ *ejus virtutis deſiderium conſequutum eſt.* Sic *Phædrus* Lib. I. Fab. IX. inducit paſtorem ſic adloquentem leporem captum ab aquila:

— *ubi pernicitas*

NOTA, *inquit, illa est? Quid ita cessarunt pedes?*

* *Gaspar Scioppius*, cui debemus, ex parte dispositionem hujusce Sectionis *Criticæ* nostræ, animadvertit etiam in *Critica* sua, sæpe N & M misceri.

3. Sed & alterum exemplum ex *Livio* addemus. Ita ille loquitur Lib. X. c. 25. *Inde nusquam stativa Romanis fuere; negabat* (Q. Fabius Consul) *utile esse uno loco sedere exercitum; itineribus, ac mutatione locorum*, NOBILIOREM, *ac salubriorem esse.* Scribo MOBILIOREM, hoc est, κινητότερον, mutatione enim locorum non fit *nobilior* exercitus, sed *mobilior*; quia adsuetus itineribus faciliùs movetur, quàm qui in præsidiis torpescit. *Curtius* Lib. IV. c. 14. §. 16. ita loquentem Darium inducit: *nostrum* mobile & *expeditum agmen est, illius prædâ grave.*

4. Viciſſim, apud *Sallustium*, in Bello Catilinario Cap. XLIX. occurrit *mobilitas* pro *nobilitate*, ut ante nos animadvertit G. *Scioppius* in *Critica. Nonnulli*, ait Sallustius, *equites Romani qui, præsidii causâ, cum telis erant circa ædem Concordiæ, seu periculi magnitudine, seu animi* mobilitate *impulsi; quò studium suum in Rempublicam clarius esset, egredienti ex Senatu Cæsari gladio minitabantur.* Postrema verba ostendunt *nobilitate* veram esse lectionem. Ceteroqui *mobilitas animi*

* *Adi & Joan. Frid. Gronovium Observ. Lib. I. c. 15.*

mi inconſtantiam ſignificat, cujus incuſari non poterant hi equites; qui antea nec amici Cæſari, nec infenſi Reipublicæ fuerant. Igitur hîc intelligenda ea animi adfectio, quæ nobiles viros deceret. Sic Medea, apud *Ovidium*, Metam. Lib. VII, 44. de Jaſone:

—— *Sed non is vultus in illo,*
Non ea nobilitas *animo eſt, ea gratia formæ,*
Ut timeam fraudem, &c.

Idem Lib. 2. ex Ponto Elegiam II. ita orditur:

Maxime, qui tanti menſuram nominis imples,
Et geminas animi nobilitate *genus.*

Vide etiam ad locum *Salluſtii* quæ habeat vir doctiſſimus *Joſ. Waſſeus.*

5. Quòd ſi M & N miſcentur, multò faciliùs M & IN vel NI, confundi potuerunt, quod reverâ contigiſſe aliquot exempla oſtendent. *Gloſſæ* veteres habent: *Abſtenis*, ἠφάλιος, ὁ ἀπίχων οἶνος. Primùm, pro *Abſtemius* ſcriptum *Abſtemis*, ut eſt in Cod. S. Germani, deinde *Abſtenis*. *Livius* Lib. I. c. 29 ubi deſcribit quâ ratione Romanorum Rex Tullus Albanos Romam tranſtulerit, poſt ſupplicium de *Mettio Suffetio* ſumtum, dum Albanus exercitus inermis ab Romanis armatis cingeretur: *Inter hæc*, inquit in Gronoviana Editione, *jam præmiſſi ALBANI*

erant

erant equites qui multitudinem traducerent Romam. Legiones deinde ductæ, ad diruendam urbem. Non ea erat ſtultitia Tulli, ut Albanos equites mitteret, ad delendam ſuam ipſorum patriam, & ſuos invitos Romam ducendos. Intellige ergo equites Romanos, & lege A L B A M: quemadmodum poſtea animadverti habere alias Editiones. Certè *Dionyſius* Halicarnaſſeus huic lectioni manifeſtò favet, hoc enim ipſum ita deſcribit, Ant. Rom. Lib. III. p. 172. ΕΝ ᾧ ᾗ ταῦτα ἐγίνετο χρόνῳ, Μάρκος Ὁράτιος ὁ προεσταλμένος μετὰ τῶν ἐπιλέκτων ἐπὶ τὴν καθαίρεσιν τῆς Ἄλβας, ταχέως διανύσας τὴν ὁδὸν καὶ καταλαβὼν πύλας τε ἀκλείστους καὶ τεῖχος ἀφύλακτον εὐπετῶς γίνεται τῆς πόλεως κύριος: *inter hæc M. Horatius præmiſſus cum delectis, ad diruendam Albam, celeriter confecto itinere, portas patentes & incuſtodita mœnia occupat, faciléque urbe potitur.*

6. Planè mihi perſuaſi *Lactantii* Lib. II. in præfatione, pro I N poſitum eſſe M. *Geſtio enim*, inquit, *Conſtantine Imp. convictis* M A N I B U S, & *hominum impiâ vanitate detectâ, ſingularis Dei adſerere majeſtatem.* Nam legendum omnino videtur I N A N I-B U S, nempe, *Diis*, qui rectiùs opponuntur *ſingulari Deo*, quàm *manes*; etſi non diffiteor *Lactantium* oſtendiſſe Deos Ethnicorum eſſe *manes*, id eſt, homines mortuos.

7. Aperiam hîc ſuſpicionem de loco celebri *Terentii*, quem ſimiliter corruptum opinor. Is eſt in Phormione Act. II. S. I. verſ. 75 Demipho, auditis filii nuptiis ſe abſente factis, ſtomachans inducitur hiſce verbis;

——— *non*

—— non, non ſic futurum eſt, non poteſt.
Egóne illam cum illo ut patiar nuptam unum diem?
Nihil ſuave MERITUM eſt.

Adi, ſi libet, Interpretes fruſtra in hiſce poſtremis verbis inſudantes; tum verò cum iis quæ legeris confer hanc noſtram conjecturam: *Nihil ſuave* NICITUM *eſt*, hoc eſt, ut beneficium ſuave non eſt, niſi citò fiat: ſic nec ultio grata eſt, niſi cita ſit. Hæc egregiè concordant cum ſuperioribus, in quibus Demipho negat ſe vel unum diem paſſurum filio nuptam eſſe Phanium; habéntque aliquid παροιμιῶδες, quod Græcè non malè dixeris: ἡδὺ μηδὲν, εἰ μὴ ταχύ.

8. Græci Librarii ſimilia frequenter peccarunt, ut viri docti oſtenderunt. Unum atque alterum exemplum proferam, & prius quidem ex *Arriano* Lib. VI. p. 132. Edit. *Henr. Stephani.* Sic loquitur de temeritate Alexandri: ὑπὸ μίνος τε τῦ ἐν ταῖς μάχαις, καὶ τῦ ἐρωτος τῆς δόξης, καθαπερεὶ ΑΛΛΗΣ τινὸς, ἐξηττᾶτο, ὁ καρτερὸς ἦν ἀπέχεσθαι τῶν κινδύνων: *fortitudini in prœliis & amori gloriæ, tamquam alii cuidam, temperare neſcius non poterat abſtinere à periculis.* Manifeſtum quidem mendum eſt, nam ἄλλη nihil hoc in loco ſonat; ſed quid ſcripſerit *Arrianus* non ita liquet. Attamen ſcribendum crediderim ΟΛΚΗΣ, hoc eſt, *adtractioni*, quæ dicitur

* de vi quadam, quâ, veluti occulto pondere, trahimur ad ea quæ ſunt indoli noſtræ conſentanea. Sic voce ὀλκὸς uſus eſt *Plato* Reip. Lib. VII. p. 521. Ed *Stephani*: μάθημα ψυχῆς ὀλκὸν ἀπὸ τῦ γιγνομένυ ἐπὶ τὸ ὄν: *diſciplinam animi* pondus, *quo retrahitur ab eo quod fit ad id quod eſt.* Primùm K reſecto dextro cornu viſum eſt eſſe Λ, deinde cùm ὅλλης nihil ſignificaret, mutatum in ἄλλης, quæ Græca quidem vox eſt, ſed hoc in loco ſenſu caret. Hiſce editis, *Grunnius*, *Arriani* editor, contumelioſè me invaſit, ob tentatam hujus loci emendationem; quia *Suidas*, qui eum, omiſſo nomine Scriptoris, protulit, habet οἱ ἄλλης τινὸς ἡδονῆς ἡττώμενοι *ut ii qui aliâ quapiam voluptate victi ſunt.* Quæ lectio ſi melior judicaretur, non eſſet quod meæ me puderet conjecturæ, quæ eſt propior lectioni omnium MSS. nec ſenſum minùs commodum parit. In conjectura errare licet & labi, non in iis quæ pro imperio aliis imponuntur. Sed me defendit amicus, qui ſe *C. Veratium Philellenem* vocavit, & cujus Epiſtolam inſerui *Bibliothecæ Selectæ* Vol. IX. nec conviciis, quæ repoſuit *Corocotta*, ut ſententiam mutem moveor.

9. Alterum erit ex Conſtitutionibus Apoſtolicis Lib. II. c. 20. ubi de officio Epiſcopi, inter alia habetur, τὸ κατεαγμένον ἐν ἁμαρτίαις εἰς χωλείαν ὀδὲ ΕΠΙΔΕΝΝΩΝ, διὰ παρακλητικῆς νουθεσίας, vertit *Joan. Bap. Cotele-*

* *Vide Henr. Stephanum, ad hanc vocem, in Theſauro.*

telerius : peccatis fractum, ut in via claudicet, vinciens per exhortationem consolatoriam. Attamen, in indice, retinuit eam vocem, quæ Græca non est, & quæ sine dubio est pro ΕΠΙΔΕΣΜΩΝ, *ligans.* Sic in loco Ezechielis XXXIV. qui adfertur ejusdem libri Cap. XVIII. συντετριμμένων ὐ κατιδήσατε, *fractam ovem non ligastis.* Sic & Cap. XLI. eadem de re : μὴ μόνον τέμνων ἢ καίων, ἢ ξηρία προσφέρων, ἀλλὰ καὶ ἐπιδισμῶν, καὶ μοτῶν, καὶ ἐπιλς γλυκέα φάρμακα ἐπιλυτικὰ, καὶ καταβρέχων λόγοις παρακλητικοῖς : *non solùm secans, aut urens, aut sicca & mordacia remedia adhibens ; verùm etiam adligans, & linamentum indens & immittens pharmaca lenia, & detergentia, ac irrigans verbis consolationis.*

10. Apud Hebræos, valde adfines sunt litteræ ב & כ, *beth* & *caph*, ג & נ, *gimel* & *nun*, ז & ו, *zajin* & *vau*, ד & ר, *daleth* & *resch*, nec multùm inter se differunt צ & ץ, *tsade* & *hajin.* Itaque mirum esset numquam inter se à Librariis mistas. Certè sunt exempla cùm in Judaïco, tum in Samaritico Pentatéucho, ex quibus liquet Librarios sæpe eas confudisse. Sic Gen. X, 4. qui dicuntur in Judaïcis exemplaribus דודנים *dodanim*, in Samariticis, ut & 1. Paral. I, 7. dicuntur רודנים *rodanim*, quam posteriorem lectionem veram judicavit *Sam. Bochartus.* At nos priorem, non sine gravi ratione, prætulimus. Sic Gen. XLIX, 10. pro ורגליו raglau, *pedibus ejus*, Samarita habet והגליו daglau *vexillis ejus*, quod me-

melius visum viro doctissimo *Jobo Ludolfo*; ut testatur in singulari Diatribe, quam de hoc loco edidit. Neque nos ab hac sententia abhorremus, quamvis ceteroqui Judaïcum Codicem Samaritico præferamus. Possent & alia plura exempla proferri, sed nos indicem variarum lectionum non scribimus, & adlata quod diximus satis confirmant. Quisquis talia avebit *Lud. Cappelli* Criticam Sacram adeat, quæ sat multa suppeditabit, per omnes litteras Alphabethi.

10. Potuissemus etiam in aliis Linguis similes alias inter se litteras conferre, ut fecit *Joan. Passeratius* in libro *de Litterarum inter se cognatione & permutatione*; quem sequutus est *Gasp. Scioppius*, in sua *Critica*; sed necesse esse non judicavimus, cùm paucis exemplis res æquè demonstretur ac pluribus, præterquam quòd & alia in sequentibus adferentur.

CAPUT V.

De Mendis ex Dictantis negligentia ortis.

3. quòd omiserit quæ erant inter eamdem vocem repetitam, aut in alio verborum situ.

1. DUM varia opuscula, quæ cùm Gallicè, tum Latinè ab hisce viginti quinque pluribus annis edidi, ipse corrigerem; in

in ſpeciminibus, quæ madida à prælo ad me adferebantur, ſæpiſſimè animadverti Typothetam omiſiſſe quæ erant inter eamdem vocem interpoſita, ſi repeteretur in altero verſu; aut etiam, ſine ulla ejuſmodi occaſione, voces aliquot præteriiſſe. Non ſemel hoc in animum revocavit quæ legeram, apud viros eruditos, de omiſſionibus in Veterum monumentis, quas eodem modo contigiſſe credibile eſt. Qui dictabat, nimirum, interdum aliud agens, amotis oculis à libro ex quo dictabat, cum oculos denuo ad exemplar ſuum converteret, & incideret in vocem ad quam dictaſſe ſe ſciebat, ab illa iterum incipiebat dictare, non animadvertens eam repeti, adeóque omittebat quidquid interceſſerat. Poterant & innumera alia incidere, quæ, dum interpellarent Dictantis animum, faciebant ut quidpiam omitteret.

2. *Livius* Lib. X. c. 14. ubi deſcribit acerrimum prælium à Romanis cum Samnitibus commiſſum; ait Q. Fabium Maximum Conſulem, cùm vidiſſet ne vim quidem Equitum quidquam profeciſſe, ratione graſſandum eſſe ratum; itaque juſſiſſe Scipionem legatum haſtatos primæ legionis ſubtrahere ex acie, & ad montes proximos, quàm poſſet occultiſſimè, circumducere. In medio verò pugnæ ardore, *improviſa*, inquit, *ex montibus ſigna, clamórque ſublatus non vero tantùm metu terruere Samnitium animos.* Lego *non vero tantùm* MOTOS *metu terruere Samnitium animos.* Hoc vult *Livius*, Samnites & adverſùs legiones, & adverſùs incitatas turmas im-

motos ſtetiſſe, quamvis vera eſſet metuendi cauſa; nec tantùm timuiſſe, quantùm falſo illo metu pauculorum haſtatorum. *Motos* videtur omiſſùm, quia qui dictabat, animo non ſatis adtento, aut errantibus oculis, hanc vocem miſcuit cum ſequente *metu*. At ſenſus eam, aut ſimilem poſtulat; nam frigidum eſt dicere ſigna Romana in montibus proſpecta terruiſſe Samnites, *non tantùm vero*, ſed etiam falſo, *metu*. Quis credat *Livium*, Scriptorem nequaquam languentem aut frigidum, præſertim in pugnarum deſcriptionibus, ita loquutum? Profectò hoc noluit, ſed Samnitium animos non uſque adeò motos fuiſſe ſignis inſeſtis legionum, aut equeſtri procellâ, quâ eorum ordines turbare conatus erat Fabius, quibus non ſine ratione terreri potuiſſent; quàm falſo illo metu, quem pauci haſtati iis injecerunt. Hoc ſequentia oſtendunt: *nam & Fabius Decium collegam adpropinquare exclamavit, & pro ſe quiſque miles odeſſe alterum Conſulem, adeſſe legiones gaudio alacres fremunt; errórque utilis Romanis oblatus fugæ, formidinísque Samnites implevit, MAXIME TERRITOS ne ab altero exercitu integro, intactóque feſſi opprimerentur.*

3. Omiſſionis inſigne exemplum proferemus ex *Theophraſti* Characteribus, è ſimilitudine duarum vocum ortæ, quam mirum eſt *Iſ. Caſaubonum* ſupplere non potuiſſe, cùm ſit res facilis & clara. Locus eſt Cap. XV. in ἀναισθησίας charactere. γέλως τῦ Διὸς ἐπιτῶν, ἢ δὲ

ἡδύ γε τοῦ ἄστρων νομίζειν, ὅτι ὃ καὶ οἱ ἄλλοι λέγουσι ** πίσσης : ad verbum : *pluente Jove, dicere* (ſolet) *ſuave aſtrorum putat, quia & alii dicunt* ** *pice.* Deſcribit *Theophraſtus* hominem, qui adeò vecors eſt, ut neſciat pænquid dicat, & contraria iis quæ videt blateè ret, quaſi deliraret, ſicut antecedentia legenti liquebit. Igitur ſuppleverim : ἡδύ γε τοῦ ἄστρων ΦΩΣ. ΚΑΙ ΝΥΚΤΑ ΑΙΘΡΙΑΝ νομίζειΝ, ΗΝΤΙΝΑ οἱ ἄλλοι λέγουσι ΜΕΛΑΝΤΕΡΑΝ πίσσης : *jucunda eſt aſtrorum lux ; & ſerenam noctem putare, quam alii dicunt pice atriorem.* Quatuor priora verba omiſſa videntur à dictante, qui vagantibus oculis miſcuit vocem ΑΙΘΡΙΑΝ cum ΑΣΤΡΩΝ, & cùm κῶλον dictaſſet ad vocem ἄστρων, transvolavit interjectas dictiones. Illis corruptis, cetera minùs fortè eleganti manu ſcripta facilè poſteriores exſcriptores, cùm ſenſus eos non juvaret, fefellerunt. *Valerius Flaccus* Lib. 617, 622. egregiè deſcribit *piceam noctem.* Eum vide.

4. Ut ſupplementi noſtri ſingulas partes confirmemus, poſtquàm vidimus mentionem fieri *pluentis Jovis*, facile eſt intelligere ei opponi ſerenum cœlum, & quidem, ſi de nocte ſermo ſit, ut eſt hîc ſine dubio, niſi aſtra interdiu fulgere putemus; ἡδύ γε ἄστρων, *jucundum aſtrorum*..... Quid tandem? Φῶς, *lumen*, nullâ enim aliâ re ſtellæ jucundæ ſunt. At qualem noctem eſſe oportet, ut lux aſtrorum fulgeat? Nimirum, αἰθρίαν,

ſerenam, nam αἴθριος Ζεὺς opponitur τῷ ὕοντι. *Theocritus* Idyll. IV.

> Χ' ὠ Ζεὺς ἄλλοκα μὲν πίλνει αἴθρι@, ἄλλοκα δ' ὖει.
> *Jupiter interdum ſerenus eſt, interdum verò pluit.*

Pro νομίζει ſcribere neceſſariò oportet νομίζειν, ut εἰπεῖν, nam ſolet hæc omnia *Theophraſtus* infinitivo exprimere, ſubauditis vocibus δεινὸς, aut οἷο@. Ἥντινα legimus, pro vocibus nihili ὅτι δὴ καὶ, ita poſtulante orationis ſerie.

Denique μιλανείραν ſupplevimus, ob vocem πίσσης, cùm ex ipſa rei natura, tum quia Græci ita loqui ſolebant. Sic *Homerus* de paſtore tempeſtatem proſpectante, Iliad. Δ verſ. 275.

> Ὡς δ' ὅτ' ἀπὸ σκοπιῆς εἶδεν νέφος αἰπολ@ ἀνὴρ
> Ἐρχόμενον κατὰ πόντον, ὑπὸ ζεφύροιο ἰωῆς,
> Τῷδέ τ' ἄνευθεν ἐόντι μιλάντερον, ἠύτε πίσσα,
> Φαίνεται.

Quemadmodum è ſpecula videt nubem paſtor, venientem per mare à Zephyri flatu, eíque ſtanti procul nigra ceu pix adparet. Sic loquuntur & Latini, ut *Ovidius*, in Ep. Leandri ad Heronem, verſ. 7.

Ipſa

Ipſa vides cœlum pice nigrius, & *freta ventis*
Turbida, pérque cavas vix adeunda rates.

Alia exempla quærent, & invenient quibus vacabit.

5. Alterum etiam *Theophraſti* locum obiter ſupplebimus, è Cap. XXVII. in fine characteris ὀψιμαθὴς, ubi legimus: καὶ παλαίων, ἐν τῷ βαλανείῳ πυκνὰ τὴν ἕδραν σείων. Legendum καὶ ὥσπερ παλαί..ν, & *quaſi luctans, nates in balneo ſubinde vertit.* Luctando, nempe, neceſſariò totum corpus contorquebant, atque hinc inde cum reliquo corpore nates ἔσειον; at in balneo nihil cogebat, & turpe erat. Abſurdè *Caſaubonus*: *idem luctans & in balneo lavans nates ſubinde agitat indecenter.* Etenim nec ſenes luctabantur, nec qui luctabantur poterant à torquendis natibus abſtinere.

6. Omiſſionis, ex repetitione earumdem vocum natæ, exemplum memorabile eſt in verſione *Hieronymi* Joſ. V, 6. *Per quadraginta annos itineris latiſſimæ ſolitudinis incircumciſus fuit, donec conſumerentur, qui non audierant vocem Domini & quibus antè juraverat, ut non oſtenderet iis* terram *lacte & melle manantem.* Omiſſum eſt poſt vocem terram: *quam juraverat Dominus patribus eorum dare nobis, terram*; ἣν ὤμοσε κύριος τοῖς πατράσιν αὐτῶν δοῦναι ἡμῖν γῆν: ארץ אשר נשבע יהוה לאבותם לתת לנו ארץ propter repetitionem, nimirum, vocis ארץ *terram.*

7. Similem omiſſionem animadvertit *Hieronymus* Eſai. Cap. XL, 7. in Verſione LXX. Intt. ubi is verſus, ob repetitionem earumdem vocum, excidit: יבש חציר נבל ציץ *exſiccatum eſt fœnum, cecidit flos, quia Spiritus Domini ſufflavit in eo. Verè fœnum eſt populus*; ſequitur enim iterum: יבש חציר נבל ציץ *exſiccatum eſt fœnum, cecidit flos* &c. ad quem locum ſic *Hieronymus*, col. 302. Ed. Pariſinæ Benedictinorum: *Hoc quod aſteriſcis notatur*: quia Spiritus Dei flavit in eo, verè fœnum eſt populus, aruit fœnum, cecidit flos, *ex Hebraico & Theodotionis editione additum eſt. Ex quo manifeſtum eſt, vel à* LXX. *prætermiſſum, vel paullatim Scriptorum vitio abolitum, dum prior* & ſequens verſus finitur in *flore*. Sed verba omiſſa non ſatis adcuratè notavit: omiſſio enim orta eſt ex ſimili initio, non ex ſimili fine, ut animadvertent qui locum inſpicient. Hîc mirari ſubit Complutenſium impudentiam, qui hunc verſum ſupplerunt ex ingenio, ut paſſim. Abeſt etiam à Codicibus Romano & Alexandrino.

8. Sed & alteram omiſſionem idem notavit Jerem. Cap. XXX, 15. Sic habent verba Prophetæ, ex tranſlatione *Hieronymi*. 14. *Omnes amatores tui obliti ſunt tui, téque non quærent, plagâ enim inimici percuſſi te, caſtigatione crudeli*; PROPTER *multitudinem iniquitatis tuæ, dura facta ſunt peccata* TUA. 15. *Quid clamas ſuper contritione tua? inſanabilis eſt dolor tuus*; PROPTER *multitudinem iniquitatis tuæ, dura facta ſunt peccata* TUA. In quæ verba ita ſcribit *Hieronymus*

nymus col. 673. *Quódque ſequitur* : quid clamas ſuper contritione tua , &c. *in LXX. non habetur* ; *videlicet* , *quia ſecundò dicitur* , propter multitudinem , *&c.* & *qui ſcribebant à principio additum putaverunt.* Hinc diſcere eſt exemplaria Græca , quæ hunc verſum habent , eum ex alia editione habere.

9. Eadem prorſus de cauſa , in ipſo Textu Hebraïco , Joſ. XXI , 36 , & 37. in antiquis multis exemplaribus , deerant. Enumerantur illic aſyla è variis Tribubus , & verſus quidem 35. ita deſinit : *urbes quatuor* , Hebraïcè , ערים ארבע. Sequebatur verò , ut res ipſa oſtendit , & liquet ex 1. Paral. VI , 78 , 79. *Et de Tribu Ruben* , *Betſer & ejus ſuburbana* , *& Jahtſa & ejus ſuburbana* ; *Cademoth & ſuburbana ejus* , *Mephahath & ſuburbana ejus* , *urbes quatuor* ערים ארבע. Quarum duarum poſtremarum vocum repetitione , factum eſt ut Librarii verſus 36. & 37. omiſerint. Maſſora eos deſideratos oſtendit , in antiquis Codicibus , ut & *R. David Kimchi* ; nec eos verterat olim *Hieronymus* , ut liquet ex antiquiſſimis ejus verſionis exemplaribus. Attamen eſſe oportere locus Paralipoménon indicatus , & verſio LXX. Intt. oſtendunt , ne rem ipſam adtingam. At poſſunt eſſe loca hiulca , ab antiquiſſimis temporibus , ſimili de cauſa ; quorum tamen hiatum deprehendere , aut ſupplere aliunde non licet.

10. Sic 1. Paral. XXIV , 6. in Chaldæo Interprete aliquot verba , propter repetitionem excidiſſe ad eum locum notavimus. Sed & in ipſo contextu Hebraïco ſimile quid videri con-

tigisse ad 1. Reg. VII, 15. & 2. Par. IV. 16 observavimus. Quæ loca adibit Lector, si libeat, & quæ ad ea dixerimus videbit; neque enim hîc repetere visum est.

CAPUT VI.

De Mendis ortis ex imperitia aut negligentia Dictantis; 4. quòd malè pronunciaret.

1. PRAVA Dictantis pronunciatio permulta Menda parere potuit, & reverâ peperit; quod multis rationibus contigit, quarum præcipuas aliquot hîc indicasse satis erit. I. Dictantes sæpe miscebant vocales inter se & consonantes, ut cum Hebræis Grammaticis loquar, *ejusdem organi*. II. Fines vocum non satis distinctè pronunciabant, nec à sequentibus satis dictando sejungebant; quo factum ut litteræ ultimæ, aut primæ vocum omitterentur, aut non satis clarè à scribentibus audirentur; vel etiam separabant syllabas conjungendas. III Adspirationes aliquando omittebantur, aut addebantur.

2. I. Tribus verbis hîc dicendum est, in eorum gratiam qui Hebraïcè nescium, non in Hebraïca tantùm Lingua, sed & in reliquis omnibus, litteras posse in certa genera dividi, pro organis, quibus potissimùm efferuntur. *Gutturales* dici possunt A, E, I, O, U, Y vocales, cum adspiratione H; *Labiales* sunt B, F, M, P, PH, V; *Palatinæ* C ante A &

& O, G, J, K, Q; *Dentales*, D, L, N, T & TH; *Linguales* R, S, Z, X, C ante E & I, & T ante I. Quemadmodum autem, apud Orientales, ſæpe miſcentur litteræ ejuſdem organi: idem etiam inter pronunciandum fit, apud alias Gentes, quamvis fortè paullò infrequentiùs. Exempli cauſâ, apud Latinos, ſæpe miſcebantur B, F, P & V. inter pronunciandum, ut cùm ex MSS veteribusque Editionibus, tum etiam ex mendis adparet. *Joan. Paſſeratius*, Profeſſor olim Regius eloquentiæ, in Academia Pariſienſi, vir elegantiſſimi ingenii, hæc & ſimilia anno 1606. oſtendit, in libello *de Litterarum inter ſe cognatione ac permutatione*; quem, niſi his iterum editis, videre non contigit. Multa etiam hanc in rem animadvertit *Gul. Canterus*, in Syntagm. *de Ratione emendandi Græcos auctores*, Antverpiæ anno 1571. iterum edito. Sed & varia hanc in rem habet *Gaſp. Sciappius*, in *Critica*.

3. Edidit, ut antea diximus, *Henr. Stephanus*, ad calcem ſui *Theſauri*, Gloſſaria; ex quibus atque *Iſidori* Gloſſis, in noſtrum uſum, multa exempla collegimus permutationis litterarum ſono adfinium, ſive *ejuſdem organi*; ex quibus exemplis, paucula tantùm proferemus. Primùm quidem vocales, & diphthongi cùm in Latinis, tum etiam potiſſimùm in Græcis, paſſim miſcentur; quòd facillimum ſit unam pro altera, titubante linguâ, efferre; aut, aure non ſatis adtentâ, audire. Exempli gratiâ, A eſt pro AE, in his verbis: *Abaci*, *delfica*, μνιστήριον, ὡς Ἰνδικάλιος.

Legendum *Delphicæ* & μνησηρίυ. * Nam *abaci* est in Genitivo, etiam apud *Juvenalem*, Sat. III. vers. 24. ubi vide Scholiasten. Est pro E, in his verbis: *Jantaculum*, ἀχρατισμὸς. *Janto*, ἀχρατίζω. Est pro I, in *Instata*, *superaria*, ἐπινδύτης, nam legendum *instita* ex Cod. *S. Germani*; & in *Monator*, σημαντὴρ, ubi idem Codex docet legendum *monitor*, ut & res ipsa. Est pro O, in *Despalat*, διασπᾷ, pro *despoliat*. Est pro U, in *Pallatus*, μιλανείμων, legendum enim *pullatus*. Similia, de singulis vocalibus & diphthongis Latinis, possemus proferre.

4. Non minor est confusio in Græcis, imò major, quòd soni trium vocalium, & plurium diphthongorum non multùm, in Græca Lingua, diversi essent. H, nempe, I, & Y, sono valde erant adfinia; diphthongíque AI, AY, EI, EY, HY, OI, & YI pænè idem sonabant auribus parum adtentis, aut si minùs distinctè pronunciarentur. Hinc fit ut & inter se, & cum tribus memoratis litteris, in antiquissimis MSS. misceantur. AI sæpe quoque confunditur cum E, non secus ac AE apud Latinos. Qui tractarunt Codices MSS. norunt verissimum esse quod dico. MS. Codex *Alexandrinus* Bibliorum, qui in Bibliotheca Regia Londinensi servatur, & antiquissimus fortè est omnium MSS. Codd. qui

* *Sic emendatum postea vidi à Joan. Meursio in Lexico Græco-barbar. in voce* μνησάριον.

qui exstant, aut certè inter antiquissimos, ejusmodi mendis passim laborat, ut testati sunt qui * Oxonii Librum Psalmorum, ex eo Codice, ediderunt. Sed & aliquot exempla ex Glossis sunt addenda.

5. H. frequentissimè scribitur pro I. Sic *Abbatissa* vertitur Ἀ*ρχιμανδρίτης*, pro *ἀρχιμανδρῖτις*, nam prius Cœnobii præfectum, vel Abbatem significat. *Circus* dicitur esse avis, *μεταβληθείσης τ᾽ Σκύλλης τῦ νήσυ Μεγαρίων*, *mutatâ Scylla Nisi* (legendum Νίσυ) *Megarensium Regis.* Pro Υ similiter occurrit, ut *Aspersérit* *προσκλήσῃ*, pro *προσκλύσῃ*: *Ad limina*, *θηρωροὶ* pro *θυρωροί*. Ι vice versâ loco Η legitur, ut *Prœli*, *λινῦ*, pro *ληνῦ*: *Antruare*, *στιλιῦσαι*, pro *στηλιῦσαι*: *Nuptiles* (L. *Nuptiales*) *γαμίλης*, *γαμίλιοι*. Υ cum Ι miscent Grammatici, cùm *κῦτος* idem ac *κῆτος* esse censent. *Phavorinus*: Κῦτος, *ὄγκος*, *χώρημα*, *βάθος*, *πλάτος*, *σῶμα*: *moles*, *spatium*, *profunditas*, *latitudo*, *corpus*. Idem: Κῆτος *ἀπὸ τῦ κῆτος* (lege *κῦτος*) *τὸ πλάτος*. *ὡς τ᾽ ὄμπαλιν ἀπὸ τῦ ἵσημι σῆλος καὶ σύλος*. Adi & Etymologicum Magnum, in Ἁλμυρὸς, quod dicitur *ἀπὸ τ῀ ἁλμῆς* pro *ἁλμηρός*. Vide quoque quæ habet in Ἄλυς, & in Ἄτρυτα Hinc factum ut permulta menda, ex harum litterarum & diphthongorum mutatione orta, sint etiamnum in veteribus editionibus Venetis & Basileen-

* *Anno* 1678.

leenſibus Scriptorum Græcorum, quæ ex MSS. Codd. exſcriptæ ſunt. Editio *Joſephi* Frobeniana iis ſcatet, quæ & improvide in Genevenſes Editiones ſunt transfuſæ. Similia, in aliis, paſſim animadvertent ſtudioſi.

6. Plura harum mutationum exempla congeſſit vir doctus *J. Rod. Wetſtenius*, in Orationibus de Pronunciatione Linguæ Græcæ; ut vidi, cùm ſuperiora jam eſſent ſcripta. Idem etiam multis oſtendit Diphthongorum eſſe frequentiſſimam confuſionem; quo fiet ut ne actum agamus, cùm præſertim ſit è re noſtra ſi conſulatur; quoniam ea quæ dicta ſunt, de confuſione vocalium & diphthongorum, partim nituntur ea ſententia de illarum pronunciatione, quam propugnat vir eruditus. Addam hîc tria exempla vocum ideò corruptarum. Sic *Galenus* Comment. 1. in Lib. *Hippocratis* de natura Hominis, ad text. 41. T. III. Ed. Charterianæ p. 125. obſervat pro ὀφείλει, *oportet*, *neceſſe eſt*, legi in aliis φιλεῖ, *ſolet*, quod ipſe interpretatur προσήκει. *Herodianus* Lib 1. c. 8. §. 11. poſtquàm narravit Hemam urbem, in Alpibus ſitam, vacuam ac incenſam relictam ab incolis, eámque ingreſſos Maximini milites, addit, διανυκτερεύσαντες ἔν οἱ μὲν ἐν τῇ πόλει, ἐν ἀθύροις καὶ κοιναῖς πάντων οἰκίαις, οἱ δ' ἐν τῷ πεδίῳ καὶ τὰ ἑξῆς: vertit *Politianus* in hunc modum: *cúmque noctem exegiſſent partim intra patentes, communésque omnibus domos, partim in planitie* &c. Legendum κεναῖς, vertendùmque *vacuas omnibus domos*. *Julianus* Imp. in Ep. ad Judæos,

dæos, quæ eſt XXV, ita loquitur de Jeroſolima : ἐμοῖς καμάτοις ἀνοικοδομήσας οἰκήσω : *meis laboribus refectam incolam* ; imò verò οἰκίσω, *incolis inſtruam*, neque enim *Julianus* habitare cupiebat Jeroſolimæ, qui minimè erat Judæus ; nec Judæis ea in re gratificari volebat, niſi ut Chriſtianis mœrorem crearet.

7. Apud Orientales, litteræ, quæ *gutturales* dicuntur, & quas nonnulli ſuſpicati ſunt vocalium loco olim fuiſſe (quibus tamen non adſentior) paſſim etiam inter ſe miſcentur, ut docent Grammatici, ſine dubio ob ſoni adfinitatem. Idem oſtendunt de litteris *quieſcentibus*, quarum duæ ſunt etiam gutturales. Animadvertere hoc licet, non modò in Judaïco Codice, in quo eædem voces, non ſemper uno modo, ſcribuntur ; ſed etiam ex Samaritici cum eo collatione. Exempli gratiâ, א & ה, in fine verborum *quieſcentes*, ſæpe miſcentur, ut ברה & ברא, פלה & פלא, קרה, & קרא & ſimilia. Sed & quæ ſcribuntur per א in Judaico Codice, leguntur exarata per ח in Samaritico & viciſſim, imò etiam per ח & per ע. Non exigui eſt momenti hæc diligenter obſervare, in Linguis Orientalibus : quia ſæpe ex ea animadverſione pendet cognitio ſenſûs locorum, qui fruſtra alioqui quæritur. Sic * oſtendimus ad Gen. XXXVI, 24. ex collatione Codicis Samaritici cum Hebraïco, הימים in eo loco debere legi *hemim*, non *hajjemim*, cùm Samaritæ ha-

* *In Comment. Philologico.*

habeant אימים *emim*; quo posito, nulla ampliùs est difficultas, in eo loco, qui omnes Interpretes exercitos habuit.

8. Indidem etiam intellexi, quod me fugerat cùm primùm ederem Commentarium in Exodum, & quod etiam fugit *Edm. Castellum*, virum doctissimum, quid sentiant Samaritæ de coloribus lapillorum pectoralis Aharonis. Interpres Samariticus primum ordinem lapillorum his nominibus exprimit: כמוק כמק כמקמק *samok*, *samak*, *samakmak*, hoc est, *rubrum*, *rubicundiorem*, *rubicundissimum*; secundum verò hisce: חכום חכם חכמכם, *hhachom*, *hhacham*, *hhachamcham*, quæ nomina quid significarent tum demum vidi, cùm in animum venit Samaritas pro אכם, quod, apud Chaldæos, sonat *niger fuit*, dicere חכם, quòd frequentissimè א & ח confundant. Tertium ordinem vult *lutei* coloris fuisse, quartum ita exprimit עוור ואבר עברבר *havar* & *abar habarbar*, quod verbum idem est ac Chaldaïcum חור *hhour*, albus fuit, nam miscentur *y* & ח. Observandum, in hisce vocibus, etiam confundi *y* & א, & ו cum ב. De re ipsa alibi agemus.

9. Non multò minùs miscentur, in aliis Linguis, consonantes ejusdem *organi* à Librariis, ob soni adfinitatem, quod videtur potissimùm ortum ex parum adcurata dictantium pronunciatione, & quod exemplis est demonstrandum. Sed ne, in re clara, æquo longiores simus, unius tantùm *organi* consonantes, inter se comparabimus. Diximus labiales esse B, F, M, P, PH, & V consonan-

nantem; conſtat autem, Innumeris exemplis, eas à Librariis permiſtas fuiſſe.

10. B loco M poſitum eſt, in voce *ſubmanum*, in Gloſſis: Κεραυνοβόλιον ἀπὸ πρωΐ νυκτερινὸν, *fulgur ſubmanum.* Dicebant Romani *ſummanum.* * *Plinius* auctor eſt à Romanis *fulmina diurna* tributa *Jovi*, *nocturna Summano.* Similia docet *Feſtus*, in *Provorſum.* Igitur verè † *Claud. Salmaſius* emendandum cenſuit *ſummanum.* At Gloſſarum Scriptor, cùm legiſſet *ſubmanum*, credidit compoſitum eſſe ex *ſub* &, *mane*, perperam, unde ἀπὸ πρωΐ vertit.

11. Idem *Salmaſius*, in Solinianis Exercitationibus, non ſemel animadvertit frequentiſſimum eſſe § Latinis Librariis M & B invicem permutare, in ſcribendo. Exempla autem hæc profert. Apud *Arnobium*, *formas* pro *Phorbas*; *Cumamum*, pro *Cubabo*; *Maſcauda*, *baſcauda*; μύρμηξ, βύρμηξ; μάσκα, βάσκα, quibus innumera alia ſimilia eſſe ait.

12. Idem vir ſummus ‡ animadvertit quoque Librarios ſæpe confundere B cum P; quo intellecto, feliciſſimè emendat *Juſtini* locum Lib. XLIV. c. 1. de fluviis Hiſpaniæ: *plerique etiam divites auro*, *quod in* paludibus *vehunt.* Legit *balucibus*, quæ vox auri ramenta ſonat, ut oſtendit. Idem etiam ſuſtulit, in hac ipſa voce, mendum apud *Martialem* Lib. XII. Epig. 57. ubi legitur:

Illinc

* *Lib. II. c. 53.* † *In Solin. pag. 804. Ed. Ultr.*

§ *Pag. 284. & 923. utrobique Col. I.* ‡ *Pag. 196. col. I.*

Illinc paludis *malleator Hiſpanæ*
Tritum, nitenti fuſte, verberat ſaxum.

Emendandum liquet *balucis*, ut jam, ante *Salmaſium*, viderat *Adrian. Turnebus.* Sic quoque populi Thraciæ, qui *Herodoto Briantes* dicuntur, ſunt *Plinio* & *Solino Priantes.* In *Gloſſis*: *Captura*, ἐμβολὴ, pro ἐμπολὴ, quod *lucrum* ſonat. Simili de cauſa, *Galenus* in Comment. IV. Libri *Hippocratis* de articulis, text. 12. dubitat an calceamenti genus, cujus meminit, dicendum ſit πηλοπατίδες, vel πηλοβατίδες. Εἰ μὲν, inquit, διὰ τοῦ Π γράφοιτο πηλοπατίδες διὰ τὸ πατεῖσθαι τὸν πηλὸν ὑπ' αὐτῶν, εἰ δὲ διὰ τοῦ Β πηλοβατίδες, ἐπειδὴ βαίνειν ἀσφαλῶς ἐν πηλῷ δυνατόν ἐστι τοῖς ὑποδεδιμένοισι τοιοῦτον ὑπόδημα. Poſterius videtur verius, certè Analogiæ convenientius eſt.

13. Nihil eſt frequentius * in MSS. quàm confuſio B & V conſonantis. Centies occurrit in Veteribus *Gloſſis*, ubi legas *Benditorem*, *Benenum*, *Berbenam*, *Berbicem*, *Bibium*, *Cabernum*, *Cabillationem*, *Ablatibum*, *Abum*, &c. Hinc emendandum viderunt viri docti locum, in *Iſidori Gloſſis*, ubi ita legimus: *Nibita*, *aqua ex nubibus facta.* Manifeſtò legendum: *nivata*, *aqua ex nivibus facta.* Quin & B, pro U vocali, in prioribus illis Gloſſis, legitur. *Abetuarium*, ἐπίμετρον, pro *Au-*

* *Vide Joſ. Scaligeri Conject. in Varron. p.* 38. *Ed. Pariſ. anni.* 1565.

pro *Auctuarium.* Primum *c*, mutatum fuit in *e*, *avetuarium*; deinde *Dictator* librarius, Vaſconico more, pronuncians V inſtar B fecit *abetuarium*, ut ſæpe ex uno mendo natum alterum. Hinc Veteres quidam Grammatici Latini ſeorſim ſcripſerunt de B & V. ut docerent Librarios, in quibus ſyllabis occurrerent; ut *Martyrius*, quem legi vult *Caſſiodorus* à Monachis *Antiquariorum*, hoc eſt, Librariorum artem exculturis, Divin. Lect. Cap. XXX. ejúſque Operis Epitomen habet in *Orthographiæ* Capp. V, VI, VII, VIII, Nec ipſe omni errore vacat *Adamantius*, qui *balvam* vult ſcribi quod *balbam* ſcribimus, (ubi profert locum *Perſii*, quem ſic ſcribit *balva de nare loquutus*) & *valbas*, quas *valvas* vocamus.

14. F pro PH frequenter occurrit, ut in *Gloſſis*, *Epiſonema*, *Filoſofia*, &c. & P pro F, ut in iiſdem: ξανθεία, *pucatrix*, ubi legendum *fucatrix*, ut rectè conjecit *Bon. Vulcanius*; *ſulpor vivum*, θεῖον ἄπυρον, id eſt, *ſulfur vivum.* Sic & paſſim ſcribitur *triumphus* pro *triumfo*, quod eſt à θρίαμβος, ac proinde debet ſcribi *triumfus*, cùm φ non ſit in Græca voce, neque ſit Latina littera. Sic in Pandectis Florentinis, conſtat ſcriptum eſſe *triumfator*; nec deſunt Inſcriptiones, in quibus ſimilis orthographia cernitur. Antiquiſſimi Romani dicebant *triumpum*, mutaro B in P. Sed tempore *Ciceronis*, mutata jam erat pronunciatio, ut liquet ex *Oratoris* C. 48. Simili de ratione ſcribendum videtur

tropæum, aut *trofæum* ἀπὸ τῆς τροπαίας, non *trophæum*, quod neque Græcum, neque Latinum eſt. Malim more Græco *tropæum* ſcribere, cum Gloſſographo, Vetuſtísque Codicibus, & Inſcriptionibus: quemadmodum etiam cenſuit *G. Joan. Voſſius*, in Etymologico.

15. M pro B occurrit in Gloſſis, ubi eſt *Ummilicus*, ὀμφαλὸς ἀνθρώπου. *Ummo*, ὀμφαλός. Hæc permutatio frequentiſſima eſt in Etymologiis, verùm hîc, non mutationes litterarum Etymologicas; ſed, ex Librariorum dictantium mala pronunciatione, exortas ſpectamus.

16. P pro B non rarò legitur, ut in *Gloſſis*: κυδαῖος ἄρτος, *ciparius*, pro *cibario*; *Scoba*, κοσμητήριον, pro *Scopa*; *Calpitur*, ἐξαπατᾷ, pro *calbitur*, aut *calvitur*. Scriptum etiam pro V conſonante, ut *Impaſtis* (id eſt, *inveſtis*) *impubes*, ἄφθορος: *Paſſacriarium*, ὑδρία, pro *Vas aquearium*.

17. Quemadmodum B ponitur pro V, ſic & V pro B. *Gloſſæ* veteres: *Acerva uva*, ὄμφαξ. *Acervatio*, σφοδρότης. *Acervitas*, δριμύτης. *Acervo*, δεινοποιῶ. *Acervus*, δεινός. *Caccavum*, χύτρα. *Valbus*, ψιλλος. *Valbucio*, ψιλλίζω. *Vitumen*, ἄσφαλτος. V etiam occurrit pro F, in iisdem *Gloſſis*: *Vita Deûm immortalium*, ὦ πόποι, ἐκφώνησις ἀρχαϊκὴ, ὡς Κάτων. Scripſerat Cato: *fidem Deûm immortalium*, vel, *proh fidem*, &c. Sed pro F auditum eſt à Librario V, & pro D in ſequente ſyllaba T, unde factum *vitem*, quod cùm

cùm planè abſurdum eſſet, ab indocto homine mutatum in *vita*, quia videbat in Scriptura per Deum *vivum* jurari. V pro P aliquando etiam legitur; ut *Stivo*, στοιβάζω; pro *ſtipo*.

18. Hæc exempla ſatis oſtendunt litteras ejuſdem *organi* facilè inter ſe miſceri à Librariis; nam quod de *labialibus* demonſtratum eſt, id de ceteris quoque litterarum claſſibus facilè poſſet oſtendi. Quin etiam *Joan. Paſſeratius*, in libro de cognatione & permutatione litterarum, *Guil. Canterus*, de ratione emendandi Græcos Auctores, *Gaſp. Scioppius* in *Arte Critica*, & *Claud. Dauſquius* Lib. I. *Orthographicorum*, affatim exemplorum ſuppeditabunt, ſi neceſſe ſit; quamvis non ſatis adtenderint litterarum adfinitatem, & aliam viam iniverint. Igitur non modò in inquirenda vocum origine, ratio habenda eſt litterarum adfinium; ſed etiam in inveſtiganda vera lectione locorum corruptorum, cùm eas à Librariis tam frequenter inter ſe miſceri conſtet.

19. II. Ad alterum *Dictantium* vitium transimus, quo fiebat ut finem vocum non ſatis diſtinctè pronunciarent, unde orta ſunt graviſſima menda. Nam aut litteræ propterea omiſſæ ſunt à ſcribentibus, aut junctæ voces; quas oportebat ſeparari. Contrario prorſus errore; dum moras interponunt dictantes; ubi non oportuit, ſejunctæ ſunt ſyllabæ; quas conjungi neceſſe erat. Quarum depravationum exempla aliquot, more noſtro, colligemus.

20. Quiſquis *Gloſſaria*, quæ diximus, evolvet, frequentiſſimè videbit in ultima ſyllaba à Librariis erratum; quod ortum aliunde eſſe non videtur, niſi ex Dictantis vitio. Manifeſta ejuſmodi menda innumera obſervarunt viri eruditi, quorum conjecturæ ad calcem Labbæanæ Gloſſariorum Editionis adjectæ ſunt. Duo tantùm exempla illinc proferemus, ex quibus liquebit litteram voci ereptam, ut vicinæ adderetur, aut prorſus omiſſam. *Herba ſinaria*, ῥοδοδάφνη. *Bon. Vulcanius* rectè conjecit *herba aſinaria*, ex Lib. XI. *Apuleianæ Metamorphoſeos*. Igitur A ſecundæ vocis eliſum eſt, ob antecedentis terminationem in A, permiſtam cum initio ſequentis. Detracta eſt littera poſteriori voci, in hiſce: *Profundum*, βίθιον, βαθυς, βυσσὸν, ubi legendum βαθὺ, ἄβυσσον.

21 Detractione litterulæ eâque planè neceſſariâ, medicina fieri poteſt loco *Julii Cæſaris*, qui Interpretibus hactenus crucem fixit. Legitur Lib. IV. de Bello Gallico. C. XVII. ubi deſcriptionem pontis, quem Rheno impoſuit, ita claudit: *Nihilo ſeciùs ſublicæ ad inferiorem partem fluminis obliquè adigebantur, quæ pro pariete ſubjectæ & cum omni opere conjunctæ, vim fluminis exciperent.* Non capiunt Interpretes quæ ſit *inferior pars fluminis*, cùm liqueat intelligi partem fluminis quæ erat ſupra pontem; in qua, ut ſolet fieri, collocari oportebat ſublicas vim fluminis excepturas. Sed legendum *flumini*, & intelligenda

genda *inferior pars* non fluminis, ſed pontis, quæ opponitur ſuperiori, de qua Cæſar, in proximè antecedentibus verbis, loquutus erat: *hæc directâ materiâ injectâ contexebantur, ac longuriis cratibúsque conſternebantur*; quæ ſuperiori parti pontis impoſita erant. Sic & antea *inferioris partis* pontis meminit. Fefellit Interpretes, quòd verbum *adigere* ſoleat conjungi cum præpoſitionibus *ad*, vel *in*, ſequente accuſativo. Sed & aliquando cum dativo conſtruitur: quod aliquoties apud *Plinium*, in Naturali Hiſtoria, obſervare licet. Certè ejuſmodi verba utraque illâ conſtructione gaudere ſolent, ut *adfigere aliquid alicui rei*, & *ad aliquam rem*, aliáque ſimilia.

22. Reſtitutione litterulæ, emendabimus locum *Theophraſti*, in charactere ἀναισθησίας, Cap. XV. Deſcribit hominem uſque adeò bardum, ut non adtendat quod agit, & abſona paſſim loquatur & faciat. Inter alia, hoc de eo habet: Τὰ παιδία ἑαυτὸ παλαίειν ἀναγκάζων, καὶ τροχάζειν, καὶ εἰς ΚΟΠΟΥΣ ἐμβάλλειν. Vertit *Iſ. Caſaubonus*: *Puerulos quin etiam ſuos, ut luctâ ſe exerceant, & curſu contendant uſque ad fatigationem, cogere ſolet.* Sed ἀναγκάζων ἐμβάλλειν εἰς κέπους, numquam fuit, numquam erit, *cogens uſque ad fatigationem.* Sed legendum ΕΙΣ ΣΚΟΠΟΥΣ *in ſcopos jacere*, nempe, lapides, aut tela. Poſterius Σ propter prius excidit. Deſcribit *Theophraſtus* ſummam hominis ineptiam,

qui cogit puerulos ea facere, quæ ſponte ſuâ & nimis libenter faciunt, & quæ alii parentes ne nimiùm faciant impedire ſolent; quod eſt bardi, & neſcientis quæ ſit indoles puerorum. Primum eſt παλαίειν *luctari*, quod pueruli inter ſe nimis frequenter facere amant, & aliquando non faciunt ſine periculo, dum æquales ſolo graviùs adlidunt. Alterum eſt τροχάζειν, quod non eſt *currere*, ſed *trocho* ludere; de quo ludo, vide *Joſeph. Scaligerum* ad hæc *Dionyſ. Catonis: trocho lude, aleam fuge.* Eſt puerilis ludus, cujus ſunt pueri omnes avidiores, & à quo ſunt ſæpe deterrendi. Miror hoc fugiſſe virum ſummum, cùm certum ſit puerulos curſu exerceri non ſolitos, ſed adolescentes dumtaxat. Tertium eſt εἰς σκοπὸς βάλλειν, *lapides* aut *tela* in certum *ſcopum* jacere, quod etiam nimis quàm frequenter faciunt pueri. Character eſt inſani eos id cogere facere, à quo potiùs ſunt revocandi. Intelligenda hæc omnia de prima pueritia, quæ nimis infirma eſt, quàm ut exerceatur; nam confirmatis viribus pueri etiam exercebantur. Sic *Xenophon* Ed. Cyri Lib. I. C. VI, 19. ἐπὶ σκοπὸν βάλλειν, de exercitio puerili.

23. Duæ voces ex una, vitio Dictantis, factæ duplex præterea mendum in loco *Terentiano*, niſi vehementer fallor, pepererunt; de quo poſtea mira ſcripſerunt viri eruditi. Eſt verſus 46. Scenæ II. Act. IV. Adelphorum, ubi Syrus ſimulans ſe ſcire ubi ſit Micio,

cio, locum Demeæ indicat, & poſtquàm per multas ambages eum circumduxit, tandem in *fabrica* eſſe dicit; Demea verò quærit *quid ibi faciat*, reſpondétque Syrus:

Lectulos in ſole ilignis pedibus faciundos dedit.

Ad quem locum *Donatus: in urbe convivium in ſole & in umbra, pro conditione temporis, inſtruebatur.* *Adrianus* verò *Turnebus* Adverſar. Lib. I. c. 18. In ſole *autem*, inquit, *quod Athenis vere interdum & æſtate ſub ſole & dio cœnare ſolebant.* Debuit potiùs dicere *in ſole hieme* convivatos, cùm ſol eâ tempeſtate gratiſſimus ſit, & facilè toleretur; præterquàm quòd *lectuli*, in eum uſum deſtinati, non dicerentur magis *lecti in ſole*; quàm alii *lecti in umbra*; quæ enim Latinitas hæc eſt: *dare faciundos lectulos in ſole*, pro eo quod eſt, *dare faciundos lectos in quibus adcumbas, cùm in ſole epulari libebit?* Deinde quare oportebat lectorum, in quibus in ſole adcumbebant, *ilignos* eſſe pedes, potius quàm ex alio ligno? Legendum omnino

Lectulos ILLIC SALIGNIS *pedibus faciundos dedit.*

Servus nequam, dum quærit quid reſpondeat inſtanti Demeæ, quod primùm occurrit adripit, & *ſalignos* etiam pedes dicit, ut riſum excitet; nam nonniſi pauperiores ſolebant uti eo ligno in pedes lectorum; nec ſenex dives

propter rem tantillam tam procul iviſſet, aut in fabrica ſediſſet, ut eos videret fieri. Sed quo ineptiore dolo fallit Demeam, qui ſibi acutus videbatur, eo majorem riſum ſpectatoribus movet. Certè antecedentia non ſunt acutiora, & Demea, ſi ſapuiſſet, facilè fraudem animadvertiſſet. Vidit tamen viles lectos dici, cùm reſponderit: *ubi potetis vos?* nempe, ſervi, quos nemo dixerit interdiu menſæ adcubuiſſe. At fiebántne, inquies, lecti *ſalignis pedibus*? Quidni, cùm ſalices *plurimæ* adhiberentur *agricolarum ſupellectili*, ut loquitur *Plinius* Lib. XVI. c. 37? Ideò *Ovidius* deſcribens convivium Philemonis & Baucidis Metam. VIII. hæc habet:

—— *In medio torus eſt de mollibus ulvis*
Impoſitus lecto, ſpondâ, pedibúsque SALIGNIS.

Verùm unde ortum in *Terentiano* loco mendum? Nimirum, ex mala pronunciatione Librarii ſcriptum primùm videtur *ſal lignis*, dein ex *ſal* factum eſt *ſol*; ac tandem, ut aliqua eſſet conſtructio, *illic* mutatum à Critico in præpoſitionem IN & ſcriptum *in ſole ilignis*.

24. Contrà, in eadem Comœdia, Act. V. S. VII. verſ. 16. duæ voces in unam conjunctæ, cui præfixa littera ex antecedente, ſed malè lecta, graviſſimum mendum pepegit, quod Criticos omnes fruſtra exercitos habuit. Ita loquitur Demea de ſumtibus, quos

quos à fratre ferri oportere videbat, traductâ ad illum Soſtratæ familiâ:

——— *turbam domum,*
Adducet & ſumtum admittet; multa. Quid mea?
Ego lepidus ineo gratiam; jube nunc jam
Dinumeret illi Babylo *viginti minas.*

Nec quò referendum ſit *illi*, nec quis ſit *Babylo*, nec quæ orationis ſeries expedire poſſunt viri docti; quos adibit Lector, tædioſum enim eſſet eorum inanes diſputationes huc transferre. Paucis potiùs quid ſentiam dicam, quod ſi audacius videbitur, at certè egregium parit ſenſum, cùm nullus ſit in aliorum interpretamentis. Demea ergo adloquitur hîc *Æſchinum*, ut in antecedentibus, & cogitans de paupertate totius familiæ Pamphilæ, quam Æſchinus domum ducturus erat; quæ vix patiebatur ut ſumtus ullos facerent, qui tamen aliqui erant neceſſariò faciendi, auctor eſt filio ut à Micione jubeat iis, quibus ea familia conſtabat, viginti minas numerari. *Viginti* autem *minas* dicit, quia reſpicit ad parem ſummam, quam à Micione numerari curarat Æſchinus Sannioni, & quâ Cythariſtriam amicam fratri emerat; ut ſibi ſimili pretio uxorem redimere videatur, nedum ut dotem ab ea accipiat, quam tamen neceſſariam antea judicarat Demea. Ait ergo:

——— *jube nunc jam*
Numerent illis AB ILLO *viginti minas.*

Pro *dinumeret*, in plurali numero legimus *numerent*, quia deeſt nominativus, & quia *dinumerent* vitiat verſum, nec voci additum videtur *di*, niſi metri vitiati cauſâ. Quid autem ſit *numerare ab aliquo* omnes norunt; nempe, alicujus pecuniâ ſolvere. Quòd ſi quis ignoret, adeat *Rob. Stephanum*, ad præpoſitionem *ab*. Valeat ergo commentitius BABYLO; quam vocem perinde eſſe ac *Babylonium* qui dixit primus, & ſignificari Micionem putavit, quòd Babyloniorum luxum æquaret; is

——— *jungat vulpes, & mulgeat hircos.*

Vel pueri ſciunt Babylonium hominem non magis *Babylonem* poſſe dici, quàm *Romam* hominem *Romanum*. Ethnica ſunt, ut docet *Stephanus*, βαβυλώνιος & βαβυλωνίτης, non βαβυλών, quod eſſet contra omnem analogiam. Scriptum erat ILISABILO, quia Veteres literas duplices non ſcribebant, & cùm I & S propiores æquo eſſent, videbatur eſſe B, cujus ſuperior pars oculos fugeret; unde natum BABILO, ex quo factum poſtea BABYLO ab Criticis. Nec quiſquam dixerit durum eſſe *illis ab illo*, repetitione ſyllabæ IL, talia enim nequaquam vitant Comici. Visne exemplum, ab ipſo Terentio? Lege verſum 86. Scenæ 2. Act. I. Hecyræ:

Disjunxit illam ab illa, poſtquàm & ipſe ſe.

Poſſit

Possit tamen etiam legi, *dinumerent his ab illo* &c.

25. Est locus *Rutilii Numatiani*, in Itinerario, ubi ita loquitur vers. 73.

Inventrix oleæ colitur, viníque repertor,
Et qui primus humo pressit aratra puer.
Aras Pæoniam meruit Medicina per artem,
Factus & Alcides NOBILITATE *Deus.*

Legendum NOBILIS ARTE *Deus*, ut superior versus, & sensus docent. *Factus* autem Hercules *arte Deus* dicitur, ut opponatur iis, qui credebantur *naturâ Dii*, de qua loquutione multis diximus Part. II. S. 1. C. VII, 4. & *seqq.* Vocatur etiam *nobilis Deus*, ut distinguatur ab ignobilibus quibusdam Diis, quorum nomina in uno loco nota erant. *Cicero* de Nat. Deor. Lib. III. num 50. *Alabandenses quidem sanctiùs Alabandum colunt, à quo est urbs illa condita, quàm quemquam NOBILIUM Deorum; apud quos non inurbanè Stratonicus, ut multa, cùm quidam ei molestus Alabandum Deum esse confirmaret, Herculem negaret: ergo, inquit, mihi Alabandus, tibi Hercules sit iratus.* Videtur & ante oculos habuisse *Rutilius* versus hosce *Horatii* Lib. III. Od. 3.

Hac arte *Pollux & vagus Hercules*
Innixus arces adtigit igneas.

26. III. Dictantis vitio factum esse diximus, ut

ut adſpirationes omitterentur, aut detraherentur; cujus veſtigia, in omnibus pænè veteribus Codicibus, animadvertuntur. In *Gloſſis* legimus, *abena*, *abilis*, *aborreo*, *era*, pro *habena*, *habilis*, *abhorreo*, *hera*; & vice verſâ, *abhominor*, *harena*, *hoſtium*, *huber*, pro *abominor*, *arena*, *oſtium*, *uber*, & multa ſimilia. Attamen non diſſimulandum variis ſæculis variaſſe pronunciationem, deinde & ſcribendi rationem, quæ pronunciationem ſequitur. *Quintilianum* audiamus Inſt. Orat. Lib. I. c. 5. de littera H loquentem: *Parciſſimè eâ Veteres uſi, etiam in vocalibus, cùm* œdos, ircós*que dicebant. Diu deinde ſervatum ne conſonantibus adſpiraretur, ut in* Graccis & triumpis. *Erupit brevi tempore nimius uſus, ut* Choronæ, chenturiones, præchones *&c.* Ideò veteres Grammatici ſcripſerant de adſpiratione, ut docerent Antiquarios, quibus locis exprimenda eſſet; qua de re vide quæ ex *Eutyche* habet *Caſſiodorus* Orthographiæ Cap. IX.

27. Dictantis culpâ, an ſcribentis neſcio, factum eſt, ut omitteretur adſpiratio apud *Terentium*, in Andria, Actûs 2. Scenæ II. verſ. 33. quâ omiſſâ, ſenſus & Latinitas vitiantur. Ita loquitur Charinus adoleſcens: *liberatus ſum hodie, Dave, tuâ operâ*; reſpondet verò Davus: *ac nullus quidem*, hoc eſt, & *quidem non*, quod Latinum non eſt, in eo ſitu verborum. Itaque alii fecerunt, *at nullus quidem*; ſed *at quidem non* meliùs non dicatur. Legendum H A C *nullus quidem*, hoc eſt, *hac quidem operâ meâ, nullus libe-*

ratus es; quasi subinnuat glorioſus ſervus poſſe ſe eum liberare, ſi id operam det. Similis loquutio apud *Plautum*, in Pſeudolo Act. I. S. I. verſ. 102. *Spero alicunde hodie me bonâ operâ, aut HAC meâ, Tibi inventurum eſſe auxilium argentarium.* Omiſſa pariter eſt adſpiratio, apud *Plautum*, Mercatore Act. IV. Sc. 4. verſ. 15. ubi coquus Dorippam videns :

Satis ſcitum filum mulieris ! virum hercle avet.

At MSS. *Camerarii* alter habet *an. et*, alter *amet*, quod eſt pro *hamet.* Reſpicit ad ambiguitatem vocis *filium*, quæ ſignificat quidem hîc formam, ut ex *Lucilio* & aliis viri docti probarunt ; at propriè ſonat quod ex lino, lanáve trahendo ducitur, quales erant *lineæ* (ſubaudiendum, chordæ) quibus addito hamo piſcabantur. Senſus eſt, pro conſuetudine *Plauti*, egregius, *ſcitum filum mulieris ! hercle virum hamet* ; hoc eſt, facilè *hamare*, ſeu adjungere, ac ſibi devincire queat. Participium *hamatus* frequens eſt in optimis Scriptoribus, quamvis nondum, quod meminerim, mihi occurrerit verbum *hamo.* Fateor ſpondæum eſſe in ultima ſede, ſed hoc patitur licentia Comica, qua de re vide *Phil. Pareum*, de metris Comicis, ſub finem.

28. Contrà, apud eumdem *Plautum* in Amphitruone Act. II. S. 2. verſ. 137. eſt adſpiratio, ubi nullam eſſe oportuit. Cùm Amphitruo cum uxore aliquamdiu jam contendiſſet, mi-

mirarique ſe dixiſſet qui ſe donatum aureâ paterâ ſciret, addit. *Quid hoc ſit* HOMINIS! ubi legendum *ominis*; erant enim quæ videbat & audiebat Amphitruo portentoſa, poterántque facilè in omen verti. Ut ſcribi vidimus, in *Gloſſis*, *abhominor*, nihil vetat quin hîc ſcriptum ſit *hominis*, ἀντὶ τῦ *ominis*. Sic apud *Ciceronem* Ep. ad Fam. Lib. IV. Ep. 4. variant MSS. Codd. in voce *hominis*, aut *ominis* adſerenda, nec minùs eruditi diſſentiunt. Eſt, pro licentia Comica, Amphibrachys in ſecunda ſede, vel Amphimacer, ſi legas, *Quid hoc 'ſt*, quod fortè melius.

29. Antequàm ad alia tranſeamus, duo exempla ex Hebraïca Lingua proferemus, ex quibus liquebit Librarios Judæos ſimilia peccaſſe. Apud Moſem, excepto uno loco Deut. XXII, 19. pro נערה *naharah* quod *puellam* ſonat, ubique in Judaïcis Codicibus, reſecto ה, ſcribitur נער *nahara*. Quod non aliunde ortum videtur, quàm ex vitioſa dicentis pronunciatione, qui ultimam ſyllabam non ſatis diſtinctè pronunciabat. Certè perpetua atque indubitata Hebraïcæ Linguæ analogia poſtulat ſcribi נערה ubique, & ſic in Samaritico Codice ſcribitur. Exſtat Exod. VIII, 9. inſigne exemplum, ex quo conſtare poteſt Librarios miſcuiſſe litteras ejuſdem organi, ubi pro eo quòd vulgò diceretur התכאר אלי *hithbaer elai*, ſcriptum eſt: התפאר אלי *hithphaer halai*, ſine mutatione ſenſûs, hoc eſt, *ſignifica mihi*. Quæ tamen mutatio fefellit recentiores Interpretes, ut ad eum locum oſtendimus.

CA-

CAPUT VII.

De Mendis ortis ex imperitia Dictantis; 5 dum Glossemata in margine scripta in seriem orationis infert.

1. QUI vetustos Codices versarunt, multos potuerunt videre, in quorum oris adnotatæ erant vocum, aut loquutionum difficilium explicationes. Sæpe etiam inter ipsos versus sunt Scholia, cùm contigit à Librariis inter eos satis amplum spatium relinqui. Hæ autem interpretationes duplici mendorum generi occasionem præbuere. Interdum enim Librarii crediderunt iis Glossematibus significari, omissum in orationis serie id quod complectebantur, cùm incolumi constructione ac sententiâ potuerunt inseri; adeóque purpuræ optimorum Scriptorum centones Grammaticorum adsuerunt. Aliquando etiam perperam rati sunt Grammatici ea Glossemata non esse, sed veras lectiones margini à Critico illitas, & in orationis contextum recipiendas; quo factum ut eliminatâ priscâ lectione, novam intruserint, quæ veteris dumtaxat explicatio erat. Utriusque generis mendorum exempla quædam primùm proferemus, tum verò quî Glossemata à vera lectione secerni soleant ostendemus. Sed & tertius error addi queat, eorum qui Glossemata crediderunt esse varias lectiones, quod exprobrat *Henr. Stephano*, viro

viro doctiſſimo, *Joan. Leunclavius*, vir itidem eruditus, ad calcem *Xenophontis* Wecheliani, anni 1596. quem vide pag. MXIII. Sic *Galenus* Comm. III. in VI. Epidemiorum, ad textum 40. Tom. IX. p. 70. *Ed. Chart.* Τῆς παλαιᾶς γραφῆς ὔσης ταύτης, ἐπὶ τὸ σαφέστερον αὐτὴν (non αὐτὸν) μετατεθείκασι πολλοὶ τῶν ἐξηγητῶν: *cùm hæc eſſet antiqua ſcriptura, eam in clariorem multi interpretum mutarunt.* Sic quoque in Prognoſtico *Hippocratis*, text. 26. ubi de ſudoribus, poſtquàm dixit peſſimos eſſe frigidos, qui circum caput tantùm & faciem & cervicem oriuntur, addit, ἔτοι γὰρ ξὺν μὲν ὀξεῖ πυρετῷ θάνατον προσημαίνουσι, ξὺν δὲ πρηϋτέρῳ μῆκος νόσου: *hi enim cum acuta febri mortem prænunciant, cum mitiore longitudinem morbi*; libri *Dioſcoridis*, ut teſtatur *Galenus*, Com. I. T. VIII. pag. 611. Ed. Charter. habebant tantùm, ἔτοι γὰρ θάνατον σημαίνουσι ἢ μῆκος νόσου. Reliqua addita ſunt, interpretationis cauſâ: nam *Hippocratis* ſtylus brevitate, potiùs quàm verborum abundantiâ, peccat.

2. Sichemenſes ita adloquuntur filii Jacobi, Gen. XXXIV, 15. *Hac lege vobis obſequemur* (בזאת) *ſi fueritis ſicut nos, adeò ut vobis omnis maſculus circumcidatur.* Ita habent Codices Hebraïci, at LXX. Intt. ſic verterunt: ἐν τούτῳ ὁμοιωθησόμεθα ὑμῖν, ἢ κατοικήσομεν ἐν ὑμῖν, ἐὰν γένησθε ὡς ἡμεῖς καὶ ὑμεῖς, ἐν τῷ περιτμηθῆναι ὑμῶν πᾶν ἀρσενικόν: *hac lege ſimiles fiemus vobis, & habitabimus inter vos, ſi & vos ſitis inſtar noſtri, in circumciſione omnium veſtrorum maſculorum.*

Sic

Sic legitur hic locus, in antiquiſſimis Codicibus Vaticano & Alexandrino. Atqui manifeſtum eſt duplicem eſſe interpretationem vocis נאם, quarum altera margini illita fuerat primùm, deinde irrepſit in orationis contextum, ut ad eum locum diximus. Significavimus etiam ad Gen. XLVI, 20. quæ illic in Verſione eorumdem Interpretum leguntur & Codicibus Hebraïcis deſunt; videri è margine in textum tranſlata fuiſſe, ſimiliáque animadvertimus ad Exod. XII, 40. & alibi.

3. Talia etiam occurrunt in Codice Samaritico, quæ non infrequenter in Comment. in Pentateuchum notavimus, & diximus quidem ſimile eſſe Gloſſema Exod. XII, 40. in hoc Codice ac in verſione LXX.-Virali. Verùm non modò is Codex multa addit, interpretationis cauſâ; ſed etiam voces quaſdam habet, loco earum quæ leguntur in Judaïco Exemplari. Qua in re, ſæpe mihi viſæ ſunt veteres lectiones Moſi ereptæ; ut novæ iis ſufficerentur. Sic Gen. XXIX, 15. ita Potipharis uxor, ex Judaïco Codice, loquitur de Joſepho: *ut audivit me vocem tollentem & clamantem, reliquit veſtem ſuam apud me* (אצלי etſli) *fugit, & egreſſus eſt foras.* Ad explicandam vocem אצלי, videtur in antiquo Samaritarum Codice fuiſſe, in ora, בידי *in manu mea*, ut ſignificaretur voce clariore idem intelligendum hîc, ac verſ. 12. in quo hæc vox occurrit. Lex exſtat Exod. XXI, 20. *Cùm quiſpiam ſervum ſuum, aut ſervam ba-*

culo ferierit, & *ſub manu ejus iaterierint*, *ultio ſumetur*, נקם ינקם *nakom jinnakem*. In Samaritico Codice, eſt מות יומת moth joumath, *morte morietur*, quæ eſt interpretatio verborum, quæ leguntur in Judaïcis Codicibus. Talia multa in eo Codice animadvertimus, & protulimus, in Commentario noſtro in Pentateuchum. Vix crediderim ullum Samaritam Criticum uſque adeò audacem fuiſſe, ut Moſem emendandum, ſine neceſſitate, cenſuerit. Probabilius multò mihi fit Samaritas gloſſemata marginis credidiſſe varias eſſe lectiones, quas ſubinde ut veriores, loco Judaïcarum, amplexi ſint. Plurima exempla indicavimus, in Indice Commentarii noſtri.

4. Suſpicor etiam ingentem varietatem, quæ fuit olim in Codicibus Græcis & Latinis Novi Teſtamenti, partim indidem eſſe ortam, quòd ii qui iis utebantur, aut ex ingenio interpretationes ſcribebant in marginibus, aut etiam ex aliis locis Novi Teſtamenti, præſertim in Evangeliis; quæ inter ſe ita conferri volebant, aut alterum ex altero intelligi. Poſtea verò homines imperiti Gloſſemata miſcuerunt cum veris Apoſtolorum verbis; ſive illa varias lectiones, ſeu emendationes ex antiquioribus codicibus eſſe cenſuerint. Ne quis à nobis fingi putet quæ de varietate exemplarium diximus, audiat *Hieronymum*, è præfatione in Evangelia: *Magnus*, inquit, *hîc in noſtris Codicibus error inolevit, dum quod in eadem re alius Evangeliſta plus dixit, in alio; quia minùs putaverint, addiderunt. Vel dum eum-*

eumdem ſenſum alius aliter expreſſit, ille quî unum è quatuor primùm legerat, ad ejus exemplum, ceteros quòque æſtimaverit emendandos. Unde accidit ut apud nos miſta ſint omnia, & in Marco plura Lucæ atque Matthæi; rurſus in Matthæo, plura Joannis & Marci, & in ceteris reliquorum, quæ aliis propria ſunt, inveniantur. Cujus confuſionis plurima exempla, quæ etiamnum ſunt in Codicibus noſtris, *Deſ. Eraſmus* & *Th. Beza*, in adnotationibus in Novum Teſtamentum, obſervarunt.

5. Nunc videndum quî Gloſſema poſſit à priſca lectione dignoſci. 1. Cùm ſint duo genera Gloſſematum, quorum unum additur veteri lectioni, alterum verò ei ejectæ ſubſtituitur, non eodem modo internoſcuntur. Igitur à priore genere Gloſſematum ut incipiam, adjectum eſſe primùm docet res ipſa; quando, nimirum, re paullò obſcuriùs expreſſâ, aut voce vel loquutione, cujus ſignificatio ſciolos, vel imperitos fugit, videmus, præter neceſſitatem & conſuetudinem Scriptoris, idem illico aliis verbis exprimi. Inſignis Gloſſematis, ut dudum animadverterunt viri eruditi, exemplum exſtat apud *Plautum*, in Aululari. Act. IV. S. 7. verſ. 14. ubi ita Eunomia filio:

I hac intrò mecum, gnate mi, ad fratrem meum,
Ut iſtuc quod tu me oras efficiam tibi,
Ut iſtuc quod me oras impetratum ab eo auferam.

Manifeſtum eſt hîc eſſe Gloſſema, cùm nulla ſit aut neceſſitas, aut elegantia in hac repetitione; *quod tu me oras efficiam tibi, impetratum ab eo auferam*; nempe, à fratre. Attamen MSS. *Joach. Camerarii*, & Palatini quatuor habebant: *ut iſtuc quod me oras efficiam tibi, impetratum ab eo auferam*, quaſi eſſet unus verſus; atque ita antiquiſſimæ Editiones. Duo verò MSS. Palatini omittebant, *impetratum ab eo auferam.* Utrum Gloſſema erit? nempe, verſus 14. *Ut iſtuc quod tu me oras efficiam tibi*; nam hæc verba nemo umquam interpretatione indigere judicare potuit. Sed Grammaticus, in imperitiorum gratiam, iis interpretatus eſt hæc: *impetratum ab eo auferam*; quæ interpretatione indigere videbantur, quia non eſt ſermo de re, quam Eunomia ablatura eſſet, ſed de uxore, quam avunculum concedere filio ſuo volebat. Igitur quando duorum quæ idem ſignificant, & quorum alterutrum Gloſſema eſſe neceſſe eſt, unum obſcurius, alterum verò clarius eſt, dubium non eſt quin clarius ſit Gloſſema obſcurioris. *Philippus Pareus*, in Analectis Plautinis, agnoſcit hîc eſſe Gloſſema. Sed in tertia Editione ſic locum refinxit:

> *Ut iſtuc, quod me oras, nunc efficiam; tibi*
> *Spero impetratum, quidquid vis, ab eo auferam.*

Quæ non ſunt inepta, ſi è MSS. petita eſſent, aut leviore mutatione reficta; ſed nimis audacter ſe geſſit, qui talia ex ingenio nobis obtru-

truſit, ut paſſim in illa editione facit; quæ alioquin, in multis, laudari queat.

6. II. Gloſſemata poſſumus etiam agnoſcere 1. in Archetypo ex MSS. Codicibus, in quibus id dumtaxat habetur quod obſcurius eſt, omiſſo interpretamento clariore; 2. aut in Tranſlatione ex Archetypo, in quo ſemel exſtat, quod bis eſt in Verſione; ſed & interdum 3. ex antiquiore Tranſlatione cognoſcere licet Gloſſemata, quæ irrepſerunt in recentiores Codices. 1 Sic Marc. X, 6. ita loquitur Chriſtus ἀπὸ ἀρχῆς κτίσεως, *ab initio creationis maſculum & fœminam fecit eos*, ex plerisque Codicibus; at Codex antiquiſſimus *T. Bezæ* omittit vocem κτίσεως, quæ addita videtur, ut meliùs intelligeretur ἀπ' ἀρχῆς. 2. *Hieronymus* ex Græcis exemplaribus Latina olim emendavit, ut teſtatur in Præfat. in IV. Evang. ubi ſic confutat eos qui conſilium ejus carpebant: *Si Latinis exemplaribus fides eſt adhibenda, reſpondeant quibus; tot enim ſunt exemplaria pænè, quot Codices. Sin autem veritas eſt quærenda de pluribus, cur non ad Græcam originem revertentes, ea quæ vel à vitioſis Interpretibus malè edita, vel à præſumtoribus imperitis emendata perverſiùs, vel à librariis dormitantibus, aut addita ſunt, aut mutata corrigimus?* 3. Gloſſemata ex antiquioribus Tranſlationibus cognoſci poſſe idem teſtatur, in eadem Præfatione. *Prætermitto*, inquit, *eos Codices, quos à Luciano & Heſychio nuncupatos, paucorum hominum adſerit perverſa contentio;*

quibus utique nec in Vet. Inſtrumento, poſt Septuaginta Intt. emendare quid licuit, nec in Novo profuit emendaſſe, cùm multarum Gentium Linguis Scriptura ante tranſlata doceat ea falſa eſſe, quæ addita ſunt. Hæc additamenta erant, ut ex reliqua Præfatione liquet, Gloſſemata ſingulis Evangeliſtis, ex aliis addita, quæ ex priſcis Tranſlationibus cognoſci poterant. Sic vocem κτίσεως, in loco Marci antea laudato, Syrus Interpres non habet; unde colligere eſt Gloſſema eſſe, verſione Syriacâ recentius. Plura hac de re non addimus, quia in ſequente * Capite iterum dicemus quæ ad eam pertineant.

7. III. Gloſſemata verò, quæ ſita ſunt in vocibus, quæ antiquioribus loco pulſis ſucceſſerunt, poſſunt dumtaxat agnoſci ex antiquis Codicibus, in quibus vetus lectio adpareat. Tum eam diſtinguere licet à Gloſſemate aliorum Codicum: aut Editionum, eodem indicio, quod antea ſignum eſſe diximus recentioris lectionis, unà cum vetere exſtantis. Nimirum, ſi Codex quiſpiam inuſitatiorem & minùs claram vocem aut loquutionem exhibeat, quàm alii (ſi modò proba ſit, & cum Scriptoris ſtylo conſentiat) illa plerumque vera lectio eſt; quia cùm nulla fuerit ratio quare clara lectio in obſcuriorem mutaretur, obſcuræ clara ſubſtitui potuit, ob rationes quas adtulimus. Sic cùm viri docti animadverterint, apud *Cornelium Nepotem*, Miltiadis Cap. IX. alios Codices habere: *in Mil-*

* *In Exemplis §. 3. ſubjectis.*

Miltiade erat cùm ſumma humanitas, tum mira COMITAS, *ut nemo tam humilis eſſet, cui non ad eum aditus pateret*; alios verò COMMUNITAS, mihi dubium non eſt quin prius ſit gloſſema poſterioris; quia cùm vocis *comitas* notiſſima ſit ſignificatio, non ita vulgò notum eſt voce *communitas* ſignificari eam mentis adfectionem quæ civem Reipublicæ, qualis erat Athenienſis, decet, & qua ſibi cum aliis civibus communia omnia eſſe patitur. Vide quæ habet de hac voce *J. F. Gronovius*, ad Terentii Heautontim. Act. V. S. I. verſ. 39. à quo mirum eſt non eſſe adlatum locum hunc *Cornel. Nepotis*. Fruſtra illic *animo communi* nonnulli *comem* ſubſtituebant, ut optimè vir doctiſſimus oſtendit. Adi & *Franciſcum Juretum* in Epiſt. LXXIX. Lib. II. *Q. Aurelii Symmachi*.

CAPUT VIII.

De Mendis à negligentia Scribentis ortis;
1. *Quòd quæ cogitaret, non quæ audiret, ſcriberet*; 2. *Quòd perperam audiret.*

1. VIDIMUS potiſſima Mendorum genera, quæ ex *Dictantis* incuria aut imperitia oriri potuerunt; neque enim omnia obſervaſſe nos putamus, qui latiſſimè patere hoc argumentum, ſi alius quiſpiam, novimus. At ſatis nobis eſt, ſumma rerum capita,

pita, in hoc Opuſculo, adtigiſſe. Nunc ad id mendorum genus veniemus, quod *Scribentibus* tribuendum videtur. Sed & interdum *Dictanti* tribui poſſent, at ſatis eſt, ut alibi dixi, à *Scribente* quoque ea eſſe poſſe. Nec dubium eſt quin multa ſint exemplaria deſcripta à Librariis, aut aliis, qui eam artem non profitebantur, non tam vitio *Dictantis*, quàm *Scribentis* mendoſa.

2. I. Certè cùm qui ſcribit aliud agit, quod ſæpe potuit contingere, facilè fit ut quæ cogitat, non quæ dictantur, ſcribat. Innumera menda, quæ cernuntur in MSS. aliunde orta non videntur, ſed ea potiſſimùm quibus voces idem, aut adfine quidpiam ſignificantes miſcentur, vel ordo orationis, tranſpoſitis verbis, mutatur; vel voculæ quædam non prorſus neceſſariæ ſenſui adduntur, aut detrahuntur. Scribentes enim non modò verba, ſed etiam ſenſum adtendunt, & in longa ſcriptione, ſæpe fit ut ſententiæ ratio major habeatur, quàm verborum. Si præſertim qui dictabant, lucri cauſâ, quàm maximè poterant feſtinarent, ut ſine dubio ſæpe factum eſt; nihil mirum ſi voculæ ſæpe minùs neceſſariæ à Scribentibus omittebantur, aut miſcebantur ſynonymæ.

3. Quiſquis expendet variarum lectionum Syllogas, quas in plurimos Scriptores ediderunt viri docti, innumera talia deprehendet. Sed inſpiciantur potiſſimùm variæ lectiones Novi Teſtamenti, quæ XVII. demum ſæculo, præeunte doctiſſimo & optimo viro *Steph. Curcellæo*, diligentiùs collectæ ſunt, quàm um-

umquam antea fuerant; atque exemplorum major ſuppetet copia, quàm quiſquam non expertus credere poſſit. Ut tamen rem Lectoris oculis ſubjiciamus, nonnullas ex variis lectionibus Cap. XX. Actorum Apoſtolicorum huc transferemus.

Verſ. 1. προσκαλεσάμενος. Tres Oxonienſes Codices & alii habent, μεταπεμψάμενος, quod idem planè ſonat.

Ibid. ἀσπασάμενος, *cùm ſalutaſſet.* Alexandrinus & octo alii, plurésque Codices habent ante has voces, καὶ παρακαλέσας *conſolatus*; Græco-Latinus, πολλὰ παρακαλέσας, *multis conſolatus.*

Ibid. πορευθῆναι in Aoriſto. Alexand. & alii quatuor Codices, πορεύεσθαι in præſenti.

Verſ. 3. μέλλοντι ἀνάγεσθαι, *navigaturo.* Codex Bodleïanus, μέλλων ἄγεσθαι *abducendus*, malè ſine dubio. Non moror Claromontanum, cùm ab omnibus aliis Codicibus nimiùm diverſus abit, ut hoc in loco; quia paraphraſin potiùs, quàm varietatem lectionis, exhibet. Sed obiter hîc monebo cavendum eſſe, ne hujuſcemodi Paraphraſes miſceamus cum Exemplaribus bonâ fide & verbo tenus deſcriptis.

Verſ. 4. Voci Σώπατρος addunt Codex Alexandrinus, Græco-Latinus, & alii Πύῤῥου, *Pyrrhi*, nempe, *filius.* Legitur etiam in Latino Interprete. Pro Σώπατρος, alii Codd. ha-

habent, Σωσίπατρος. Æthiops Int. legit Πέτρος, perperam.

Verſ. 5. Οὗτοι προελθόντες, *hi cùm præiviſſent.* Alexandrinus Cod. habet. ἕτοι ℌ, idem & alii προσελθόντες, *cùm adveniſſent.*

Ibid. ἡμᾶς, *nos*; nempe, *exſpectarunt*, Paulum & Lucam, aliósque itineris comites. Cantabr. αὐτὸν, *illum*, ſcilicet, Paulum, quod ſapit manum Criticam.

Verſ. 6. ἄχρις ἡμερῶν πέντε, ἐφ' ὃ διατρίψαμεν, &c. *intrà dies quinque, ubi commorati ſumus*, &c. Codex Bodleïanus & alii habent: ἀπὸ ἡμερῶν, *à diebus*, &c. & ὅπου pro ἐφ'.

Verſ. 7. συνηγμένων τῶν μαθητῶν τοῦ κλάσαι, &c. *congregatis diſcipulis ad rumpendum*, &c. Alexandrinus & aliquot alii: συνηγμένων ἡμῶν κλάσαι, *congregatis nobis ad rumpendum.* Ita etiam Syrus, Arabs, Latinus, & Æthiops Interpretes.

Verſ. 8. ἦσαν συνηγμένοι, *erant congregati.* Alexandrinus & alii, præter memoratos Interpretes, ἦμεν *eramus.* Sunt & qui omittant συνηγμένοι, quæ vox facile ſubauditur.

Verſ. 9. καθήμενος, *ſedens.* Alexandrinus & alii, καθιζόμενος, quod eſt idem.

Verſ. 13. προελθόντες ἐπὶ τὸ πλοῖον, *progreſſi ad navem.* Alexandrinus & alii προσελθόντες, *cùm perveniſſemus ad navem.*

Ibid. εἰς τὴν Ἄσσον, *in Aſſum.* Codex Bodleïanus, ἐπὶ τὴν, pro εἰς τήν. Alii Oxonienſes Νῆσον *Inſulam*, quòd Librarius aut Criticus non intelligeret Ἄσσον eſſe nomen proprium

prium loci, & crederet mendosè scriptum ἄσσον *propè*, pro νῆσον. Sic & versu 14. Syrus & Arabs Interpretes habent mendosè תסוס *thesos*, misto A cum Θ, quod facilè fit, si contigerit crura τῦ A ex inferiore parte paullò propiora esse, quàm oportet.

Vers. 15. κὴ μείναντις ἐν Τρωγυλλίῳ, *& cùm mansissemus apud Trogyllium.* Desunt hæc in Codice Alexandrino, unóque ex Bodleïanis, nec lecta sunt à Latino Interprete. Habent illi Codices, in sequentibus verbis, τῇ ϛ ἐχομένῃ

Vers. 18. ὡς ϛ παρεγένοντο πρὸς αὐτὸν, εἶ ἐν αὐτοῖς, *cùm ad eum venissent, dixit illis.* Codex Alexandrinus, qui mutilus videtur vers. 15. hîc est auctior tribus verbis, nam post αὐτὸν habet: ὁμοῦ ὄντων αὐτῶν, *cùm unà essent.* Alii ὁμόσε ὄντων αὐτῶν. Eadem tamen etiam exhibet Græco-Latinus, at alii nonnulli ὁμοθυμαδὸν, *unanimiter.* Sic & *Vulgatus: & simul essent.* At nec *Arabs*, nec *Syrus* Intt. nec alii veteres Codices ea verba agnoscunt. Sed cùm nulla fuerit addendi ratio, fuit aliqua detrahendi; quòd, nimirum, inutilia judicarentur, & sapere Glossema. Verùm cùm superiora verba nequaquam obscura sint, non opus erat Glossemate. Itaque retinenda censuerim, ut innumeras alias repetitiones, aut voces non necessarias, quas nemo umquam circumcidendas putavit.

Vers. 19 δουλεύων τῷ Κυρίῳ μετὰ πάσης, &c. *serviens Domino, cum omni*, &c. Duo Oxonienses Codd. addunt, μεθ' ἡμῶν, *ser-*

ſerviens Domino vobiſcum, *cum omni*, &c. Sic & *Chryſoſtomus*.

Ibid. πολλῶν δακρύων, *multis lacrimis*. Alexandrinus aliíque omittunt πολλῶν, nec legerunt Latinus ac Syrus Intt. Additum videtur, ut plenior eſſet oratio, quia antecedenti ſubſtantivo ſuum etiam erat Epitheton.

Verſ. 23. διαμαρτύρεται, Alexandrinus Codex: διεμαρτυράτό μοι, *mihi teſtatus eſt*. Eſt præterea levis mutatio, in ordine verborum. At non modò Claromontanus, ſed alii etiam Codices addunt huic verſui: μοὶ ἐν Ἱεροσολύμοις, quæ verba legit & Latinus Int. qui habet: *tribulationes Jeroſolymis me manent*. Videtur tamen eſſe Gloſſema, quod potuit addi, quaſi circumſtantia neceſſaria hîc prætermiſſa; cùm nulla eſſet detrahendi ratio.

Verſ. 24. οὐδενὸς λόγου ποιοῦμαι, οὐδὲ ἔχω τὴν ψυχήν μου τιμίαν. Alexandrinus tranſponit ποιοῦμαι & ἔχω, ut ſit unum pro altero.

Ibid. διαμαρτύρασθαι, *teſtari*. Addunt Græco-Latinus & alii Codd. Ἰουδαίοις καὶ Ἕλλησι, *Judæis & Græcis*.

Verſ. 25. βασίλειαν τοῦ Θεοῦ, *regnum Dei*. Deeſt Θεοῦ, in Alex. & aliis quibuſdam Codd. & pro eo eſt Ἰησοῦ, in Græco-Latino.

Verſ. 26 καθαρὸς ἐγὼ, *mundus ſum*. Græco-Latinus & tres Oxonienſes habent pro ἐγὼ, verbum εἰμὶ, quod eſt convenientius Græcæ Linguæ, ut altera lectio Hebraïcæ. Fini verſûs addunt aliquot Codices ὑμῶν, *à ſanguine omnium* veſtrûm. Sic & Syrus.

Verſ. 28. τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ, *Eccleſiam Dei*,

Dei. Habent Alexandrinus, Græco-Lat. & tres Oxonienſes, aliique, τῦ Κυρίᾳ, *Domini*, nempe, Jeſu, prout legit etiam *Irenæus* Lib. III. c. 14. & MS. Cod. *Athanaſii* Ep. I. ad Serapionem, aliique Patres & Codd. quos laudat *Joan. Millius*; alii eodem ſenſu τῦ Κυρίυ καὶ Θεῦ, *Domini & Dei.* Poſteriorem hanc lectionem ſequitur Arabs, priorem Syrus; ut & aliquot Codd. MSS. Ep. I. *Athanaſii* ad Serapionem. Exiſtimat *Hug. Grotius* veram lectionem eſſe κυρίυ, ſed facilem lapſum fuiſſe in compendioſa Scriptura θυ pro κυ. Non negaverim ſanè fieri ſæpe potuiſſe, ut miſcerentur hæc compendia; ſed cùm hic locus ſit ex iis, quibus in controverſiis maximè olim uſi ſunt Neſtoriani & Eutychiani, non tam incuriæ Librariorum has varietates tribuerim, quam Theologorum conſilio, qui ex alterutra parte conati ſint Paulum ſuum facere. Sic & *Millius* in Ep. *Ignatii* ad Epheſios C. I. ἐν αἵματι Θεῦ putat ab Interpolatore mutatum in αἵματι Χριςῦ, hominis illius fraude. Attamen, quod ille non notavit, Interpres vetus Latinus verarum *Ignatii* Epiſtolarum habet hîc: *ſanguine Chriſti Dei*, unde liquet utrumque in ejus Codice lectum, aut in marginè fortè alterutrum fuiſſe; quod quidem ſine conſilio partibus alterutris favendi factum non puto. Alioqui paſſim permutantur in Novi Teſtamenti Codd. MSS. Θεὸς & Κύριος, ut hoc ipſo Cap. verſ. 32.

Ibid. διὰ τῦ ἰδίυ αἵματος, *proprio ſanguine.* Alexandrinus tranſponit hoc modo:

διὰ

διὰ τῦ αἵματος τῦ ἰδίυ. Sic & alii aliquot Codices.

Verſ. 29. ἐγὼ γὰρ οἶδα τῦτο, *ego novi hoc.* Τῦτο omittunt Alexandrinus Codex & alii; ut minùs neceſſarium.

Verſ. 31. ἕνα ἑκάστου, *unumquemque.* Nonnulli Codd. Veterésque Interpretes addunt ὑμῶν, veſtrûm.

Verſ 52. τῷ Θεῷ. Cant. & alius Cod. habent τῷ Κυρίῳ, pro conſuetudine Librariorum has voces miſcentium.

Ibid. ἐποικοδομῆσαι, *ſuperſtruere*, καὶ δῦναι ὑμῖν κληρονομίαν, ἐν τοῖς, &c. & *dare vobis hereditatem*, *inter.* Alexandrinus habet: οἰκοδομῆσαι καὶ δῦναι τὴν κληρονομίαν αὐτῦ, ἐν τοῖς, *ædificare & dare ſuam hereditātem inter*, &c. Sic etiam Codex Græco-Latinus & Bodleïanus. Codd. nonnulli ſubjiciunt ὑμᾶς.

Verſ. 33. Poſt ἑδενὸς addit Bodleïanus & Græco-Latinus, ὑμῶν, *nullius veſtrûm.*

Verſ. 34. αὐτοὶ δὲ γινώσκετε, *vos noſtis*, MS. Alexandrinus, αὐτοὶ οἴδατε, *vos ſcitis.*

Verſ. 35. ἀντιλαμβάνεσθαι τῶν ἀσθενούντων, *adjuvare infirmos* MS. Alexandrinus: τῶν ἀσθενούντων ἀντιλαμβάνεσθε, ubi E ſcriptum mendoſè pro A I. ob rationem adlatam Cap. VI.

Ibid. Κυρίυ Ἰησῦ Deeſt in Alexandrino aliisque vox Ἰησῦ

Ibid. Μακάριόν ἐστι διδόναι μᾶλλον ἢ λαμβάνειν, *beatum eſt dare magis quàm accipere.* Transponit Codex Alexandrinus, μᾶλλον διδόναι ἢ, ut

ut Latinus : *magis dare*, *quàm.* Vertendum crediderim : *beata res eſt potiùs dare*, *quàm accipere* ; quaſi diceret Chriſtus : homines vulgò putant beatos eſſe, qui multa ab aliis accipiunt, pauca reddunt ; at ſi beatos dicere oportet eos, qui dant atque accipiunt terrenas opes, eos potiùs beatos dixerim qui dant.

Hæc ſatis ſupérque oſtendunt quàm ſæpe Scribentes nonnulla omiſerint, verborum ordinem mutarint, & miſcuerint ſynonyma. Quæ quidem ut plurimùm non mutant ſenſum, ſed tamen non levem interdum mutationem in eo pariunt, ut adparet ex verſ. 28. Eſt interea cur Deum laudemus, quòd noluerit fidem noſtram pendere ex uno aut altero loco, aut ex aliquor voculis ; in quæ mutatio irrepere potuit, negligentiâ aut nequitiâ Librariorum, vel Theologorum. In iis quæ neceſſaria ſunt, ſat magnus eſt Codicum conſenſus, ut omnem dubitationem nobis eximat. Verùm hæc non ſunt hujus loci. Eadem idem ſignificantium miſtura in omnis generis libris contigit, unde factum ut *Galenus* Comment. I. in Epidem. V. text. 1. poſtquàm obſervavit in Codicibus *Hippocratis* illic legi ὅσῃσι, ὁκόσῃσι, & ὁπίσῃσι, quæ idem ſignificant, id eſt, *quibuscumque* mulieribus ; dicat ſibi viſum eſſe eas lectiones omittere, u teas ſolas memoraret, quæ ſenſum mutarent, ὅσαι τὸ δηλούμενον ὑπαλλάττουσι. Idem repetit in Lib. VI. Com. IV. text. 2. παρῄτησάμην ᾧ μιμ-

νῄσθαι

νῖσθαι δ' ἐν ταῖς γραφαῖς διαφωνίας, ὅταν ἡ αὐτὴ φυλάττηται διάνοια.

4. 11. Facillimè etiam contingere potuit ut Dictantem, clarâ licèt voce legentem & rectè pronunciantem, parum adtenti Scribentes non satis audirent; ita ut aliter scriberent, quàm dictabat. Innumera certè menda hinc orta esse videntur, ut facilè intelligent, quicumque variarum Lectionum Syllogas paullò diligentiùs lustrabunt, aut Criticorum Commentarios legerint; nec necesse est, multis exemplis rem comprobari. Aliquot tamen, more nostro, proferemus, eadémque operâ loca optimorum Scriptorum hactenus à viris doctis intacta, quoad quidem intelligere licuit, corrupta esse ostendemus, atque emendabimus.

5. *Cicero* * Lib. III. de Oratore Cap. 12. *Quare Cotta noster*, inquit, *cujus tu illa lata, Sulpici, nonnumquam imitaris, ut Iota litteram tollas & E plenissimum dicas, non mihi oratores antiquos sed messores* VIDERIS *imitari.* Imò verò VIDETUR, adloquitur enim Crassus Sulpicium, qui aderat; non Cottam, qui non aderat, & de quo Capite antecedente. Aderat quidem C. Cotta adolescens, at non L Cotta, de quo hîc loquitur, qui Catuli grandioris jam natu sodalis erat. Sed cùm præcessissent TU, triáque verba in secunda persona, & C. Cotta ades-

* *Utor Edit. Schreveliana in 4. & nupera Gronoviana in 12. Postea vidi notatum hoc à* Dionys. Lambino, *in Ed. majori.*

adeſſet; Scribens, pro *videtur*, audivit *videris*.

6 In eodem libro Cap. XVIII. ita loquitur Craſſus de Stoïcorum ſtylo: *Orationis genus habent fortaſſe ſubtile; & certè acutum; ſed ut in Oratore, exile, inuſitatum, abhorrens ab auribus vulgi, obſcurum, inane, jejunum*, ATTAMEN *ejuſmodi, quo uti ad vulgus nullo modo poſſit.* Si *attamen* proximè ſubjiceretur primo periodi membro, & quidem voci *acutum*, nihil eſſet quod nos in hoc loco moraretur; aperta enim eſſet oppoſitio ſtyli Stoïcorum cum eo, qui coronæ acceptus eſſe poſſit. Sed in eo ordine verborum, legendum omnino eſt AC TANDEM, pro quo à dormitante Librario auditum *attamen.* Vitiis Stoïci ſtyli enumeratis, omnia paucis verbis complexurus, *ac tandem*, inquit, *ejuſmodi, quo uti ad vulgus nullo modo poſſit.* Ita conjeciſſe *Dionyſ. Lambinum* poſtea vidi; quod reticeri non debuit à *Jano Grutero*, qui nimis libenter *Lambinum* mordet.

7. Neſcio an typographicus error haberi debeat locus Actionis I. in Verrem, ubi hæc leguntur, Cap. VI. *Quæ res primò, Judices, pertenui nobis argumento, judicióque patefacta eſt*; ſed certum eſt legi oportere *indicio*, ut legitur in majore Editione Lambiniana. Vidi tamen hoc mendum antiquioribus Editionibus inſediſſe, nec eſſe emendatum in Græviana anni MDCXCIX. Simile peccatum eſt Lib. I. in Verrem Cap. L. ſed, in

Gronovianis erratis, quasi typographicum notatum, & in aliis Editionibus emendatum. Miror priorem locum industriorum virorum diligentiam fugisse.

8. In Oratione pro P. Quinctio, locus est insignis, in quo malè audiens Dictantem Librarius effecit ut *Cicero* à viris doctis, quasi ineptus, traducatur. Cap. XV. ita loquitur de turpi damnatione Quinctii, quam timebat; *Etenim mors honesta sæpe vitam quoque turpem exornat: vita turpis ne morti quidem honestæ locum relinquit.* Ac sanè posterius membrum priori contrarium est. Itaque censetur *Cicero*, dum acumen captat, nesciviisse quid diceret. Sed auribus Scribentis hoc peccatum debetur, non *Ciceroni* ejusmodi ineptiis minimè obnoxio. Scribe *ITA turpis* &c. egregio sensu: mors quidem honesta sæpe vitam turpem exornat, at ita turpis vita ne morti quidem honestæ locum relinquit; hoc est, id turpitudinis genus, vel usque adeò turpis vita non patitur quemquam honestè mori. Qua quidem in sententia est hyperbole, sed non κακοζηλία. Non possum non tribuere Librario loquutionem, quæ legitur in Oratione pro S. Roscio Amerino, Cap. LII. *Non satis habet avaritiam suam pecuniâ explere, nisi etiam crudelitate sanguinis perlitus sit.* Non ferunt aures meæ, in *Cicerone*, *crudelitate sanguinis perlini*; nec hoc ulli alii condonaremus, qui sermonis elegantiæ spretor non esset. Legendum CRUDELITATI SANGUINE PERLITARIT. Quod ele-

elegantiſſimè exprimit crudelitatem hominis, *Crudelitati* quaſi Deæ Sacra facientis, eſque *perlitantis*, ſive καλλιῤῥύτῳ ſanguine Roſcii, quem ſpoliaverat; hoc eſt, explentis crudelitatem, ut avaritiam jam expleverat.

9. Oſcitantiâ etiam Scribentis Librarii, factum eſſe puto, ut vox nihili legatur, apud *Lactantium* Inſt. Divin. Lib. V. c. 12. 1. *Araneoſos recte dici Deos Ethnicorum liquet è Tertulliano Apologetici* C. XII. P. *Minucio Felice* p. 355. Editionis Heraldi. ubi de perſequutionibus Ethnicorum: *Cur tam crudeliter ſæviant, niſi quia metuunt, ne in dies invaleſcente juſtitiâ; cum Diis ſuis* NARINOSIS *relinquantur.* Sic audiit, pro *araneoſis*, hoc eſt, circa quos abſentibus Sacerdotibus, araneæ ſuas operas conficerent. Irridet Ethnicorum Deos, quorum ſimulacra indigebant operâ hominum, ut ab iis araneæ arcerentur; quæ, relictis eorum ſacris, Templa & ſtatuas telis ſuis implerent; & quas æditui ac Sacerdotes dejicere ſolebant. *Propertius* Lib. II. El. VI, 35. de Diis neglectis:

Sed non immeritò velavit Aranea *fanum*
Et mala deſertos occupat herba Deos.

Sunt MSS. qui habent *varicoſis*, quod abſurdum, Ed. Betuleii, *curioſis*; Iſæi, *carioſis*, quæ ſunt conjecturæ. In Editione Antverpienſi, apud *Joannem Gymnicum*, quæ *per Deſ. Eraſmum* recognita dicitur, legimus: *cum Diis curioſis* (*quos Narinoſos appellant*,

quod odoribus thuris colantur) *relinquantur*. Gloſſa inepta, quæ eſt intra parentheſin, oſtendit Editorem quoque *Narinoſis* legiſſe.

10. Unum *Theophraſti* locum duplici hîc liberabo mendo, orto utroque, ut videtur, ex oſcitantia Librarii Dictantem perperam audientis. Sic ille loquitur Cap. XXVIII. in ἀψιμαθίας charactere, περὶ τὸ ὀψιμαθὲς: εἰς ἀγρὸν ἐφ' ἵππου ἀλλοτρίου ὀχούμενον, ἅμα μελετᾶν ἱππάζεσθαι, καὶ πρὸς τὴν κεφαλὴν καταισχύνειν. Vertit *Caſaubonus*: *dum rus pergit, alieno equo vectus, ſimul obvios ſalutare meditatur, cadens verò caput detorquet.* Quænam eſt illa ſalutandi meditatio? & quidem ex equo? An aliis verbis ſalutabant equitantes, aliis pedibus incedentes? Non opinor. Sed fortè qui equo inſidebant, ut conjectat *Caſaubonus*, certos geſtus habebant, quibus utebantur in ſalutandis obviis. At nunc quidem hoc fit, quia inflexo corpore ſalutamus, & detracto Capitis integumento; verùm olim nihil ſimile, cùm verbis tantùm ſalutarent, ut χαῖρε Θεόφραστε. Legendum eſt ἱππάζεσθαι, & μελετᾶν ἱππάζεσθαι eſt *ſe exercere equitando*, ut faciunt qui eam artem diſcunt, dum in varias partes equum convertunt, calcaribúsque & freno adigunt ut variis modis ſubſiliat, tum etiam ut concitatiùs currat. Sic, apud *Xenophontem*, τὴν ἱππικὴν μελετῶντες, *in arte equitandi ſe exercentes*, & alia, quæ *Henr. Stephanus*, aliíque Lexicographi ſuppeditabunt; nam res eſt manifeſta, & frequens. Unum addam è *Xenophonte*,

phonte, περὶ ἱππικῆς, C. II, 1. κρεῖττον —— ἱππάζεσθαι μελετᾷν, *ſatius* —— *exerceri equitando.*

11. Dum autem ὀψιμαθὴς ab equo vehementiùs concutitur, tandem cadit ὥστε κεφαλὴν κατεαγέναι, *ut caput frangat*, non καταισχύναι *deturpet*, ut frigidè *Caſaubonus*, ex hac lectione Vet. Cod. κατισχίναι. Qui cadit ex equo concitato, non modò ſibi deturpat caput, ſed plerumque lædit, & ſæpe frangit. Fortè legendum etiam κεφαλῆς, ſic enim loquuntur Attici. *Ariſtophanes* in Acharnenſibus Act. V. S. I.

Καὶ τ' κεφαλῆς κατέαγε περὶ λίθον πεσών.

Fregit caput in lapidem incidens, ubi Scholiaſtes, ex Grammaticorum canonibus, ut ait, interpretatur *partem capitis*, *non totum caput.* Idem in Veſpis p. 533. Edit. Majoris Genevenſis:

Ἀνὴρ Συβαρίτης ἐξέπεσεν ἐξ ἁμάξης,
Καί πως κατιάγη τ' κεφαλῆς μέγα φρόδρα.

Vir Sybarita excidit ex curru, & ſibi magnam capitis partem fregit? Idem contingere dicit *Theophraſtus* ſeni, qui graviore ætate diſcit equitare, & quidem equo, cui non eſt adſuetus, & dum it in villam. Certa mihi videtur

detur conjectura, & quam, ſi neceſſe eſſet, aliis locis firmarem.

12. Audientis vitio, videtur factum ut cùm legatur apud *Hippocratem* de alimentis, text. 58. αἷμα ὑγρὸν ἀγαθὸν, αἷμα παχὺ φλαῦρον, *ſanguis fluidus, probus; ſanguis ſpiſſus, pravus*; *Galenus* Comment. IV. interpretatur vocem φαῦλον, τὸ φαῦλον, inquit, σημαίνει τὸ μοχθηρόν. Vox eadem in textu & in commentario ſit oportet, ſive ſit φλαῦρον, ſive φαῦλον, ſed ſoni & ſignificatûs ſimilitudo Librarios fefellit. Indidem factum eſt ut in *Hippocratis* Prognoſtico, Sent. II. pro ὑποφάσιας τῶν ὀφθαλμῶν, quomodo ſcribendum eſſe liquet, quia ſunt dictæ eò quòd ὑποφαίνηταί τι τῆς λευκῆς *pars aliqua albi oculorum adpareat*, non commiſſis palpebris; *Artemidori* tamen & *Dioſcoridis exemplaria* haberent ὑποφύσιας, quod meritò rejicit ad eum locum *Galenus*, Comment. I. Tom. VIII. p. 529. Ed. Charter. In Prædictionum Lib. I. Com. II. ad text. 38. θολερὸν πτεῦμα legitur & θαλερὸν, ut docet *Galenus*, quod aurium vitio deberi videtur, & doctiſſimo viro dubitationem creat, utrum ſit legendum; quamvis *turbidum* ac *floridum* diverſa ſint. Sic & eodem libro, text. 58. pro ἕρα ἐπίπονα, *laborioſæ urinæ*, legebatur in Codicibus quibuſdam πέπονα *matura*, quod prætulit *Zeuxis*, rejecit verò *Rufus*, & meritò, ut oſtendit *Galenus*. Iterum textu 73. καυματώδεις *ſopore oppreſſi*, & καυματώδεις *ardentes* legebatur; textu 86. ὄμματος κατάκλεισις *oculi clauſio* & κατάκλασις *fra-*

fractio; textu 89. ἀνέλκεται *ſurſum trahitur* & ἀνέχεται *adſcendit*, & ἀνίσχεται *cohibetur*; & 94. λαμπῶδις *lucidum*, & λαπαρῶδις, quod quid ſit hîc non adſequor. Similiter Comment. I. in Officin. Medici, textu 19. non ſatis conſtat *Galeno*, ob varietatem Codicum, an legendum ſit ἔκτριψιν, vel ἔκρριψιν, vel ἔκτριψιν, quod diſcrimen auribus Librarioruin debetur. Indidem factum ut Epidem. Lib. III. text. 61. non conſtet, ut docet *Galenus* Com. III. p. 293. Tom. IX. an excrementa ægri neſcio cujus dicantur ὑδατόχολα, *aquoſa* & *bilis colore tincta*, an ὑδατόχλοα *aquoſa* & *herbæ colore tincta*? Quin & alia exemplaria, minùs vetuſta, nec ſatis emendata, habebant ὑδατόχροα, *coloris aquei*. Sic ὕστερον *inteſtinum* & ἕτερον, *alterum* miſta docet idem in Lib. VI. Comm. IV. text. 3. Multa alia ſimilia apud *Galenum* occurrunt, ſed hæc ſatis ſupérque ſunt, ut quod volumus intelligatur.

CAPUT IX.

De Mendis ex imperitia Scribentis ortis, 3. dum non adsequitur Orthographiam, aut antiquiores litteras.

1. QUOD in hodiernis Linguis animadvertimus, intra tria aut quatuor sæcula, mutationem sat magnam factam esse, cùm in Orthographia, tum etiam in ipsarum litterarum figura; idem veteribus Linguis olim accidit, ut antea partim animadvertimus, unde etiam plurima menda orta sunt. Quod hîc paullò pleniùs persequemur, & aliquot exemplis illustrabimus.

2. I. Ut ab Orthographia incipiamus, certissimum est, jam apud antiquiores Latinos, non semper eamdem fuisse, nec opus est rem hîc demonstrari, quandoquidem de industria id dudum à viris doctis, diligentérque & copiosè factum est. Legenda hac de re quæ habent *Quintilianus* Institut. Oratoriarum Lib. I. Capp. 4, 6, & 7. *Marius Victorinus* initio operis de Orthographia, & ratione carminum, & Orthographia *Cassiodori*. Inter recentiores verò adiri præ ceteris à tironibus potest *Claud. Dausquius*, initio prioris voluminis Orthographicorum. Exemplum dumtaxat unum proferam ex *Cicerone*, ut eum obiter illustrem. Sic ille, in Oratore Cap. XLVIII. *Ego ipse, cùm scirem ita Majores loquutos esse, ut nusquam*,

quam, nisi in vocali, adspiratione uterentur, loquebar sic, ut pulcros, Cetegos, triumpos, Cartaginem *dicerem, aliquando, idque sero, convicio aurium, cùm extorta mihi veritas esset, usum loquendi populo concessi, scientiam mihi reservavi.* Orcivios *tamen &* Matones, Otones, Cæpiones, sepulcra, coronas, lacrimas *dicimus, quia per aurium judicium semper licet.* Burrum *semper Ennius, numquam* Pyrrhum. Vi patefecerunt Bruges, *non Phryges, ipsius antiqui declarant libri. Nec enim Græcam litteram adhibebant, nunc autem etiam duas.* At hoc videtur factum, non tam ad vitandam litteram Græcam, quàm quia Macedones, quorum Dialectus cum victoriis per totam Græciam, ante *Ennii* tempora, sparsa fuerat, ut ostendit *Claud. Salmasius* in Comment. de *Hellenistica*, ita vulgò loquebantur. Hoc nos docet auctor Etymologici Magni, in voce Ἀφροδίτη: Τὸ Β τῷ Φ συγγενές ἐστι δῆλον ἐκ τοῦ Μακεδόνας μὲν τὸ φλιαπον βλιαπον καλεῖν, καὶ τὸν φαλακρὸν βαλακρὸν, καὶ τοὺς φρύγας βρύγας, καὶ τοὺς ἀνέμους διὰ τοῦ φυσᾶν φυσήτας ὄντας βύκτας. * Alii simila animadverterunt.

3. Verum *Cicero* miram Orthographiæ anomaliam, eodem loco, memorat, & *cùm* Phrygum, & Phrygibus *dicendum esset, absurdum erat aut tantùm barbaris casibus Græcam litteram adhibere, aut recto casu solùm Græcè loqui*; *tamen* & Phryges & Pyrrhum, an-

* *Vide Eustathium in Homer. pag* 1614. *Ed. Rom.*

aurium causâ, dicimus. Ex hisce intelligere est, *Ciceronis* ævo, dici solitum *Phryges* & *Pyrrhus*, cùm in aliis casibus, Enniano more, pronunciarent *Brugum*, &c. *Burri*, &c.

4. Hæc & similia multa, quæ congeri possent, qualia plurima collegit *Cl. Dausquius*, Critico debent esse notissima, si velit cum laude Artem Criticam exercere. Ideò *Cassiodorus* Divin. Lectionum c. XV. Monacho suo, quem volebat Librarii munus obire, *Orthographos*, inquit, *priscos frequenter relege, quos ego inferiùs titulo trigesimo, qui de Antiquariis legitur, propter notitiam Librariorum utiliter instruendam, deflorandos esse judicavi & extrinsecus huic libro de Orthographia titulum dedi. Ita contigit, ut & istud studioso prosit legere, ubi cognoscit quæ in Scripturis Sanctis minimè debeat violare; & illud necessariò latiùs discitur, ubi generaliter præsumta vitia corrigantur.*

5. Acute * Criticus emunctæ naris, in Epistola, in quâ profert vetus monumentum, initio sæculi XVII. Romæ effossum, amicum monet *ad emendationem tot errorum, quibus hodiéque scatet Plautus, fons ille genuinæ, puræque Latinitatis, nihil utilius esse, quàm eam tabulam ante oculos habere; ut, ubi quid in Plauto occurrit, quod suspicionem mendi habeat, statim tibi dicas quanam ratione illud, aut illud Plauti ævo scribebatur? Quæ forma litterarum erat? Quæ litteræ interdum omitte-*

* Tan. Faber Epist. Lib. II. Ep. 32.

tebantur ? Hanc in rem, non pœnitebit legiſſe eruditiſſimam Digreſſionem *Joſ. Scaligeri*, de Litterarum Ionicarum origine, ad locum Euſebiani numeri MDCXVII illuſtrandum. Sed & ſtudioſè verſandæ ſunt collectiones Veterum monumentorum, quales ſunt Inſcriptiones æri & marmori inciſæ, quæ ſuperſunt in collectaneis *Jani Gruteri*, *Thomæ Reineſii*, *Jac. Sponii*, *Raphaëlis Fabretti* & aliorum. Eminent, meo judicio, inter alia id genus, *Fulvii Urſini* notæ ad Leges & Senatûs Conſulta, quæ nuper recuſæ ſunt, in ſecundo Antiquitatum Romanarum volumine; & *Pet. Ciaconii* interpretationes Vett. aliquot inſcriptionum quarto volumini earumdem Antiquitatum inſertæ. Sed hos & ſimiles libros nihil opus eſt à nobis indicari, cùm ſatis noti ſint, aut facilè ex lectione Criticorum innoteſcant.

6. Non procul erit nobis mendi ex ignorantia Orthographiæ orti quærendum exemplum, cùm Cap. VI. §. 24. emendaverimus conclamatum *Terentii* locum, qui depravatus fuerat, partim eò quòd litteras * duplices antiquiſſimi Romani non ſcriberent. Nempe, pro *illis ab illo* factum eſt *illi Babylo*, quia ſcriptum fuerat *ilis abilo*. Deinde quia Critici judicarunt hîc ad luxum civium Metropoleos Chaldaïci Imperii reſpici, pro I. ſcripſere Y, & *Babylonem* in hunc locum invexere.

7. Veteribus uſitatiſſimum erat præpoſitiones

* *Adi, ſi neſcis, Claud. Dauſq. Orthog. Princip. Sect. II.*

nes verbis compositis præfigere, sine mutatione, quæcumque littera sequeretur; non eas emollire mutatione, ut solemus. Sic in *Glossis* scriptum *Adclivis*, *Adfaber*, *Improbare*, *Inremeabilis*, *Adcelero*, *Obfensus*, *Obpono*, &c. Idem factum in inseparabili præpositione CON, ut *Conlacrimo*, *Conlactaneus*, *Conlapsus*, *Conlatio*, *Conlaudo*, *Conloco*, &c. pro quibus, nos N mutamus in L, *Collacrimo*, *Collactaneus*, &c. Vetus illa orthographia passim, in antiquissimis Codicibus, cernitur. Quod cùm ignorarent Monachi, qui *Lactantium* nobis, Latinorum Patrum tersissimum, exscripserunt, absurdè loquentem virum disertissimum induxerunt, in eleganti Libello de Opificio Dei, C. I. Ait * *tantâ temeritate homines exstitisse, qui vulgò Philosophi nominantur, ut ea quæ abstrusa prorsus atque abdita Deus esse voluit, scrutarentur, ac naturam rerum cœlestium, terrenarumque conquirerent; quæ à nobis longè remotæ, neque oculis CONTRECTARI, neque tangi manu, neque percipi sensibus possunt.* Scripserat *Lactantius* CONLUSTRARI, sed imperiti exscriptores, cùm crederent scribi COLLUSTRARI, non agnoverunt hoc verbum in hoc loco, mutarúntque in *contrectari.* Quo absurdius nihil fingi potuit, cùm *conlustrare oculis* non modò proba sit loquutio, sed etiam *Ciceronis*, quem imitari nititur *Lactantius.* Scribitur autem hæc vox, in *Glossis* quoque, eo, quem diximus, modo:

* Pag. 778. Ed. Oxonienſis, ex Theatro.

do: *Conluſtrat*, *συμπεριέχεται*, *Conluſtro*, *συμπερινοστῶ*, *συμπεριέχομαι*.

8 II. Verùm non modò tenendum quæ fuerit Veterum Orthographia, ut varia menda inolita in eorum libris retegamus, & feliciter emendemus; ſed & probè ſciendum quibus characteribus uſi ſint, ſdque diligenter ad animum eſt revocandum. Nemo dubitat quin Latini litteras ſuas Græcis debeant, ſed initio litteræ Latinæ multò ſimiliores erant Græcis, quàm poſtea fuerunt, ut conſtat ex antiquiſſimis Inſcriptionibus & Nummis. Exempli cauſâ P. Latinum ferè ſcribebatur ut Π Græcum, niſi quòd crus dextrum brevius eſſe ſoleret; quo factum, ut celeritatis cauſâ angulus rectus qui eo crure, & ſuperiore lineâ conſtat, in hemicyclum tandem mutaretur. Cernere hoc licet in monumento de quo antea diximus, aliſque antiquiſſimis Inſcriptionibus.

9. Quod cùm ita ſit, & conſtet Græcos ſuum *Sigma* nunc ita pinxiſſe ut Σ, nunc verò ut C, crediderim etiam Latinos, antiquiſſimis temporibus, poſteriore hac figurâ interdum eſſe uſos. In lapidibus ſanè aliquando confunduntur C & S etiam ante A; ut CATULLII pro SATULLII, in Claſſe VI. Inſcr. 112. *Thomæ Reineſii*, in cujus Indice alia etiam exempla reperire eſt. Itaque, quemadmodum aliquando Græca legentes Latini imperitiores S & C miſcuerunt: ſic &, in Latinarum vocum lectione, ſimiliter erratum. In *Gloſſis*, legere eſt BOC-

BOCLUCA, pro BOS LUCA, ἐλέφαντος, * notum enim eſt Romanos, cùm primùm vidiſſent Elephantos, eos *Boves Lucas*, ſeu *Lucanos* dixiſſe. In iiſdem *Gloſſis*, BOSBUC eſt pro BOS, βοῦς. CUPPLANTO pro SUPPLANTO, συμποδίζω, quod eſt à *Paſſeratio* animadverſum. Sed eſt alius inſignior locus, in littera C, ubi legimus: *Cana*, Παναχεία θεὸς, πολιὰ *Cana* à *Canus* eſt πολιὰ; ſed SANA à *Sanus* eſt *Panacea Dea*, Æſculapii filia. Attamen utrumque ſub eodem titulo latet, quod in priſcis characteribus Latinis S interdum ut C pingeretur. Non dubito quin ex antiquiſſimo Scriptore Latino hanc ſignificationem vocis *Sana* hauſerit *Gloſſographus*, aut ii quorum induſtria illi præiverat, quicumque fuerint. Certè in Scriptoribus, qui ad nos pervenerunt, quod equidem ſciam, ea vox non exſtat; potuit tamen recte dici *Sana* Dea, quæ ſanaret, ut *Suada* quæ ſuadet, *Padua* à pandendo, *Horta* ab hortando, *Deverra* à deverrendo, & ſimiles.

10. Credibile eſt in Veterum Scriptis, cùm majuſculis litteris ſcribendi conſuetudo paullatim inſoleſceret, ſæpe à Librariis recentiori characteri adſuetis peccatum eſſe, dum ambiguas ejuſmodi litteras legere neſciunt; quas poſtquàm ſemel, pro captu ſuo, characterе Langobardico expreſſerunt, men-

da

* *Vide Plinii Hiſt. Nat. Lib. VIII. c. 6. & ad eum Intt.*

da consensu Manuscriptorum Codicum ita exaratorum consecrarunt. Potest, ut videtur, exemplum ejus rei è *Terentio* proferri, ubi Librarius expressit perperam figuram C litterâ S, cùm debuisset eam servare. Locus est Adelphorum Act. V. S. 7. vers. 19. ubi mendum est, quo structura planè turbatur. Auctor est Demea filio, ut, missâ inani pompâ, in horto maceriam jubeat dirui, & illac sponsam, matrem & familiam omnem transducat in ædes Micionis. Cùm adsentiretur Æschinus, tum verò Demea, *Syre*, inquit, *cessas ire, & facere*? Nempe, diruere. At Syrus: *quid ago*? quid me jubes facere; nam, proximè antecedentibus verbis, alia nonnulla dixerat Demea, quibus factum erat ut ne à Syro intelligeretur. Tum Demea: *dirue* (maceriam,) *tu* ILLAS, *abi*, & *traduce*; hoc est, tu Syre, *dirue*, *tu* verò Geta, *illas abi & traduce*; quorum verborum ordo est, ut aiunt, *abi*, & *traduce illas*; sed quis hanc trajectionem verborum ferat, in Comico æquè terso, ac *Terentius* est? Certè Dithyrambici est Poëtæ, non *Terentii*. Lege: *tu* (Getà, nimirum) ILLAC *abi & traduce*; hoc est, cùm dejecta à Syro erit macerìa, *illac* tu *abi* domum, & per eamdem viam *traduce* sponsam & totam familiam. Vult Getam quàm brevissimâ viâ domum ire, ne mora ulla sit. Qui veteres Codices *Terentii* describebant videntur C interpretati, quasi esset S, cùm esset tertium Alphabethi elementum.

11. Quòd si hæc menda non videantur ex figu-

figura illa litteræ S nata, quod tamèn verisimillimum est, confugiendum erit ad similitudinem ductuum; si eorum aliqua pars deleta sit vetustate, aut à Librario non satis absoluta. Si enim inferior hemicyclus litteræ S oculos fugiat, quod supererit simillimum erit litteræ C. Sic pro BOS, potuerit fieri *boc*; & pro SANA, *cana*. Vicissim, si interioris partis litteræ C particula reflecteretur, potuit facilè haberi S, ut pro ILLAC fieret *illas*.

12. Characteribus *Romanis* quadratis succesſerunt, ut antea diximus; *Langobardici* rotundiores; quorum etiam considerandа similitudo, cùm locus quispiam mendi est suspectus, ut divinare possimus quomodo antea scriptum fuerit, & quid mendo occasionem præbuerit. Etsi exempla adtulimus Cap. IV. quæ huc referri possunt, nihil vetat unum atque alterum hîc addi, quò res manifestior fiat; potest enim multò faciliùs atque evidentiùs probari exemplis, quàm ratiocinatione. Igitur ex *Plauto* unum, ex *Terentio* verò alterum proferemus.

13. Est locus *Plauti* conclamatus, eò quòd pro *ui* legatur *u*; pro *n* scriptum sit *r*, *os* pro *am*, & *a* pro *o*. Truculenti Act. I. S. 1. Dinarchus adolescens describit quæ sint in amore incommoda.

Non omnis ætas ad perdiscendum sat est
Amanti, dum id perdiscat quot pereat modis.

Tum

Tum interpoſitis octo verſibus, quibus deſcribit varias amantium calamitates, addit, ex MSS. *Camerarii*:

Primùm dum miror annua; (aut *miros annuus*) *is primus bolu'ſt*,
Ob eam, tres noctes utor. Interea loci, aut æra, &c.

Illud *ob eam* docere potuit Criticos legendum, in antecedente verſu, *duim minam*, *annuo*; hoc eſt, primùm rogat ſibi *dem minam*; *annuo* daturum, & re ipſâ do; *ob eam*, *tres noctes utor*. Cùm Librarii legiſſent *dum* pro *duim*, quod eſt veteri more * pro *dem*, mutarunt *minam* in *miror*, & *annuo* in *annua*, quæ nihil quidem ſignificant, ſed ſpeciem conſtructionis præbent. Nimirum, corruptâ unâ voce *duim* in *dum*, antiquiores Librarii ſenſum nequaquam adſequuti, duas ſequentes non ſatis eleganter ſcriptas legere non potuerunt, aut ductus fortè non ſatis integros ſupplere: ut ſolet fieri, cùm ex ſuperioribus ſententia clara eſt. Poſtea Critici locum fruſtra tentarunt, ut liquet ex editione *Frid. Taubmanni*, & Lugdunenſi, apud Batavos, in qua ſunt inanes conjecturæ duorum, in Republica Litteraria, ſine controverſia, ſummorum virorum, *Claud. Salmaſii* & *Joan. Fred. Gronovii*.

14. Locum in *Terentiana Eunucho*, ob levem depravationem, non intellexere Inter-

* Tam duim quàm perduim, *Aululár. Act. IV. S. 6. verſ. 6.*

pretes, quos equidem vidi, nam omnes consulere nec possum, nec vacaret, si possem. Ea depravatio orta est ex eo quod ex *n*, producto ad superiorem partem crure dextro, errante calamo, factum est *d*. Legat Lector, si vacat, Actûs IV. Scenam VII. ab initio ad vers 24. ne quod habet *Terentius* nobis narrare hîc necesse sit. Thais exprobranti militi *quòd ipsi ante oculos amatorem suum adduxisset*, Chremetem, nimirum, qui aderat, respondet: *quid cum illo agas*? quod hîc caret sensu. Lege QUIN *cum illo agas*; quibus verbis significat à milite ea de re cum Chremete, qui præsens erat, agi oportere, non secum; quia res Chremetis agebatur, cùm sororem operâ Thaïdis inveniisset, eáque de causa eum ad militem venire jussisset, & illinc, simul ac Chremes, se subduxisset. Sic in eadem Scena vers. 41. *quin abeamus*, pro imò abeamus, & sexcenta similia. Hæc cùm non animadvertissent nonnulli Interpretes, verba, *quid cum illo agas*, tribuerunt Militi. Sic *Anna Fabra*, eruditissima matrona:

THRASO.

—— *rogitas?*
Quæ mî ante oculos coram amatorem adduxti tuum?
Quid cum illo ut agas, & cum illo clam te subduxti mihi.

At adparet, ex *Donato*, verbis illis præfixum fuisse nomen Thaïdis. Præterea *ut*, contra ve-

veterum Codicum fidem, hîc infarcitur, ante *agas*. Sic ſæpe locus non intellectus, ob mendum, novo mendo corrumpitur. Imò verò ex ipſa verſione Galliça liquet vim inferri loco, ſic enim vertit: *Me le demandez-vous, vous qui à mon nez m'avez amené vôtre galand, & qui vous êtes dérobée de chez moi avec lui? Pour quelles affaires donc, je vous prie?* Nam non eſt inverſa hæc tranſlatio, alia de cauſa, quàm quia verba Thraſonis hæc omnia eſſe non poſſunt, ſi ordo hic ſervatur. Vertendum erat, hoc modo. THRASON. *Me le demandez-vous, vous qui avez amené vôtre galand en ma préſence?* THAIS. *Que ne vous adreſſez-vous à lui-même.* (En montrant Chremès) THRASON. *Et qui vous êtes retirée ſecretement de chez moi, avec lui?* Simile mendum ſuſpicor eſſe apud *Plautum*, in Bacchidibus, Act. I. S. 1. verſ. 7. ubi cùm Bacchis dixiſſet: *miſerius nihil eſt quàm mulier:* ſuggerit Piſtoclerus: quid *eſſe dicis dignius?* quod interpretantur, meritò mulieres eſſe dignas miſeriis, quas queruntur, nihil enim iis dignius eſſe. Qui ſenſus quidem loci eſt, ſed interrogatione hujuſmodi vix exprimatur. Itaque legerim, QUIN *eſſe dicis dignius*, nempe, miſeriis omnibus; ita ut adoleſcens emendet ſermonem meretricis. Uſum hunc particulæ *quin* ſi quis ignoraret, intelligi poſſet ex Caſinæ Act. III. S. 4. ubi duodecies repetitur, in paucis verſibus.

15. Ut à Latinis ad Græcos tranſeamus, duplici etiam charactere habemus MSS. Codd.

Græcos, quorum vetuſtiores exarati ſunt charactere grandiore & quadrato; alii verò rotundo & minore, qualis eſt is, quo nunc vulgò utimur. Magni autem eſt momenti, in originibus mendorum inquirendis, conferre inter ſe litteras; cùm perſæpe menda ex ſimilitudine majuſcularum orta; vix ex minuſcularum ductibus oriri potuerint, & viciſſim. Itaque qui legunt Scriptores Græcos, iis characteribus, quibus nunc ſolent edi, ſæpe non adſequuntur quî litteræ tam diverſæ miſceri potuerint.

16. Exempli cauſâ, A, Δ & Λ in majuſculis litteris facilè miſceri potuerunt, difficiliùs in minuſculis α, δ & λ. Si enim lineola media τῦ A deleatur, aut non ſatis plenè ſcribatur, videbitur eſſe Λ: ut contrà ſi quid inciderit inter crura poſterioris, credetur eſſe A. Littera Δ, ſi infima lineola paullò adtollatur, poteſt fieri A; ſi non plenè exaretur, videbitur eſſe Λ: ut ſi fortè quid incidat inter infima crura hujus, credetur eſſe Δ, quemadmodum etiam A, ſi media linea nimiùm deprimatur.

17. In *Gloſſis* legimus: *Gibus* (lege, *gilbus*) γιαϐῶ, pro ΓΙΑΒΟΣ. *Stludio*, χαμεϐαλιον, pro ΧΑΜΟΥΛΚΙΟΝ. *Setoſus*, δάσιῶ, pro Λάσιῶ. *Faſtidium*, λίτωμα, pro *Faſtigium*, Α'ίτωμα. Harum litterarum permutationem frequentem eſſe obſervavit * *Claud. Salmaſius*, emendátque, ex hac obſervatione,

* *Pag. 178. Ed. Ultraject. col. 2.*

ne, *Dioſcoridis* locum Lib. V. c. 146. ubi, pro Πλαγιωπόλιως, legit Παλαιοπόλιως, addítque *notum eſſe Græcè intelligentibus* Λ & Α *ſæpe invicem mutari in eorum ſcriptura.* Alibi, poſtquàm egit de variis ſententiis Geographorum, de ſitu populorum Arabiæ, quî *Catabanes* dicebantur, animadvertit mendoſè eos à *Dionyſio*, verſ. 958. dici Κλιταβηνούς. * *Scriptum erat*, inquit, ΚΑΤΑΒΗΝΟΙ, *nam* Λ & Α *ſæpe invicem permutantur*; *unde poſtea, adjecto* Ε, *fecerunt* Κλειταβηνοὶ, quod copioſiùs probat. Suſpicatur etiam fluvium, qui in Oxum à *Plinio* & *Solino* labi dicitur, à *Ptolemæo* non Δάργιδον, ſed Δάργιλον dictum; † *ut* Δ & Λ, inquit, *ſæpenumero confunduntur.*

18. Ut liquidiùs adpareat quanti ſit momenti, omiſſis figuris librorum editorum, antiquas adtendere, duo exempla addemus quatuor aliarum litterarum; quas ante aliquot ſæcula miſtas fuiſſe conſtat, & quæ tamen in rotundiore charactere vix poſſunt confundi. Θ & o facillimè miſceri potuerunt, ſi media lineola τῦ Θ fortè abraſa eſſet, aut guttula atramenti in o delapſa. *Galenus*, Præfatione in Comm. 1. in Lib. VI. Epidemior. p. 354. Tom. IX. Ed. Charterianæ. Ἐπεὶ ἤ ἐνίοτε κἢ κατ' ἄμφω σφάλλονται, πολὺ βέλτιον ἔδοξέ μοι φυλάττοντι τὴν ἀρχαίαν γραφὴν, αὐὶ μὲν σωσδάζειν ἐκείνην ἐξηγεῖσθαι, μὴ δυηθέντι δέ ποτε τυτο πρά-ξαι, πιθανὴν τὴν ἐπανόρθωσιν αὐτῆς ποιεῖσθαι, καθά-

* *Ibid. p. 353. col. 2.* † *P. 153. col. 1.*

στις ὁ Ἡρακλείδης ἐν τῷ δευτέρᾳ τῶν ἐπιδημιῶν ἐποιήσατο, κατὰ τὴν λέξιν ἐκείνην ἢ γέγραπται. Πρὸς ᾗ τὸ Ἀφροδίσιον αἱ Οὐραὶ ἔβλεπον. Ἐπειδήπερ τοῖς ἐξηγησαμένοις τὴν Οὐραὶ γραφὴν, ἀπιθανῶς εἴρηται, τάχα, φησὶ, Θυραὶ μὲν ἦν γεγραμμένον, διὰ τοῦ Θ, τῆς μέσης ᾗ γραμμῆς ἐν αὐτῇ διαφθαρείσης ἔδοξεν ὁ βιβλιογράφος Οὐραὶ γεγράφθαι. *Quandoquidem in utroque aliquando falluntur, multò melius mihi visum est servare veterem scripturam, & semper quidem conari eam interpretari; si verò aliquando id præstare non possem, ejus correctionem probabilem facere: sicut Heraclides in* * *secundo Epidemiorum fecit, in ea sermonis parte ubi scriptum:* Ad Aphrodisium αἱ Οὐραὶ spectabant: *nam cùm interpretantibus scripturam* Οὐραὶ, *improbabiliter dictum esse videatur, fortè, inquit Heraclides,* Θυραὶ *scriptum fuit per* Θ, *cùm verò media linea in littera* Θ *deleta fuisset, credidit Librarius* Οὐραὶ *scriptum fuisse.* Similiter vir eruditus feliciter conjecit indicem libri, qui inter Ethica *Democriti* Opera recensetur à *Diogene* Laërtio, non debuisse ita concipi, ὑπομνημάτων ἢ Οἴκων, sed ὑπομνημάτων ΗΘΙΚΩΝ. Vid. *Æg. Menagium*, ad Lib. IX. §. 46.

19. Similitudo τοῦ Π & Τ, si prioris alterum crus evanuerit, facile errorem parere potest & peperit. Sic *Hippocratis* Prædictionum

* *Vide Com. II. in Lib. II. ad text. 22. p. 141. T. IX.*

num Lib. I. præd. 16. ita habet, οἱ φρενητικοὶ βραχυπόται, ψόφῳ καθαπλόμενοι τρομώδεις: *phrenetici qui parum bibunt, ſtrepitu perculſi, tremuli.* Obſervat ad eum locum *Galenus* Comment. I. Tom. VIII. p. 712. Ed. Charterianæ, quoſdam legere βραχυπόπας, hoc eſt, ὑποπλεύοντας τὰ βραχύτατα, *res leviſſimas ſuſpectas habentes*; nec ſenſus eſt ineptus. Sic & alibi, apud eumdem, Τόνος, Πόνος, & Γόνος confuſa memini, ob ductuum ſimilitudinem. Vide Comment. I. *Galeni* in Lib. I. Prædictionum, præd. 35. Tom. VIII. p. 723.

20. Notum eſt † à *Plinio* ſæpiſſimè exſcribi *Dioſcoridem*; quem etiam interdum imperitè ab eo converſum oſtendit ſummus Criticorum *Claud. Salmaſius*. Locum nunc proferam, ex quo liquebit ambiguis ductibus litterarum majuſcularum fuiſſe deceptum. Eum ſuppeditabit idem, quem laudavi, Criticus. Sic *Dioſcorides* deſcribit Glycyrrizam Lib. III. c. 7. ἔστι δὲ θαμνίσκος ῥάβδους ἔχων διπήχεις, περὶ ἃς τὰ φύλλα πυκνὰ, ἐοικότα ΣΚΙΝΩΙ, λιπαρὰ καὶ κολλώδη ἀψαμένῳ. τὸ δὲ ἄνθος ὑακίνθῳ ὅμοιον, καρπὸς δὲ πλατάνου σφαιρίων μέγεθος. Integrum locum deſcripſi, ut liqueret *Plinium Dioſcoridis* interpretem agere. Sic loquitur Lib. XXII. C. 9. *Sine dubio inter aculeata eſt*

* *Vide Præfat. ad Exercit. Plinianas in Solinum, & ad Lib. de Homonymis Hyles Iatricæ.*

(Glycyrriza) *foliis ECHINATIS, pinguibus, tactúque gummosis, fruticosa; binûm cubitorum altitudine, flore hyacinti, fructu pilularum platani magnitudinis.* Jam audi *Salmasium* *: *Plinius*, inquit, *legit ἰσιχόντα ἰχίνῳ vel suis oculis malè usus, vel alienis malè credulus, vel certè vitio corrupti exemplaris seductus. Vetustissimum Bibliothecæ exemplar σχίνῳ disertè scriptum præfert. In illis antiquis & grandioribus litteris Græcis, nulla ferè discretio est inter* Ε *&* Σ. *Utraque siquidem semicirculi figurâ depinguntur. Exiguo tantùm apice, qui in medio ferè ponitur, distingui solet* Ε ψιλὸν, *sic facilè subrepere Plinio potuit ἰχῖνος pro σχῖνος.*

21. Hæc vir summus, quæ mihi in memoriam revocant salubre rei Criticæ monitum, quod omnes qui ex Codicibus MSS. edunt, aut denuo emendant Veteres, in animo scriptum habere oporteret. Hoc, nimirum, est; debere eos diligentissimè describere Manuscriptos suos Codices, & illorum Characterum specimen quodpiam æri inciſum edere, ut Lectores possint integrum Alphabethum cernere; quo cùm antiquitatem Codicis intelligant, tum etiam de locis corruptis judicare possint. Sæpe enim non licet viris doctis eos MSS. adire, seu ob distantiam locorum, seu ob præfectorum Bibliothecis invidiam, aut inhumanitatem, seu ob alia impedimenta, quæ memorare nihil adtinet. Sæpe tamen contingit ut qui MSS. Codd. non vi-

* *Pag.* 123. *col.* 1.

viderunt eruditione multùm ſuperent eos, quibus illos Codices evolvere licet; quo fit ut multa feliciſſimè emendent, quæ alios fugerunt. Plura autem ſine dubio & certiùs peccata retegerent, & emendarent, ſi liceret ex forma ipſa Characterum conjecturam facere. Vixit olim in Anglia vir eruditus *Patricius Junius*, qui primus edidit Epiſtolam *Clementis* Romani, ex antiquiſſimo illo MS. Alexandrino; quem ne dignatus quidem eſt deſcribere, cùm hoc magni intereſſet. At tum vivebant extra Angliam multi, qui *Junio* haud paullò doctiores erant, & qui ex deſcriptione, qualem diximus, multa colligere potuiſſent, quæ vir bonus non potuit; qui quàm magnus Theologus fuerit neſcio, ſed modicè in rebus Criticis verſatum fuiſſe, ex ejus Præfationibus & Notis, facilè intelligent omnes qui eas legent. Interea grato in eum nos animo eſſe oportet, qui quod potuit præſtitit, ſi deſcriptionem Codicis, quo uſus eſt, excipias.

22. Sed ut ad rem redeamus, ignoranda non eſt Critico, ut jam diximus, orthographia etiam vetuſtiſſima, quod exemplo è *Galeno* petito oſtendam. Comment. III. in VI. Epidem. ad text. 40. p. 70. T. IX. Ed. Chart. ubi occurrit vox σκῆψις, pro ἀποσκήψει, quam *decubitum* humoris, vel *abſceſſum* vertunt, poſtquàm locum eſt ex hac lectione interpretatus: Δοκεῖ δέ μοι δύνασθαι καὶ ὕτως ἀκούειν τὸ ῥήσεως, εἴγε κατὰ τήνδε τὴν λέξιν εἴρητο· σκέψις μέν ἐστι, πάντα ἐφ' οἷσι γενόμενα ῥέπται, τά-

τῶν προγεγομένων κωλύειν, γραφέντων γὰρ τ παλαιῶν τίν τι τῦ Η δίφθογγον, καὶ τ τῦ Ε, δι ἑνὸς χαρακτῆρ@, ὃς νῦν μέν@ σημαίνει τ ἕτερον φθόγγον τ Η. *Mihi autem & in hunc ſenſum accipi poſſe oratio videtur, ſi hac voce dictum fuiſſet:* Σκίψις, conſideratio quidem eſt omnia, quæ poſt aliqua, orta liberant, eadem, ſi antevertant fieri prohibere; *nam cùm veteres duos ſonos* H & E *uno caractere exprimerent, qui nunc ſolus alterum ſonum* H *ſignificat.* Abrupi verba ut indicarem hîc eſſe mendum, nam conſtat è *Platonis* Cratylo, ut obſervavit *Joſ. Scaliger* ad num. Euſeb. MDCXVII. veteres Græcos pro H ſcripſiſſe E. Itaque legendum, apud *Galenum* τ ἕτερον φθόγγον τ E. Sic deinde pergit: πολλὰ γέγονεν ἁμαρτήματα τ ἐγγραφομένων, ὐ κατὰ τὴν γνώμην τ γραψάντων τὴν μετάθεσιν τ γραμμάτων ποιησαμένων: *multa contigere peccata exſcriptorum* (nam legendum ἐγγραφομένων) *qui, non ſecundùm eorum qui ſcripſerant mentem, mutationem litterarum fecerunt.* Quamobrem hoc ſubjicit monitum *Galenus*: Διὸ καὶ προσέχειν ἀκριβῶς χρὴ τοιαύταις γραφαῖς, ἐν αἷς δυνατόν ἐστι τ τῦ Η φθόγγον εἰς τ τῦ Ε μεταβληθέντας, ἢ τἀμπαλιν γράψαντας ἐπανορθώσασθαι τὴν γραφήν. ὁμοίως ἄν τ ἀπὸ τῦ Ω καὶ Ο ποιητέον, ἐπειδὴ καὶ τούτων ἀμφοτέρων αἱ φθόγγοι δι ἑνὸς χαρακτῆρ@ ἐγράφοντο: *Quocirca diligenter adtendendæ ſunt ejuſmodi ſcripturæ, in quibus poteſt fieri, ut mutato ſono*

sono H. *in* E, *aut contra scripto* (E pro H) *scripturam emendarint. Idem & in elementis* Ω *&* O *faciendum, quandoquidem & horum amborum soni uno charactere scribebantur.*

CAPUT X.

Distinctionum omissionem multa Menda peperisse.

1. NEMO nescit longè maximum esse intelligendi auxilium, quod petitur ex adcurata distinctione Vocum, Periodorum, Commatum, & Colorum, qualem in libris potissimùm, qui à sesquisæculo eduntur, cernimus; ut jam taceam alia quæ de notis Parenthesium, punctis interrogationis, admirationis, accentibus, majuscularúmque & minuscularum litterarum distinctione inventa sunt. At veteres Librarii, ut norunt qui MSS. Codices antiquiores viderunt, hæc omnia sæpe negligebant. Grammaticorum aut Criticorum munus erat exemplaria, quæ recensebant, distinguere. Hæc primùm probabimus, deinde exempla aliquot mendorum indidem natorum addemus.

2. Constat ex Inscriptionibus, antiquissimísque MSS. plurima olim scripta, sine ullis prorsus distinctionibus; aut esse additum punctum, post omnes voces, aut póst singu-

gulas dumtaxat clauſulas. Sunt enim plurimæ Inſcriptiones, ſunt Codices non pauci, ſine ullis punctis, aut diſtinctionibus; ſunt in quibus ſingula verba puncto diſtinguantur; ſunt denique, in quibus periodi, aut longiores ῥήσεις diſtinctione quapiam ſejunguntur. Certum tamen eſt non parum ad intelligentiam facere, non modò periodorum diſtinctiones, ſed & ceteras omnes, quæ poſtea ſunt inventæ, ut oſtendemus.

3. De Inſcriptionibus nihil dicam, quia in Collectionibus *Jan. Gruteri*, & aliorum ſingulæ pænè paginæ exempla ſuppeditabunt, aut etiam αὐτοψία. Exſtat verò de Pandectis Florentinis, teſtimonium *Angeli Politiani*, Miſcellaneorum Cap. XLI. *Volumen ipſum*, inquit, *Juſtiniani Digeſtorum ſeu Pandectarum, dubio procul archetypum, in ipſa Curia Florentina à ſummo Magiſtratu adſervatur, magnáque veneratione, quamquam rarò id etiámque ad funalia oſtenditur. Eſt autem liber haud quota ſpoliorum prædæque Piſanæ portio, ſæpe à Conſultis citatus; majoribus characteribus*, NULLISQUE INTERVALLIS *dictionum, nullis item compendiariis notis; quibuſdam etiam, ſaltem in præfatione, velut ab auctore planè, & à cogitante, atque generante, potiùs quàm à librario & exceptore inductis, expunctis ac ſuperſcriptis; cum Græca Epiſtola, Græcóque etiam pulcerrimo Epigrammate, in prima fronte.* Id Epigramma ſubjicit, dein ita pergit, ut ſcias non ex aliorum narratione hominem loqui: *Cujus*

jus tamen voluminis legendi ac versandi, per otium, mihi est uni facta copia, Laurentii Medicis operâ. Sed & nos habemus plures versus ex eo adcuratè depictos, ubi nulla sunt interstitia, nec ullæ distinctiones.

4. Similia animadvertere licet in Græcis Codicibus, non eorum dumtaxat, qui prosâ oratione usi sunt, sed etiam Poëtarum. Idem *Politianus*, Cap. LVIII. *Sibyllini versus*, inquit, *nunc quoque, apud Zosimum, vetustissimis quidem codicibus, citra ulla fastigia* (hoc est, sine distinctione versuum) *qualésque de industria subjecimus, reperiuntur.* Inepti homines, qui præfuere editioni Miscellaneorum *Politiani*, qualis habetur in Tom. I. Thesauri Critici *Jani Gruteri*, eos versus distinxerunt, & interpunxerunt, ut solent hodie, ita ut sibi constare *Politianus* non videatur; sed sunt adeundæ antiquiores Editiones. Certè jam olim ita descriptos Sibyllinos versus colligere est ex *Suida*, in voce *Sibylla*: *ὅτι ὃ οἱ στίχοι αὐτῆς ἀτελεῖς καὶ ἄμετροι εὑρίσκονται, ὐ τ προφήτιδός ἐστιν ἡ αἰτία, ἀλλὰ τ ταχυγράφων ὐ συμφθασάντων τῇ ῥύμῃ τ λόγυ, ἢ καὶ ἀπαιδεύτων γενομένων καὶ ἀπείρων γραμματικῆς: quòd versus ejus imperfecti, & sine metro inveniantur, ejus rei causa non est Prophetis, sed notarii, qui impetum sermonis sequi non poterant, vel qui ignari fuerunt, aut imperiti Grammaticæ.*

5. Sine dictionibus, aiunt esse antiquissimos * illos Codices, ex quibus edita est

* *Vid. Præfationem* Flaminii Nobilii *Ed. Rom. præfixam.*

eſt Romæ verſio LXX. Intt. ut & Alexandrinum; quod non modò de diſtinctione commatum, qualis nunc habetur, ſed de omni prorſus diſtinctione intelligendum. Primus Libros Sacros interpungere adgreſſus *Hieronymus*. Sic enim ille, in Præfatione in Joſuam: *Monemus Lectorem, ut ſilvam Hebraicorum nominum, & diſtinctiones per membra diviſas diligens Scriptor conſervet, ne & noſter labor & illius ſtudium pereat.* In Præfat. in Paralipomena: *quod nunc* DABRE IAMIM, *id eſt, verba dierum interpretatus ſum, idcirco feci ut inextricabiles moras, & ſilvam nominum, quæ Scriptorum confuſa ſunt vitio, ſenſuúmque barbariem, apertiùs & per verſuum cola digererem; mihimet ipſi & meis, juxta Iſmeniam, canens, ſi aures ſurdæ ſunt ceterorum.* In Præfat. in Ezekielem: *Legite & hunc, juxta tranſlationem noſtram, quia per cola ſcriptus & commata manifeſtiorem legentibus ſenſum tribuit.* Quartum etiam ejus locum, hac de re, poſtea proferemus. Eum propterea laudat *Caſſiodorus*, Præfat. Inſtitut. Sacrarum Litterárum, cujus verba §. 12. proferemus.

6. Obſervavit vir eruditus, quamquam ſæpe æquo acrior, & adfectu peccans, *Joan. Morinus*, in Exercit. XVII. Operis de Hebræi, Græcíque textûs ſinceritate, * *Antiquos tam Græcos, quàm Latinos, continuâ litterarum ſerie ſcripſiſſe, nullis ſuper aut inter verba diſtinctionibus, aut accentibus adſcriptis.* Tum verò, *ejuſmodi*, inquit, *adhuc viſun-*

tur

* *Num. V.*

tur multi Codices, cùm Græci, tum Latini. Hoc modo Græcè ſcripta ſunt majoribus, ſeu uncialibus litteris, in Regia Bibliotheca S. Gregorii Nazianzeni opera. Epiſtolæ S. Pauli Græcè & Latinè, majoribus litteris deſcriptæ eodem modo, conſervantur in fratrum Putcanorum Bibliotheca, aliíque Codices alibi exſtant, antiquum ſcribendi morem retinentes. Magna pars librorum, qui ante centum, ſupra mille annos, ſcripti ſuperſunt, eſt iſtiusmodi.

7. Fatendum tamen eſt, ante hæc tempora, interpunctionem inventam fuiſſe, quâ non modò vocabula ſingula, interpoſitis punctis, ſecernerentur, ſed etiam cola, & periodi. Certè verba διαστίζειν & *interpungere* hoc ſignificatu non potuere uſurpari, niſi res inventa fuiſſet; nemo enim rei, quam non novit, nomen excogitaverit. Eſt inſignis hanc in rem *Ariſtotelis* locus, quem ſub finem hujus Capitis proferemus, ubi eo ſenſu occurrit vox διαστίξαι. *Cicero* * videtur ſignificare ſuo tempore, in Orationibus, id jam fuiſſe obſervatum. *Clauſulas*, inquit, *atque* INTERPUNCTA *verborum animæ intercluſio, atque anguſtiæ ſpiritûs adtulerunt.* Perſpicuum eſt eum agere non modò de *clauſularum*, ſeu finium periodorum diſtinctionibus, ſed & de colorum; quid enim eſſent *interpuncta verborum*, præter membrorum interpunctiones? At paullò antea negat, inquies, hoc Veteribus fuiſſe uſitatum: † *Verſus*, inquit, *Veteres illi in hac ſoluta oratione pro-*

* *De Oratore Lib.* 3. *C. XLVI.* † *Ib. Cap. XLIV.*

propemodum, hoc eſt, numeros quosdam adhibendos nobis eſſe putaverunt. Interſpirationis enim, non defatigationis noſtræ, neque LIBRARIORUM NOTIS, *ſed verborum & ſententiarum modo*, INTERPUNCTAS *clauſulas in Orationibus eſſe voluerunt.* At hoc vult *Cicero*, veteres Rhetoras voluiſſe, non tam *notas Librariorum*, quàm diviſionem colorum & ſententiarum, ſpectari in interſpirationibus; unde liquet eas *notas* non fuiſſe inuſitatas. *Juſtus* quidem *Lipſius*, * in Epiſtola, in qua de Interpunctione agit, prolato poſteriore loco *Ciceronis*, & priore diſſimulato, ait eum *altrovorſùm duci planiſſimè poſſe; quaſi dicat Veteres ideò non uſurpaſſe in clauſulis interpuncta, ne ea potiùs quàm modum & modulum, in verbis, conſiderarent.* Sed *Cicero* non dixiſſet Veteres noluiſſe interſpirationes eſſe, pro *interpunctionibus* & *notis Librariorum*, ſi nullæ fuiſſent; ſed fuiſſe ignotas, nec interſpirandi ulla habuiſſe eos indicia, præter ſententiam verborum, & conſtructionis perfectionem. Res eſt clara, ſed en *Hieronymi* locum, quo mirum in modum confirmatur. Ita loquitur in Præfatione Iſaiæ: *Nemo cùm Prophetas verſibus viderit eſſe deſcriptos, metro eos æſtimet apud Hebræos ligari, & aliquid ſimile habere de Pſalmis vel Operibus Salomonis; ſed quod in Demoſthene & Tullio fieri ſolet, ut per cola ſcribantur & commata, qui utique proſâ & non verſibus conſcripſerunt: nos quoque utilitati legentium providentes, interpretationem no-*

* Cent. 3. Miſcell. Ep. XXXIX.

novam novo ſcribendi genere diſtinximus. Ut, nimirum, Rhetores ſolebant in gratiam Diſcipulorum interpungere Scripta Oratorum, ut intelligerent adoleſcentes ubi eſſent moræ interponendæ: ita etiam *Hieronymus* fecit, in uſum eorum, qui legebant Scripturam. Quid velit autem *Hieronymus*, videre licet in Editione Canonis Hebraïci, quam curarunt nuper Lutetiæ *Benedictini Monachi.* Scripſit etiam * *Claud. Salmaſius*, in Bibliotheca Regis Galliæ, exſtare Codicem Tuſculanarum Quæſtionum, manu exaratum, ſatis magnæ vetuſtatis, in quo non ordine continuo, ſicut in aliis tralaticium eſt; libri deſcripti feruntur; ſed ſaltuatim per inæquales periodos, eo prorſus modo, quo Biblia ſacra videmus. Ejus etiam ſpecimen eleganter pictum & ipſi habemus.

8. Ad hoc interpunctionis genus credideriim reſpicere *Senecam* Ep. XL. ſive Lib. V. Ep. V. ubi oſtendit virum gravem non decere nimis celerem orationem; eósque caſtigat qui, uno veluti ſpiritu, quæ pronunciabant recitare videbantur: *Q. Haterii curſum*, inquit, *ſuis temporibus oratoris celeberrimi, longè abeſſe ab homine ſano volo. Numquam dubitavit, numquam intermiſit; ſemel incipiebat, ſemel deſinebat. Quædam tamen & nationibus puto magis, aut minus convenire. In Græcis, hanc licentiam tuleris; nos etiam cùm ſcribimus*, INTERPUNGERE *conſuevimus.* Hæc *M. Ant. Muretus* & *Juſt. Lipſius* intelligunt de interpunctione poſt ſingula verba;

* *Prolegom. in Solinum, ſub finem.*

ba; & *Muretus* quidem, *omnia*, inquit, *ſcribebant Veteres iis litterarum formis, quas hodie majuſculas vocamus. Neque ulla ferè erant inter ſingulas voces intervalla. Punctis interjectis, vocem à voce diſtinguebant, hoc modo:* QUAMQUAM. TE. MARCE. FILI. Non nego ita perſæpe eſſe factum, ídque ex veteribus monumentis liquet; ſed ſemper factum non puto. In hoc *Senecæ* loco, ubi de Oratore ſermo eſt, videtur interpunctio per cola, & periodos ſignificari; in iis enim locis oportet Oratorem, non poſt ſingula verba, aut ubicumque viſum fuerit, interſpirare. Puncta, qualia memorat *Muretus*, hunc tantùm uſum habebant, ut ne voces miſcerentur; non ut, ubi interſpirandum, aut mora interponenda eſſet, docerent.

9. Sed & in inſtrumentis publicis ac privatis, Jurisconſulti ſolebant diligenter interpunctiones curare, ut ſignificat *Cicero* in * Oratione pro Murena, ubi ita de Juriſprudentia: *Primùm dignitas, in tam tenui ſcientia, quæ poteſt eſſe? Res enim ſunt parvæ, propè in ſingulis litteris, atque* INTERPUNCTIONIBUS *verborum occupatæ.* Ad quæ verba ita *Lipſius*, in Epiſtola memorata; *Locus alter dicat, Juris interpretes in minutis occupari, ſcrutari in Contractibus apices litterarum, & puncta verborum: quia, nempe, ambigua ſæpe hæc iſta, & ad anteriora aut ſequentia ducenda. Id enim eveniebat in illis ſolitariis punctis, quæ verba, ut dixi, ſingula, non membra, aut ſenſus, ſecernebant.*

* Cap. XI.

bant. Atqui ex omissione ejusmodi puncti, non magna nascitur ambiguitas, nec additione tollitur; sed subinde maxima est, nisi partes orationis distinguantur, quod cavere conabantur Jurisconsulti. Nulla est ars, in interpungendis singulis verbis, iis qui Linguam tenent; sed est aliqua in dividendis aptè membris & periodis, cùm & permultos in ea re peccare videamus, cúmque non pauca loca, in Scriptis Veterum, propterea non satis intelligantur. Itaque capienda sunt verba *Ciceronis*, de hac posteriore interpunctione; & ita cepit vir eloquentissimus *Aonius Palearius*, in Oratione in * L. Murenam, quam Ciceronianæ pulcherrimâ æmulatione opposuit. Dignus est locus, qui legatur.

10. Sed *Lipsium* ex ipso *Lipsio* confutemus, cùm præsertim hoc ad nostrum institutum pertineat. *Franc. Raphelengium*, de MS. suo Codice Tragœdiarum *Senecæ*, ita monet †: *Illud te moneo, interpunctiones & discrimina esse; quorum cùm in ejusmodi subtilioribus Scriptoribus* GRANDE MOMENTUM *sit, tu vide ut concinnes.* In monitis, quæ præfixit suis Politicis, ita adloquitur Lectorem: *Ut distinctiones observes, id est, in fine cujusque clausulæ cola posita, semicola, puncta aut bipuncta. Nam pro his, sententia tibi tota terminanda est, scilicet, aut sustentanda.* In Introductione verò ad *Senecam*: *Alterum*, inquit, *quod à me propriè imputo, est interpunctio, & sensuum, verbo-*

* *Pag. 25. Editionis nuperæ Amstelodamensis.*
† *Præf. Animadvers. in eas Tragœdias.*

borúmque diſtinctio ; quæ confuſa , aut indecora antea in Seneca —— Præter lucem ſententiæ , quam largiter infudimus , faciem eloquentiæ reddidimus , uberis illius & profluentis. Si tanti momenti ſit interpunctio , quali nunc utimur , an credibile eſt veteres Jurisconſultos , quorum erat cavere ne qua in Contractibus eſſet ambiguitas , aliud nihil curaſſe , niſi ut ſingula vocabula eſſent punctis diviſa ; quod maximas ambiguitates ex oratione nequaquam exterminat ; præſertim, cùm jam inventæ à Librariis eſſent notæ, quibus verba & clauſulæ interpungebantur, ut ex *Cicerone* oſtendimus?

11. Ejuſmodi interpunctionem intelligi à *Suetonio* crediderim , ubi dicit à *Valerio Probo* multa exemplaria *diſtincta* fuiſſe. Locum * antea adtulimus, nec repetere neceſſe eſt. Similem laborem ſuſcepit *Nicanor* , Grammaticus Alexandrinus , ſub Hadriano , qui varios libros ſcripſerat † περὶ στιγμῆς καθ' ὅλης , *de interpunctione univerſè* , & περὶ στιγμῆς παρ' Ὁμήρῳ καὶ παρὰ Καλλιμάχῳ , *de interpunctione , apud Homerum & Callimachum :* qua de cauſa στιγματίας , quaſi *interpunctor* , dictus erat. Oſtenderat autem *differentiam , quæ inde in ſenſu oritur* , τὴν ἐξ αὐτῶν διαφορὰν ἐν τῇ διανοίᾳ.

12. Quæ cùm ita ſint , fatendum interpunctionem Veteribus non fuiſſe ignotam ; at nec minùs certum ſæpiſſimè fuiſſe neglectam , ut antea oſtendimus. Certè in Græcis & Latini-

* *Cap. II. §. 21.* † *Vide* Suidam.

tinis Scripturæ Codicibus, ante ævum *Hieronymi*, planè omissa fuerat. Quâ omissione, lectio distincta Scripturæ difficilis fiebat, nec committi publicè hominibus prorsus indoctis poterat. Ac sanè *Cassiodorus*, Præf. Divinarum * Litterarum Institutionis, observat *Hieronymum simplicium fratrum consideratione pellectum, in Prophetarum præfatione dixisse, se propter eos qui distinctiones non legerant, apud Magistros sæcularium litterarum, colis & commatibus translationem suam, sicut hodie legitur, distinxisse. Quod nos quoque*, subjicit Cassiodorus, *tanti viri auctoritate commoti, sequendum esse judicavimus, ut cetera distinctionibus ordinentur —— Reliquos verò Codices, qui non sunt tali distinctione signati, Notariis, diligenti tamen curâ sollicitis, relegendos atque emendandos reliqui.*

13. Cùm ergo Scriptores non distinxissent ut plurimùm Scripta sua, ea curâ ad alios devoluta est, seu Grammaticos, seu *Notarios*, ut loquitur *Cassiodorus*, hoc est, Librarios Grammaticis multò imperitiores, qui persæpe malè distinxerunt, quæ non satis adsequebantur. Proferebamus modò verba *Lipsii*; *Senecam* malè habitum ab iis querentis, & inter ea, quæ præstitit in Editione Senecæ, interpunctionem non ultimo loco ponentis. Aliquot tamen exempla subjiciemus. Sed priùs monebimus Lectorem multa menda orta esse, è continente illa scriptura, quâ, ne vocabulis quidem distinctis, usi erant Veteres. Sic cùm negasset *Hippocrates*, Lib. de

* *Vide & Cap. XII. ejusdem operis.*

Natura Hominis, text. 1. è diviſione *Galeni*, Tom. III. p. 96. Edit. Charterianæ, ſe dicere hominem eſſe unum è quatuor elementis, aut aliud quidquam, hanc rationem ſubjicit: ὅτι δὲ φανερόν ἐστιν ΕΝΕΟΝ ἐν τῷ ἀνθρώπῳ, cúmque ita conjunctæ eſſent tres ſyllabæ majuſculis litteris à nobis ſcriptæ; erant qui ſcriberent ἐνὸν unâ voce, quæ *quod ineſt*, ſignificat; quod ſenſu hîc caret. Itaque rectè *Galenus* Commentar. I. ad hunc locum: τὴν κατὰ τὸ τέλος τῆς ῥήσεως φωνὴν ἀμφίβολον ὄσαν, ἐν τῷ παρὰ διαίρεσιν καὶ σύνθεσιν γίνει ἀμφιβολίας, ἄμεινόν ἐστι κατὰ διαίρεσιν ἀναγινώσκειν, ἔνθα φησίν· ὅτι δ' ἄλλο οὐδέν, ὅτι μὴ φανερόν ἐστιν ἓν ἐὸν, ἐν τῷ ἀνθρώπῳ, τὸ γὰρ ἓν ἐὸν οὐχ, ὡς οἱ τὴν προτέραν τῆς ἐξηγήσεως περισπῶντες οἴονται, μέρος ἓν ἐστι τοῦ λόγου, λεγόμενον ὑπὸ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων ἐν δυοῖν συλλαβοῖν ΕΝΟΝ, ὑπὸ δὲ τῶν Ἰώνων ἐν τρισὶν ΕΝΕΟΝ, ἀλλὰ δύο ἐστὶ λόγου μέρη, τὸ μὲν ἕτερον ὄνομα μονοσύλλαβον, ὡς ἑπτὰ δὲ λέγομεν ἀριθμοῦντες, ἓν, δύο, τρία· τὸ δὲ ἕτερον, ὅπερ ἡμεῖς οὐ λέγομεν, οἱ δὲ Ἴωνες ἐὸν ἐν δυοῖν συλλαβοῖν. *Dictionem ad finem orationis poſitam, cùm ambigua ſit, in eo ambiguitatis genere, quod ex diviſione & compoſitione naſcitur, ſatius eſt diviſim legere, ubi ait*: neque aliud quidquam, quia manifeſtum non eſt unum eſſe in homine; *in qua ſententia* ΕΝΕΟΝ *non*, (*ut priorem Interpretationem defendentes cenſent*) *una eſt orationis pars, quæ ab aliis Græcis duabus ſyllabis effertur* ἐνὸν, *ab Ionibus tribus*, ἐνεὸν, *verùm duæ ſunt orationis partes; prior nomen monoſyllabum, ut cùm numerando dicimus*, ἓν,

ἓν, δύο, τρία, *altera, quam quidem nos* ὦ, *dicimus, Iones verò duabus ſyllabis* ἰὼ. Sed & ſpiritus omiſſus ambiguitatem augebat. Cenſet etiam *Galenus* Comment. III. ad Librum de victu in morbis acutis, textu 44. μετακίρασμα, & μετὰ κίρασμα æquè poſſe legi. Tom. XII. Ed. Chart. p. 108.

14. Ita loquitur *Craſſus*, apud *Ciceronem*, Lib. III. de Orat. C. 13. *Prætereamus igitur præcepta Latinè loquendi, quæ puerilis doctrina tradit, & ſubtilior cognitio, ac ratio litterarum alit, aut conſuetudo ſermonis quotidiani, ac domeſtici libri confirmant, ac lectio veterum Oratorum ac Poëtarum.* Sic lego in duabus Editionibus, quæ ſunt è Gruteriana expreſſæ; * alias conſulere nunc non vacat. At ſine dubio *domeſtici* debet ſejungi à ſequente voce *libri*. *Quotidianus ac domeſticus ſermo* dicitur, quem habemus cum iis quibuscum vivimus, cujus non ſemel meminit *Cicero*, in his libris, & cujus mentionem fecerat in ſuperioribus verbis, ubi de Lælia. At *domeſticos libros* neſcio an ullus umquam dixerit. Eſt ergo interpungendus locus, hoc modo: *domeſtici, libri*, &c. hoc enim vult Cicero: *præcepta Latinè loquendi alit cognitio litterarum, aut conſuetudo ſermonis domeſtici, confirmant libri*, &c.

* *Sic etiam locus eſt diſtinctus in Ed. Genev. à* Dion. Gothofredo *curata, anno* 1596. *& quæ Lambinianam ſequitur. Sic & Lambiniana major, apud Santandreanum, habet comma poſt* quotidiani.

15. *Livius* Lib. III. C. 11. ita describit Cælonem Quinctium: *Ferox juvenis, quâ nobilitate gentis, quâ corporis magnitudine ac viribus. Ad ea munera data à Diis, & ipse addiderat multa belli decora, facundiámque in foro: ut nemo, non linguâ, non manu promtior, in civitate haberetur.* Ita hic locus vulgò interpungitur, ex qua interpunctione dici posset *nemo non manu promtior fuisse* Cæsone, nam *promtior* conjungitur cum *manu*; quod menti *Livii* planè contrarium est, qui Cæsone quemquam manu promtiorem fuisse negat. Itaque sic interpunge: *ut nemo, non linguâ, non manu, promtior*, ut *promtior* conjungatur cum *nemo*; nam ordo est: *ut nemo haberetur promtior in civitate, non manu, non linguâ*: hoc est, nec manu, nec linguâ.

16. At, inquies, an hoc est tanti? Ego verò nihil sperni debere puto, quod ad perspicuitatem orationis conferat; & ut aliud nihil esset, interpunctionis cura negligi non deberet. Sed præterea viri docti sæpe delusi, omissione distinctionis, voluerunt violentas manus inferre Veterum Scriptis. Exemplum suppeditabit *Dionys. Lambinus.* Lib. I. de Oratore C. 59. ita loquitur *Antonius*: *Quid est Oratori tam necessarium, quàm vox? Tamen, me auctore, nemo dicendi studiosus, Græcorum more, & Tragœdorum voci serviet, qui & annos complures sedentes declamitant*, &c. In his verbis mendum esse credidit *Lambinus*, quòd deesset distinctio, qua * de causa, invitis

* *Vide Jan. Gruterum, ad hunc locum.*

vitis libris, legit, *Græcorum more, Tragœdorum voci serviet*, deleta copulâ; quasi, nempe, *voci* conjungendum esset cum *Tragœdorum*. Sed ita interpungendum: *nemo dicendi studiosus, Græcorum more & Tragœdorum, voci serviet*, &c. ordo est: *nemo voci serviet, more Græcorum & Tragœdorum, qui annos*, &c.

17. Imò verò interpunctio vitiosa fecit ut, in locis Scripturæ, ea interdum quærerentur, quæ iis inesse nemo somniasset, si rectè interpuncta fuissent. Hæc sunt verba Pauli 1. Tim. III. 15. Ἐὰν δὲ βραδύνω, ἵνα εἰδῇς πῶς δεῖ ἐν οἴκῳ Θεοῦ ἀναστρέφεσθαι, ἥτις ἐστὶν ἐκκλησία Θεοῦ ζῶντος, στῦλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας. 16. Καὶ ὁμολογουμένως μέγα ἐστὶ τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον: 15. *Si autem tardavero, ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna, & firmamentum veritatis.* 16. *Et manifestò magnum est pietatis mysterium* Post ζῶντος *vivi* debet esse τελείας στιγμὴ, hoc modo: *quæ est Ecclesia Dei vivi. Columna & firmamentum veritatis, & manifestò magnum est*, &c. ita ut summa Evangelicæ doctrinæ, quæ sequitur, dicatur esse *Columna*, &c. non *Ecclesia*. Rem non probabo, quia dudum probata est à pare nobilium Athletarum *Sim. Episcopio*, Institut. Theolog. Lib. I. S. I. c. 8. & *Joan. Cameron*e, cujus rationes vide in Myrothecio. Adversatur quidem iis *H. Grotius*, quòd illud τὸ, quod ponitur ante τῆς εὐσεβείας μυστή-

ριον, ostendat novum esse sensum, non titulorum cum sequentibus continuationem, & illud μυστήριον poni *subjectivè*, non *prædicativè*, ut loquuntur Scholæ. Sed vir summus non vidit ordinem verborum hunc esse: τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριόν ἐστι στύλος καὶ ἑδραίωμα, τῆς ἀληθείας, καὶ ὁμολογουμένως μέγα, *Mysterium pietatis est columna*, &c. Quod si adtendas, suo sibi gladio confoditur vir maximus; qui si in Hollandia scripsisset suas Adnotationes, aliter fortè sensisset.

18. Libri VIII. Constitutionum Apostolicarum Cap. 46. ita desinit: *Igitur etiam Philippus & Ananias non se ipsi constituerunt, sed electi sunt*, ὑπὸ τοῦ Χριστοῦ τοῦ ἀρχιερέως ἀσυγκρίτου Θεοῦ. Si comma ponas, post ἀρχιερέως, vertes cum *Joan. Bapt. Cotelerio*: *Pontifice, Deo incomparabili.* Sin verò, sic interpretaberis: *Pontifice maximo Dei incomparabilis*, ut sine dubio vertendum, cùm Christus alibi sæpe, & in hoc ipso Capite, dicatur ἀρχιερεὺς Θεοῦ. Scriptor hic, si voluisset quod habet *Cotelerius*, interposuisset conjunctionem καὶ, præsertim in fine orationis. Præterea homo qui idem sensit ac postea Arius, ut multis ex locis liquet, numquam Christum vocasset ἀσύγκριτον Θεὸν, *incomparabilem Deum.* Titulus is erat solius Patris, ex eorum hominum sententia. Scriptor Ebionæus Clementinarum Homiliarum, Hom. XVI. §. 16. de Patre & Filio: γενητὸν ὂν ἀγεννήτῳ, ἢ καὶ αὐτογεννήτῳ οὐ συγκρίνεται: *genitum cum ingenito, vel etiam sponte exsistenti non comparatur.* Vid. & §. 17. Est celebris

locus

locus *Irenæi*, de jejunio Quadrageſimæ, apud *Euſebium* Lib. V. c. 24 Hiſt. Eccleſ. cujus loci dubia interpunctio magnam peperit controverſiam; de qua eruditè egit *Guil. Beveregius*, vir doctiſſimus, ad Canonem Apoſt. LXIX

19. Non hodie, atque heri, Critici animadverterunt interpunctionem non levi eſſe ad intelligendum ſubſidio. *Ariſtoteles* ipſe, qui Criticæ conditor perhibetur, queſtus eſt *Heracliti* Scripta ideò eſſe obſcura, quòd difficulter interpungi poſſent. Sic loquitur Rhetoricorum Lib III. C. 5. Ὅλως δὲ δεῖ εὐανάγνωστον εἶναι τὸ γεγραμμένον, καὶ εὔφραστον. ἔστι δὲ τὸ αὐτὸ, ὅπερ οἱ πολλοὶ σύνδεσμοι οὐκ ἔχουσιν, ὃ δ' ἀ μὴ ῥᾴδιον ΔΙΣΤΙΞΑΙ, ὥσπερ τὰ Ἡράκλείτου. τὰ γὰρ Ἡράκλείτου διαστίξαι ἔργον, διὰ τὸ ἄδηλον εἶναι ποτέρῳ προσκείται, τῷ ὕστερον ἢ τῷ πρότερον. οἷον ἐν τῇ ἀρχῇ αὐτοῦ τοῦ συγγράμματος, Φησὶ γὰρ, τοῦ λόγου τοῦδ' ἐόντος αἰεὶ ἀξύνετοι ἄνθρωποι γίγνονται. ἄδηλον γὰρ τὸ αἰεὶ, πρὸς ὁπότερόν διαστξαι: *Omnino autem oportet facilè legi & proferri poſſe quod ſcriptum eſt. Eſt verò cjuſmodi id quod multæ conjunctiones non continent, & quod non facile eſt* INTERPUNGERE, *ut ſcripta Heracliti. Nam ſcripta Heracliti interpungere operoſum eſt, quia incertum utri vox conjungenda, an priori, an verò poſteriori, ut in principio ipſius libri; ait enim:* rationis hujus quæ eſt ſemper imperiti homines naſcuntur; *incertum enim*

eſt

eſt illud ſemper *utri interpunctione conjungas.*

20. Ex hoc loco tria colligere licet, 1. *Ariſtotelis* ævo ignotam non fuiſſe *interpunctionem*, quamvis non ſemper adhiberi ſoleret; ut adparet ex eo quòd nomen ejus inventum eſſet; nam διαστίξαι non eſt propriè voce diſtinguere, ſed στιγμαῖς, *punctis*: 2. non fuiſſe tamen ſemper adhibitam, cùm *Heraclitti* Scripta non eſſent interpuncta: 3. facillimè poſſe à ſenſu Scriptoris abire, qui eum interpungunt, niſi ſint homines adtenti & rei & Linguæ periti. Ad primum horum trium obſervare præterea licet hinc liquere erraſſe *Claud. Salmaſium*, qui in Ep. inter Sarravianas CLXXXIII. inventionem interpunctionis tribuit *Ariſtophani* Grammatico *Ariſtotele* multò recentiori. Digna tamen eſt ea Epiſtola, quæ expendatur, quamvis à feſtinante ſcripta. Digna etiam ſunt, quæ legantur, quæ habet ad locum *Ariſtotelis* vir doctiſſimus *Pet. Victorius*, p. 490. Edit. Junctæ an. 1548. ubi obſervat in verbis *Heraclitti*, pro τῷδ' ἐόντος, ſcriptum fuiſſe, in aliis Codicibus, τῷ δὲ ἐόντος, *quàm oportet eſſe*, contra mentem Scriptoris; quod ob diſtinctionum omiſſionem factum eſt.

21. Sed & aliud exemplum adferam è *Galeno*, Comment. I. in 1. Lib Prædiction. *Hippocratis*, prædict. 25. Tom. VIII. p. 710. Ed. Charter. Sic habet προρρήσις Hippocratis: Οἱ ἐκφάντες ὀξέως ἐπιπυρέξαντες σὺν ἱδρῶτι φρενιτικοὶ

φρενῖτικοὶ γίνονται: *inſanientes acutè in febrem relapſi cum ſudore phrenetici fiunt.* Quam orationem perſpicuam eſſe negat *Galenus*, quòd omiſſis commatibus triplici ratione poſſint inter ſe verba jungi: μία μὲν γάρ ἐστι σύνθεσις αὐτῶν, οἱ ἐκσάντες ὀξέως, εἶτ' ἀπ' ἄλλης ἀρχῆς, ἐπιπυρέξαντες ὀξέως, ἄλλη δ' αὖ πάλιν σύνθεσις τὸ σὺν ἱδρῶτι, ποτὲ μὲν τῷ πρὸ αὐτοῦ, ποτὲ δὲ τῷ μετ' αὐτὸ συντατταόμενον. *Una enim eſt eorum conſtructio*, qui acutè inſaniunt; *deinde ab alio initio*, acutè præterea febricitantes; *alia rurſus conſtructio*, cum ſudore, *quod aliquando conjungitur cum antecedente, aliquando cum conſequente.* Δύναται γὰρ καὶ ὅτως ἡ ῥῆσις ἀναγνωσθῆναι, ἐπιπυρέξαντες σὺν ἱδρῶτι· κ' ἄπειτα ἀφ' ἑτέρας ἀρχῆς, φρενιτικοὶ γίνονται, δύναται γὰρ καὶ σὺν ἱδρῶτι φρενιτικοὺς αὐτοὺς γίνεσθαι λέγειν ὁ γράψας ταῦτα. *Poteſt enim & ita oratio legi*, præterea febricitantes cum ſudore; *deinde altero principio*, phrenetici fiunt. *Poteſt etiam & qui hæc ſcripſit*, cum ſudore phreneticos fieri, *dicere.* Legendum videtur additis commatibus: οἱ ἐκσάντες, ὀξέως ἐπιπυρέξαντες σὺν ἱδρῶτι, φρενιτικοὶ γίνονται: *qui emotæ mentis ſunt, ſi acrior febris accedat cum ſudore, phrenetici fiunt.* Hinc quantæ ambiguitates ex diſtinctionum omiſſione oriantur, ſatis liquet. Rectè ergo *Caſſiodorus* Inſtit. Divin. Litter. c. XV. *Si corpus noſtrum*, inquit, *indiget per membra cognoſci, cur lectio, cùm ſuis partibus videatur eſſe diſtincta, confuſa relinquitur? Iſtæ ſi quidem poſituræ, ſeu puncta, quaſi quædam viæ ſunt ſenſuum, & lumina dictionum, quæ*

quæ ſic Lectores dociles faciunt, tamquam ſi clariſſimis expoſitoribus imbuantur. Prima eſt media, ſecunda ſubdiſtinctio, tertia plena; quas à Majoribus noſtris ideò conſtat inventas; ut ſpiritus longâ dictione fatigatus, vires ſuas per ſpatia diſcreta reſumeret. Quas ſi mavis cupidus Lector agnoſcere, Donatum *lege, qui te poſſit, de hac re, brevi compendio, diligenter inſtruere.* Sed hæc *Ars* noſtra *Critica* Lectoribus jam nota ſtatuit, cùm ad Grammaticam pertineant.

22. Cùm Accentus & Spiritus Græcorum videantur ideò partim figuris expreſſi, ut faciliùs verba nequaquam interpuncta diſtinguerentur: hîc poſſemus agere de mendis, quæ orta fortè ſunt ex mala Accentuum ac Spirituum poſitione. Sed ſequente Capite ea de re iterum dicemus. *Homerus* Iliad. Ψ. verſ. 28. inducit Neſtorem metam deſcribentem, dicentémque eſſe *lignum ſiccum*

Η᾽ δρυὸς, ἢ πιτύος, τὸ μὲν Ο Ὑ κατασπίδιται ὄμβρῳ.

Cùm neque Accentus olim eſſent, neque Spiritus, fuerunt qui dicerent legendum ἢ, & vertendum, *ubi illud quidem corrumpitur pluviâ*; ac ſanè certum eſt utrumque illud lignum, ſed præſertim *piceæ*, *pluviâ putrefieri.* Alii verò contenderunt legendum, ut hodie legimus, ἠ, *non corrumpitur pluviâ*, hoc eſt, non tam citò, ſi ſiccum ſit, quod antea dixit *Homerus.* Ambiguitatem illam notat

notat *Ariſtoteles* de Poëtica Cap. XXV. aſtque *Hippiam* Thaſium ex Proſodia ambiguitatem ſuſtuliſſe; nempe, Spiritu leni ſine circumflexo ſcribendo. At idem de Argument. Sophiſticis Lib. II. c. 3. ait perpauca ſophiſmata poſſe ex accentibus, ſeu in ſcribendo, ſeu in loquendo naſci; utitúrque iterum eadem ambiguitate voculæ ὁ ὑ. Quod non eſt ita capiendum, quaſi non ſint multæ voces, quæ, mutatis Spiritibus & Accentibus, diverſa ſignificent; ſed quòd ipſa pronunciatio, ſi loquatur quiſpiam, aut ſeries orationis, in ſcriptione, ſatis oſtendat quomodo ſint voces illæ intelligendæ.

23. Ubi verò, in Scriptis, ſeries orationis certam ſignificationem non poſtulat, ibi naſcitur ambiguitas, quæ Accentus & Spiritus adſcribentibus erroris cauſa eſſe potuit. Sic Marci XI, 13. dicitur Chriſtus *vidiſſe à longè ficum habentem folia, & veniſſe ſi quid fortè inveniret in ea, & cùm veniſſet ad eam, nihil inveniſſe præter folia*, ὁ ὑ γὰρ ἦν καιρὸς σύκων. Quæritur hic, an ὁ ὑ ſit negativa, an verò adfirmativa, quia utrimque ſunt difficultates. *Dan. Heinſius*, non infimi ſubſellii Criticus, cenſet legendum ὅτι, hoc ſenſu, *ubi enim erat, tempeſtas ficuum*; atque his nititur rationibus 1. quòd Evangeliſta numquam dixiſſet Chriſtum iviſſe quæſitum ficus, *ſi fortè eſſent*, tempeſtate quâ nondum erant; cùm Chriſtus falli non potuerit: 2. quòd Chriſtus non damnaſſet arborem, eò quòd alieno tempore non habebat ficus. At alii objiciunt

jiciunt potiſſimùm ordinem verborum, qui hîc deberet eſſe, ſi *Heinſii* vera eſſet conjectura: *venit ſi quid fortè inveniret in ea, ubi enim erat, tempeſtas erat ficuum; & cùm veniſſet ad eam nihil invenit, præter folia.* At ſimilis planè trajectionis exemplum exſtat in hoc Evangelio Cap. XVI, 3, 4. *Et dicebant ad invicem, quis revolvet nobis lapidem ab oſtio monumenti? & reſpicientes viderunt revolutum lapidem. Erat quippe magnus valde.* Manifeſtum eſt quatuor hæc poſtrema verba oportere ſubjungi voci *monumenti*; neque enim mulieres dicuntur vidiſſe revolutum lapidem, quia magnus erat; ſed quæriviſſe quis ſibi eum revolveret, ea de cauſa. Verùm hanc litem noſtram non facimus, & nonnulla ad loci hujus intelligentiam congeſſimus, in additamentis ad *H. Hammondi* Adnotationes.

24. Locus hic poſtularet ut oſtenderemus, pro more noſtro Hebraïca cum Latinis & Græcis conjungendi, antiquiſſimos Hebræos caruiſſe etiam diſtinctionibus; ac proinde potuiſſe Maſſorethas, qui diſtinctionum notas invenerunt, ea in re peccare. Verùm hoc ipſum colligere eſt ex eo quod oſtendimus, *Hieronymum* primum in cola, & commata diviſiſſe Libros Sacros. Si enim Septuaginta Intt in ſuis Codicibus ſimile quidquam inveniſſent, ſine dubio rem commodiſſimam non neglexiſſent; *Hieronymúsque* ſe, aut illorum auctoritatem, aut ſaltem Hebræorum defendiſſet, contra eos, qui id carpebant. Imò verò Hebraïcas diſtinctiones ſequutus eſſet, quod

quod nequaquam fecit. Sed hac de re multis egerunt viri doctiſſimi, *Lud. Cappellus* in Arcano Punctationis, & *Joan. Morinus* in Exercitationibus Biblicis; quorum rationibus qui non permoventur, ii Criticæ numquam litarunt. Duo exempla diſtinctionum, à Maſſorethis non bene collocatarum, adtulimus in Indice in Pentateuchum, Gen. XXIII, 18. XLIX, 4. ad quæ vide, ſi lubet, quæ ſcripſimus.

CAPUT XI.

De ſignis Parenthēſeos, Interrogationis, Admirationis, Exclamationis, Deſiderii, & Ironiæ, obſcuritatéque & mendis indè ortis, déque Accentibus, Spiritibúsque, diſtinctionis cauſâ, additis.

1. POSTQUAM inventa ſunt Diſtinctionum ſigna, quibus & Periodi, & earum Cola, Commatáque diſtinguuntur; excogitata ſunt quoque, ſed præſertim poſt inventam Typographiam, Parentheſeos, Interrogationis, Admirationis, ſeu Exclamationis, Deſideriique & Ironiæ ſigna. Quæ omnia, quæcumque ſit moroſorum Grammatiſtarum de iis ſententia, ideò probamus; quòd perſpicuitatem orationis augeant, & Lectorem, ſæpe feſtinantem, occupatúmque, aut etiam

rudem juvent. Eadem de cauſa, ſunt etiam Accentus & Spiritus, apud Græcos & Latinos, inventi. Quare breve Caput de iis addendum hîc cenſuimus, ut fruſtra inventa hæc non fuiſſe oſtendamus.

2. Ut à definitione ordiamur, *Παρένθεσιν* hîc vocamus non tantùm cùm inſeritur orationi aliquid à tota materia alienum, ut in hiſce *Virgilii* Georg. III, 513.

—— Ipſique ſuos jam morte ſub ægra
(Dii meliora piis, errorémque hoſtibus iſtum!)
Diſciſſos nudis laniabant dentibus artus.

Hæc definitio eſt, qua, poſt nonnullos veteres Grammaticos, utitur *Ger. Joannes Voſſius* Inſtitutionis Oratoriæ Lib. V. Cap. V, 5. Parentheſin nos dicimus hîc omnem orationem, quæ alterius, cui interponitur, conſtructionem abrumpit; ita ut eam commodè intelligere nequeamus, niſi, omiſſis iis quæ Parentheſi continentur, verba inter ſe connexa legamus; quod tum potiſſimùm neceſſe eſt, cùm *parenthetica*, ſeu interjecta verba paullò longiora ſunt. Commodius quidem dicta videtur à *Theone* in Progymnaſinatibus Cap. IV. ubi de narratione, *μεταξυλογία*, quâ adpellatione ſignificatur quidquid abrupto ſermoni interponitur, continetúrque *παρεμβολὴ*, ſive *ἐπεμβολὴ*, quâ, ut docet *Voſſius*, in orationis medio cauſa rei, vel circumſtantia quæpiam, filo ſtructuræ abrupto, memo-

inoratur, imò & ὑπέρβατον, ſi ſit brevius.

3. Vetant quidem Rhetores nos hiſce uti, in narratione, ſi ſint paullò longiora, quia obſcuritatem creant. Optimè *Theon*: καὶ τὸ μὴ ὑπερβατοῖς χρῆσθαι, οἷά ἐστι τὰ πολλὰ τοῦ Θουκυδίδου· οὐ γὰρ καθόλου τὸ τῶν ὑπερβάτων γένος ἀποδοκιμάζομεν· ποικίλη γὰρ διὰ τοῦτο καὶ οὐκ ἰδιωτικὴ γίνεται ἡ φράσις· μηδὲ μεταξυλογίαις, καὶ ταύταις διὰ μακρῶν. τὰ γὰρ ἐγγὺς λαμβάνοντα τὴν ἀπόδοσιν οὐ λυπεῖ τὴν ἀκροατήν: *Sed & cavendum ne Hyperbatis utamur, qualia ſunt Thucydidea pleraque; non enim prorſus Hyperbatorum genus improbamus, cùm eo varia & minime vulgaris dictio fiat. Cavendum etiam ne* Interloquutiones, *eásque longiores adhibeamus. Nam eæ, quibus alterum ſtatim membrum infertur, minùs offendunt auditores.* Quod fuit obſcurum auditoribus, qui poterant ipſâ vocis mutatione de Parentheſi moneri, id ſanè Lectoribus perſpicuum non eſt; nec eos tantùm cruciat, ſed interdum adducit, ut locum vitient, aut corruptum fruſtra putent; quem alioquin, addito Parentheſeos ſigno, & intelligerent, & incolumem relinquerent. Notum autem eſt ea ſigna in Antiquis Codicibus omitti, unde ſequitur multa eſſe propterea non tantùm minùs bene intellecta, ſed & corrupta, quod etiam paſſim queruntur Critici, cujus rei exempla proferemus.

4. *Dionyſius* Halicarnaſſeus, in libello in quo agit de iis quæ *Thucydidi* propria ſunt, §. XV. Ἐν ᾧ τοῖς ἐνθυμήμασί τι καὶ νοήμασιν αἱ μεταξὺ παρεμπτώσεις πολλαὶ γινόμεναι, καὶ

μόλις ἐπὶ τὸ τέλος ἀφικνούμεναι, δι' ἃς ἡ φράσις δυσπαρακολούθητος γίνεται, πλεῖσαι μέν εἰσι καθ' ὅλην τὴν ἱστορίαν: *in enthymematis & ſententiis, intercurrentes interjectiones, quæ crebræ ſunt & vix ad finem perveniunt, & propter quas orationem vix adſequi licet, ſæpenumero per totam ejus hiſtoriam occurrunt.* Nec tamen ullis ſignis à ſerie orationis ſecernebantur, quod liquet ex ſequentibus *Dionyſii* verbis: ἀρκέσουσι γὰρ ἐκ τοῦ προοιμίου δύο ληφθεῖσαι μόναι, ἥτις δηλοῦσα τὴν ἀσθένειαν τῶν ἀρχαίων τῶν ἑλλάδος πραγμάτων, καὶ τὰς αἰτίας ἀποδιδοῦσα: *ſufficient duæ tantum è proœmio petitæ: Altera declarat debilitatem veterum Græciæ rerum, ejúsque rationes reddit.* Hæc verò eſt ῥῆσις, in qua eſt Parentheſis, imò verò duæ Parentheſes, quarum poſterior priore continetur, & quas ſolitis ſignis, perſpicuitatis cauſâ diſtinximus; quamvis, in *Thucydidis* exemplaribus, ea ſigna minimè ſint addita: Τῆς γὰρ ἐμπορίας οὐκ οὔσης, οὐδὲ ἐπιμιγνύντες ἀδεῶς ἀλλήλοις, οὔτε κατὰ γῆν, οὔτε διὰ θαλάσσης, νεμόμενοί τε τὰ ἑαυτῶν ἕκαστοι ὅσον ἀποζῆν (καὶ περιουσίαν χρημάτων οὐκ ἔχοντες, οὔτε γῆν φυτεύοντες (ἄδηλον γὰρ ὁπότε τις ἐπελθὼν καὶ ἀτειχίστων ἁμα ὄντων, ἄλλος ἀφαιρήσεται) τό τε καθ' ἡμέραν ἀναγκαίου τροφῆς πάντα χῶν ἡγούμενοι ἐπικρατεῖν) ὁ χαλεπὰς ἀπαίσαντο: *Cùm non eſſet mercatura, neque ſe miſcerent tutò aliis aliis, neque terrâ, neque mari, cúmque ſinguli ſua eatenus poſſiderent, quatenus opus erat ad vivendum, (non habentes pecuniarum copiam, neque ſolum plantis inſtruen-*

les (*cùm incertum eſſet, quando quiſpiam alius ſuperveniens, cùm nullis etiam muris tegerentur, ablaturus fructus eſſet*) *& neceſſarium in dies alimentum, ſe ubique vi conſequuturos exiſtimarent*) *non difficulter migrabant.* Scio eſſe, qui interiorem illam Parentheſin ſolam agnoſcant, & proximè conjungant ἡγέμονι cum ἐπανίσαντο, at non ita ſentiebat *Dionyſius*, qui hæc addit: προσθεῖναι τῇ πρώτῃ περιόδῳ καὶ σχηματισθὲν ὕστερον· ἐπεὶ γὰρ ἐμπορίας οὐκ ὄντος, οὐδὲ ἐπιμιγνύντες ἀδιῶς ἀλλήλοις, ἔστε κατὰ γῆν, ἔστε διὰ θαλάσσης, νεμόμενοι τὰ αὐτῶν ἕκαστοι ὅσον ἀποζῆν, ὃ χαλεπῶς ἀπανίσαντο· φανερωτέραν ἂν ἐποίει τὴν διάνοιαν, τῇ δὲ παρεμβολῇ τῶν μεταξὺ πραγμάτων πολλῶν ὄντων ἀσαφῆ καὶ δυσπαρακολούθητον πεποίηκε. *quod additum eſt primæ periodo, & ſic formatum*: cùm non eſſet mercatura neque ſe alii aliis tutò miſcerent, neque terrâ, neque mari, cúmque ſinguli ſua eatenus poſſiderent, quatenus opus erat ad vivendum, non difficulter migrabant; *clariorem efficeret ſenſum, ſed inſertione multarum rerum, quæ interſunt, obſcurum & quem difficulter adſequaris reddidit.* Quæ connexio aptior etiam videbitur adtentè locum legentibus. Sed & hanc eamdem periodum profert *Dionyſius* libro *de Compoſitione verborum*, p. 44 Ed. Oxonienſis, quaſi ſtyli aſperioris, neque ſatis cohærentis ſpecimen. Nec mirum ſit ſi in ejuſmodi loca irrepant menda, cùm vix intelligi queant, niſi iterum legantur.

§. Alterum exemplum, ex eodem proœ-

mio desumtum, sic habet: Εὐρυσθέως μὲν ἐν τῇ Ἀττικῇ ὑπὸ Ἡρακλειδῶν ἀποθανόντος, Ἀτρέως δὲ μητρὸς ἀδελφὸς ὄντος αὐτῷ, καὶ ἐπιτρέψαντος Εὐρυσθέως (ὅτε ἐστράτευσε) Μυκήνας τε καὶ τὴν ἀρχήν, κατὰ τὸ οἰκεῖον, Ἀτρεῖ· (τυγχάνειν δὲ αὐτὸν φεύγοντα τὸν πατέρα, διὰ τὸν Χρυσίππου θάνατον) καὶ ὡς οὐκέτι ἀνεχώρησεν Εὐρυσθεὺς, βουλομένων καὶ τῶν Μυκηναίων (φόβῳ τῶν Ἡρακλειδῶν) καὶ ἅμα δυνατὸν δοκοῦντα εἶναι, καὶ τὸ πλῆθος τεθεραπευκότα, τῶν Μυκηναίων τε, καὶ ὅσων Εὐρυσθεὺς ἦρχε, τὴν βασιλείαν Ἀτρέα παραλαβεῖν. Subaudiendum λέγουσι, quod antecessit, & vertendùm: *cùm Eurystheus quidam in Attica ab Heraclidis esset occisus, Atreus verò frater matris ejus esset, & Eurystheus permisisset (quando expeditionem suscepit) Mycenásque & imperium, pro necessitudine, Atreo (fugisse autem eum patrem* aiunt, *propter Chrysippi necem) & cùm non ampliùs rediisset Eurystheus, volentibus Mycenæis (præ metu Heraclidarum) & simul potentiæ famâ celebrem, & qui plebem coluisset, Mycenæorum & omnium quibus Eurystheus imperaverat, Atreum regnum accepisse*; nempe, *aiunt*, quod antecesserat. Hîc sunt tres μεταξυλογίαι, quarum duæ posteriores duriores sunt, & præsertim media. Rectè animadvertit *Franc. Portus*, post Ἀτρέως δέ, quod est ante primam Parenthesin, debuisse sequi, ponè secundam, διαδεξαμένου τὴν ἀρχὴν, βουλομένων τῶν Μυκηναίων &c. sed mutatam verborum figuram. Innumera similia possent adferri ex eodem *Thucydide* exempla, è quibus constaret, non leve incommodum Lec-

tio-

ctoribus olim fuiſſe, cùm nulla Parentheſeon ſigna notata eſſent; nec exiguam Librariis, hac in re, peccandi occaſionem fuiſſe. Quod difficilius, ſine antiquiſſimis exemplaribus, deprehendere nunc poſſumus; quia, ſi duriorem & obſcuriorem ſtructuram *Thucydidi* ignoſcimus, nos tamen mollior & clarior nequaquam ita in eo offendit, ut vitatam ubique ab eo putemus.

6. Eſt alius Scriptor, qui frequentibus Parentheſibus & Hyperbatis laborat, & quem probè intelligi, multò magis quàm *Thucydidem*, intereſt. Is eſt *Paulus* Apoſtolus quem ejuſmodi orationis ſtructurâ impeditiore abundare nemo non animadvertit. Nemo tamen frequentiùs ſigna Parentheſeos adhibenda cenſuit, in ejus oratione expedienda, quàm *Nortonus Knatchbullus*, Nobilis Anglus, in acutis Animadverſionibus in Libros Novi Teſtamenti, ſæpiùs in Anglia & in Batavia editis; quæ ſi in manus ſumantur, nihil opus erit nobis exemplis. Fortè quidem interdum in ſignis Parentheſeos adponendis, lapſus nonnullis, æquè ac nobis, videbitur, quòd nimis frequenter iis utatur; nemo tamen quin bene & neceſſariò ea ſæpe adpoſuerit negabit, qui quidem rem expenderit.

7. Exemplum unum adferemus ex Epiſtolæ ad Romanos inſcriptione, unde ſe expedire ſine Parentheſeos ſigno non licet. Imò verò ne in eo quidem collocando ſatis Novi Teſta-

menti Editoribus convenit. Locum integrum adferam, ut rem Lectoris oculis hîc ſubjiciam, majuſculisque litteris inſcriptionis prima & poſtrema verba, quæ conjungenda ſunt ſcribam: ΠΑΥΛΟΣ ΔΟΥΛΟΣ ΙΗΣΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ, ΚΛΗΘΕΙΣ ΑΠΟΣΤΟΛΟΣ, ΑΦΩΡΙΣΜΕΝΟΣ ΕΙΣ ΕΥΑΓΓΕΛΙΟΝ ΘΕΟΥ (ὃ προεπηγγείλατο διὰ τῶν προφητῶν αὐτοῦ ἐν γραφαῖς ἁγίαις, περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ (τοῦ γενομένου ἐκ σπέρματος Δαβὶδ κατὰ σάρκα, τοῦ ὁρισθέντος υἱοῦ Θεοῦ ἐν δυνάμει, κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν) Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν, δι' οὗ ἐλάβομεν χάριν καὶ ἀποστολὴν εἰς ὑπακοὴν πίστεως ἐν πᾶσι τοῖς ἔθνεσιν, ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ, ἐν οἷς ἐστε ὑμεῖς κλητοὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ) ΠΑΣΙ ΤΟΙΣ ΟΥΣΙΝ ΕΝ ΡΩΜΗ &c. Hîc tantùm duas Parentheſes poſuimus, ubi alii tres collocant, nec tamen nexum orationis commodiùs evolvunt. Optimè *Chryſoſtomus* ad verſ. 4. obſervat *obſcurum factum eſſe, quod dicitur, propter vocum complicationem*; ἀσαφὲς τὸ εἰρημένον, ὑπὸ τῆς λέξεων πλοκῆς, γέγονε Attamen hîc res ipſa non obſcura ad rectam verborum connexionem deducit, quæ multò difficilior eſt, in aliis Pauli ratiocinationibus, ut vel ex *Knatchbullo* liquebit.

8. Sed exemplum alterum addemus, è Luca, omiſſæ Parentheſeos, quæ omiſſio toti orationi tenebras offudit, Act. 1, 19. Petrus illic orationem habet ad Apoſtolos & Diſcipulos Chriſti, ut mortuo Judæ quiſpiam ſufficeretur, qui duodecim Apoſtolorum nu-

merum impleret. Itaque memorat violentam Judæ mortem, locáque addit è Pſalmis, è quibus ſucceſſorem ei dandum oſtendit: *Et hic quidem*, inquit, *poſſedit agrum ex mercede iniquitatis & ſuſpenſus crepuit medius, & diffuſa ſunt omnia viſcera ejus*: Καὶ γνωστὸν ἐγένετο πᾶσι τοῖς κατοικοῦσιν Ἰερουσαλὴμ, ὥστε κληθῆναι τὸ χωρίον ἐκεῖνο τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ αὐτῶν Ἀκελδαμὰχ, τουτέστι χωρίον αἵματος: *Scriptum eſt enim in libro Pſalmorum* &c. Omiſſa Parentheſis effecit ut verba Græcè tantùm à me adlata crederentur etiam eſſe Petri, quæ ab eo proferri non potuerunt, ſúntque reverâ Lucæ; qui ut confirmaret quod dixit Petrus, de agro emto pecuniâ, ob quam à Juda proditus erat Chriſtus, interponit hæc ejus orationi verba: *Et notum factum eſt omnibus habitantibus Jeruſalem; ita ut adpellaretur ager ille, Linguâ eorum, Akeldama; hoc eſt, ager ſanguinis.* Numquam dixiſſet Petrus de Lingua Jeroſolimitana *Lingua eorum*, cùm ipſe eadem uteretur; nam in Galilæa videntur tantum aliter pronunciaſſe Linguam Chaldaïcam, quæ per totam Judæam erat in uſu. Deinde, non interpretatus eſſet condiſcipulis quid ſibi vellet vox *Akeldama*, quod iis æquè ac ipſi notum erat. Nec in hiſce etiam, quæ nihil ad rem faciebant & notiſſima erant iis, quos adloquebatur, moratus eſſet. Sed hæc omnia optimè in gratiam eorum, qui rem alioqui ignoraturi erant, & Chaldaïcè neſciebant, interponuntur ex perſona Lucæ. Senſiſſe hæc videtur *Eraſmus*, qui adiri poterit,

terit, nec tamen ab aliis Interpretibus auditus eſt. Hinc liquet Parentheſin, non animadverſam, orationem obſcurare, quod ex ſuperioribus etiam ſat conſtat

9. Hæc eò non dico, quaſi perſpicuitatis cauſâ, vitandas omnes Parentheſes cenſerem; quæ ſine obſcuritate, vim interdum, ut Rhetores docent, orationi majorem addunt, quàm ſi naturæ, ut ita dicam, conſentaneo ordine, ſingula verba collocarentur. Sed qui adcuratè, hoc eſt, ad Rhetorum canonas ſcribunt, numquam aliàs eas admittunt, aut certè admittere debent. Nec dubito quin multa menda ex intricata oratione orta ſint, cùm Librarii, aut Critici eam conarentur expedire. E *Cicerone* unum atque alterum exemplum, ut res meliùs intelligatur, ſubjiciam

10. Libro I. contra Verrem, c. 50. poſtquàm dixit S. C. factum eſſe, quibus de ſartis tectis cognitum & judicatum non eſſet, uti C. Verres, P. Cœlius Prætores cognoſcerent & judicarent, ſic pergit: *Quâ poteſtate iſte* (Verres) *permiſſâ, ut ex C. Fannio & ex Q. Tadio cognoviſtis; verumtamen cùm eſſet omnibus in rebus apertiſſimè, impudentiſſiméque prædatus, hoc voluit clariſſimum relinquere indicium latrociniorum ſuorum, de quo non audire aliquando, ſed videre quotidie poſſemus; quæſivit quis Ædem Caſtoris ſartam, tectam deberet tradere* Cùm ſe hinc non extricaret *M. Ant. Muretus*, vir alioquin elegantiſſimi & acutiſſimi judicii, ſententiam nullam eſſe pronunciavit, ſcribique juſſit, *quâ pote-*

poteſtate permiſſâ ita abuſus eſt, *ut ex C. Fannio* &c. Tres voces excidiſſe putavit. *Franciſcus* verò *Hotomannus* ait ſatis conſtare, *verumtamen* vocem eſſe hoc loco otioſam, eámque etiam à nonnullis libris abeſſe; quibus tamen ſimiles ſibi viſos nemo alius, quod equidem ſciam, narravit. *Lambinus*, *Gruterus*, *Grævius* hîc planè tacent. Sed tamen ita longum verbum temerè in hunc incidiſſe locum difficile eſſe credere fatetur *Hotomannus*. Itaque conjecturam hanc ſuam Eruditis confirmandam, aut repudiandam, ut ait, proponit. Solet, nempe, *Cicero* CUM & TUM frequenter conjungere, interdum etiam adjunctâ particulâ VERO, quæ vim verborum auget. Prætermiſſum igitur fuiſſe ſuſpicatur à Scriptore TUM VERO, eóque in margine poſtea repoſitum; ſed eâ tamen notâ, qua plerumque uti ſolent, lineâ, videlicet, impoſitâ, ut alius non ſuo loco verbum illud reponens *tamen verò*, ad extremum etiam *verumtamen* ſcribendum putarit. Quamobrem ita legendum ac reſtituendum potiùs locum arbitratur *Hotomannus*: *ut ex Q. Tadio cognoviſtis, cùm eſſet omnibus in rebus apertiſſimè, impudentiſſiméque prædatus*, tum verò *hoc voluit clariſſimum relinquere indicium latrociniorum ſuorum.* Interpretes alii, quos equidem vidi, tacent; ſeu probarent alterutrius conjecturam, ſeu deliberandum cenſerent. Atqui additâ Parentheſeos notâ, nihil opus eſt quidquam mutari: *Quâ poteſtate permiſſâ, ut ex C. Fannio & Q. Tadio cog-*

cognoviſtis (*verumtamen cùm eſſet* —— *poſſemus*) *quæſivit quis Ædem* &c. Τὸ *verumtamen*. refertur ad τὸ σιωπώμενον, quaſi vellet *Cicero latrocinandi occaſione ſæpe quidem aliàs abuſum Verrem*, verùm tamen hoc clariſſimum omnium ejus latrociniorum eſſe. Orationem autem, parentheſi ſectam, rarum non eſt etiam ellipticam eſſe.

11. Sic Tuſculanarum Quæſt. Lib. II. c. 1. poſtquàm dixit *Cicero* ſe non ignorare multos inſtituto ſuo ſtudioſè eſſe contradicturos, ita porrò infit: *Etenim ſi orationes, quas nos multitudinis judicio probari volebamus* (*popularis eſt enim illa facultas & effectus eloquentiæ eſt audientium adprobatio*) *ſed etſi reperiebantur nonnulli qui nihil laudarent* &c. Poſt parentheſin ſubaudiendum, *non omnibus placuerunt*, ad quod referuntur verba: *ſed etſi reperiebantur nonnulli*, à quibus nova veluti Parentheſis inchoanda eſt, hoc modo: *Etenim ſi orationes* —— (*popularis* —— *adprobatio*) non omnibus placuerunt (*ſed ſi reperiebantur nonnulli, qui nihil laudarent, niſi quod ſe imitari poſſe confiderent, quemque ſperandi ſibi eumdem & bene dicendi finem proponerent; & cùm obruerentur copiâ ſententiarum, atque verborum jejunitatem & famem ſe malle, quàm ubertatem & copiam dicerent* (*unde erat exortum genus Atticorum iis ipſis, qui id ſequi ſe profitebantur, ignarum*) *qui jam conticuerunt pænè ab ipſo foro irriſi*) *quid futurum putamus, cùm adjutore populo, quo utebamur antea, nunc minimè nos uti poſſe vi-*

videamus ? Integrum locum exſcripſi, cùm ut *parentheticam* orationem *ellipticam* quoque aliquando eſſe oſtenderem, tum verò ut omiſſorum Parentheſeos ſignorum exemplum alterum adferrem; nam primæ tantùm ſigna in Editionibus cernuntur. Obſervent etiam Lectores non *Thucydidem* tantùm, ſed & ipſum *Ciceronem* μιταξυλογίαις obſcurum interdum fieri. Exempla aliquot alia, in viri doctiſſimi *Joan. Daviſii* notis ad hunc locum, invenient.

12. Addam tamen tertium, ut locum ſimul emendem, è Lib. II. de Legibus c. 25. ubi ſic *Cicero*, de ritibus funerum, apud Atticos, agens: *ſequebantur epulæ, quas inibant parentes coronati, apud quas de mortui laude, cùm quid veri erat prædicatum, nam mentiri nefas habebatur: at juſta conjecta erant.* Nihil ad hæc *Ciceronis* Editores *Lambinus* & *Gruterus*, niſi quòd probant *Pauli Manutii* conjecturam, quâ emendabat *confecta* pro *conjecta*, & quidem meritò. Sed totus locus ſic eſt, ope Parentheſeos, & levis mutationis reſtituendus: *cùm quid veri erat prædicatum* (*nam mentiri nefas habebatur*) *fuerat*, *juſta confecta erant.* *At*, quod ſupereſt in Codicibus, eſt finis verbi *fuerat*, cujus initium *fuer* omiſſum videtur, ob ſimilitudinem cum antecedente ſyllaba *tur*. Nec quiſquam dixerit duriuſculam hanc eſſe Parentheſin, nec in *Cicerone* ferendam, qui vel antecedens exemplum paullò adtentiùs expenderit. Non ignoro delicatulos eſſe neſcio quos homines, qui

qui ſine ulla neceſſitate, & contra omnium MSS. Codicum auctoritatem, emendant quæ bene Latina ſunt; ut *Cicero* barbaris ipſorum auribus elegantiùs, ſcilicet, loquutus eſſe videatur. At ſcio nemini erudito ejuſmodi licentiam probari; quâ innumera corrumperentur, ſi ad barbarorum palatum exigerentur.

13. In veterum etiam Hebræorum Libris, nulla Parentheſium ſigna occurrunt, quæ tamen, ut in omnibus Linguis, neceſſariò ſunt ſupplenda. Sic Numer. V, 21. in adjuratione mulieris adulterii ſuſpectæ, verba quædam ita ſunt legenda, quaſi Parentheſi clauſa. *Tum adjurabit eam ſacerdos, dicétque mulieri: Si nullus alius vir concubuit tecum, neque aliò deflexiſti ad immunditiam à viro tuo, immunis eſto effectûs aquæ hujus amaræ. Sin verò aliò deflexiſti à viro tuo & polluta es, ac tecum concubuit vir alius, præter tuum,* (*hîc ſacerdos adjurabit mulierem jurejurando exſecrationis, eique dicet:*) *ſtatuat te Jehova in exſecrationis & perjurii exemplum* &c. Quæ Parenthelis cùm *Hieronymo* durior videretur, eam emollivit, hiſce verbis ejus loco ſubſtitutis: *His maledictionibus ſubjacebis.* Sic & Deut. C. II, 10, 11, 12. κατὰ παρενθήκην verbis Dei inſeruntur. Similis quoque eſt à verſ. 20. ad 23. Vide & verſ. 28, 29.

14. *Interrogationis* ſignum etiam inventum eſt, quòd ſæpe Interrogatio iis verbis concepta eſt, quibus adfirmans quoque enunciatio exprimeretur, nec poſſet internoſci, niſi

à perito & adtento Lectore, interrogatióne ſit an adfirmatio. Eſt autem orationis perſpicuitas omni ratione adjuvanda, ne ſine ullo fructu, lectorem verba obſcura morentur. Tota eò ſpectet oportet ut doceat, quam in rem numquam poteſt eſſe nimis perſpicua. Cùm orationi etiam vim addat Interrogatio, & interdum neget quod adfirmare videtur; ſi ſignum omittatur, nec id animadvertat Lector, frigere ei videatur oratio neceſſe eſt, imò verò contraria ei ſententia tribuatur. Cùm eadem ſit ratio, hoc in negotio omnium Linguarum, nihil intererit è qua exempla deſumantur.

15. Geneſ. XLI, 16. cùm Rex Ægypti Joſepho dixiſſet ſe non invenire conjectorem ſomniorum ſuorum, reſpondet Joſephus: בלעדי אלהים יענה את שלום פרעה quod verbo tenus interpretantur: *ſine me Deus reſpondebit pacem Pharaonis*; quæ ſenſu carent. Addito interrogationis ſigno oſtendimus vertenda: *an ſine Deo fauſtum reſponſum edetur Pharaoni*? quaſi diceret, mirum non eſſe ſi conjectorem ſomnii non inveniret, Deum enim ſolum poſſe docere, quid ſomnio Regi immiſſo portendere voluerit; nam ejuſmodi interrogatio eſt negationis loco, ut ſæpe aliàs, cujus rei exempla invenientur in Indice noſtro in Pentateuchum. Ergo videmus, additâ Interrogationis notâ, ſenſum orationi reddi, ceteroquin eo carituræ. Quod cùm non adſequerentur LXX. Intt. putarunt hîc negationem omiſſam & verterunt ἄνευ Θεοῦ ἐκ ἀποκρι-

θή-

θίστελαι τὸ σωλήριον Φαραώ, quod tamen eumdem ſenſum parit. Sed vide dicta à nobis ad eum locum.

16. Si quis contrà adimeret Interrogationis ſigna, ubi adponenda ſunt, aut planè frigeret oratio, aut in contrarium ſenſum mutaretur. Si quis è I. Catilinaria C. I. verba quibus *Cicero* Catilinam adloquitur, ſic ſcriberet: *patere tua conſilia non ſentis, conſtrictam jam horum omnium conſcientiâ teneri conjurationem tuam non vides*; primùm ardorem orationis exſtingueret, deinde ſenſum ejus mutaret; nam *Cicero* non vult negare hæc Catilinæ nota fuiſſe, ſed eum irridere, ac increpare, qui ita ſe gereret, quaſi ea ignoraret, quæ non poterat neſcire.

17. Similiter ſeries orationis planè corrumpitur, ubi Admiratio, Exclamatio, Deſiderium, Ironia, omiſſis notis quibus indicantur, ei ineſſe non animadvertuntur. Sic ſi ſcribam, *hominem impurum*, *hominem nequam*, cùm velim Exclamationem, aut Admirationem exprimere, ægrè intelligar; contra verò nemo ſit, qui mentem meam illico non adſequatur, ſi ſcripſero, *hominem impurum*! *hominem nequam*!

18. Sic Æneid. VIII. 643. ubi ſupplicium Metii, Albanorum Dictatoris deſcribitur:

Haud procul inde citæ Metium in diverſa quadrigæ
Diſtulerant (at tu dictis, Albane, maneres)

Rapæ

Raptabátque viri mendacis viſcera tellus,
Per ſilvam, & ſparſi rorabant ſanguine vepres;

Satius eſſet ſcribere, additâ Deſiderii notâ; (*at tu dictis, Albane, maneres!*) hoc eſt, utinam promiſſis ſtetiſſes! neque enim tam crudele ſupplicium luiſſes. Scio viros doctos vulgò interpretari *manere debuiſſes*, nec commodum ſenſum eſſe nego; ſed occultum etiam illic eſt narrantis Deſiderium, quo ſignificat ſibi dolere, quòd tam graves pœnas de Metio ſumi neceſſe fuit, optaréque ſe, ſi fieri poſſet, rem non contigiſſe. Eſt etiam exemplum Deſiderii, in loco *Virgilii* adlato §. 2. Georg. III, 513.

19. In *Ironia* idem ſignum (niſi quis mallet novum inveniri, quod in ceteris etiam adfectibus exprimendis fieri poſſet) rectiùs adponeretur, quàm omitteretur. Sic Æneid. I, 43. ubi Junonis, irâ æſtuantis, animus deſcribitur:

——— *Méne incepto deſiſtere victam?*
Nec poſſe Italiâ Teucrorum avertere Regem?
Quippe vetor fatis!

Malim poſt *fatis* ſignum Ironiæ addere, quàm Lectori rem intelligendam relinquere cùm multi non intelligant, qua de re dixi P. II. Sect. I. C. XVI, 24. Similiter paullò pòſt verſu 52.

——— *Et quiſquam numen Junonis adoret*
Præterea, aut ſupplex aris imponat honorem!

præſtat ſignum Ironicæ Exclamationis, ejúſque indignatione miſtæ, addere, quàm Interrogationis, quæ hîc nulla eſt. Idem factum velim, poſt verſum 95. Æneidos IV.

Egregiam verò laudem & ſpolia ampla refertis
Tuque puérque tuus, magnum & memorabile nomen,
Una dolo Divûm ſi fœmina victa duorum eſt!

Non ſum neſcius ex re ipſa ſatis liquere eſſe hîc Ironiam; ſed nihil vetat ſigno hoc quoque indicari, & ſunt loca, ut diximus, ubi omnes figuram non vident.

20. Notiſſimum eſt, ut obiter diximus §. 21. ſuperioris Capitis, in antiquiſſimis Codicibus MSS. Græcis, nullos eſſe adpictos Accentus, ac Spiritus, corúmque notas partim eſſe inventas, ut voces ambiguæ diſtinguerentur. Ad calcem aliquot Lexicorum exſtat collectio plurium, quàm ducentorum vocabulorum, in quibus diverſitas accentuum ſignificationem mutat. Idem obſervare licet in ſpiritibus, ut in vocibus ὄρος *mons* & ὅρος *fi-*

finis, ἃ *non*, ἅ *ubi*, & ſimilibus. Quæ omnia ſi deleantur, aut malè adponantur, magnas ambiguitates pariant. Vide dicta Cap. antecedentis §. 22. & 23.

21. Etiam, apud Latinos, jam olim uſum accentuum fuiſſe, hanc in rem, adhibitum oſtendunt antiquiſſimæ Inſcriptiones & Veteres Grammatici; quorum ſuffragia collegit Eminentiſſ. Cardinalis *Henricus Noriſius*, ad calcem Diſſertationis Quartæ in Cenotaphia Piſana. Iis Syllabas longas à brevibus, adverbiáque à verbis, nominibúsque, & nomina à participiis diſtinguebant. Ad eum Lectorem amandamus, neque enim actum agere libet. Non ſequimur quidem nunc Veteres, qui in ſyllabis non ultimis tantùm, ſed & pænultimis, & antepænultimis accentus adponebant, ut longas ſyllabas indicarent, quod nimis operoſum eſſet. Sed non improbamus, imò etiam imitamur eorum inſtitutum, qui accentibus gravibus ſignant adverbia, ut diſtinguantur à verbis & nominibus, ut *ponè*, ne miſceatur cum imperativo *pone*; *ferè*, ne confundatur cum *fere* vocativo; *penè* (ſi nolis ſcribere *pænè*) ut ſecernatur à verbo obſcœno; *raro*, ut diſtinguatur à dativo *raro*; *multùm*, ut diſcriminetur ab accuſativo *multum* &c. Ablativos etiam abſolutos ſingularis præſertim in *A*, circumflexo ſolemus ſignare, ne confundantur cum nominativis, quod ambiguitates interdum ſat magnas creare poteſt; quas cur non vitemus, nullam rationem video. Non obſervatum hoc παραδιορθωσι

loci *Ciceroniani* Lib. V. de Finibus, c. 17. occaſionem præbuit. *Cicero* agens de commodis corporis, quæ ſponte naturæ quærimus: *Nunc autem aliud*, inquit, *jam argumentandi ſequamur genus, ut non ſolùm quia nos diligamus, ſed quia cujuſque partis naturæ, & in corpore & in animo ſua quæque vis ſit; idcirco in his rebus ſumma, noſtra ſponte moveamur.* Sic habet *Gruterus*, nec aliter ediderat *Lambinus*, niſi quòd omiſerat comma, inter *ſumma* & *ſponte*. Is *ſumma* inanem vocem eſſe pronunciat, *Gruterus* verò, cum *Aldo* nepote, legit *moveatur*. At legendum fuit: *ſummâ noſtrâ ſponte moveamur*, hoc eſt, μάλιστα ἐκουσίως, prorſus ſpontaneo motu, non ratione, aut conſuetudine contractâ bona corporis quæramus. Poſſent etiam non incommodè diſtingui ablativi abſoluti plurales à dativis, ſimili aliquâ notâ, aliæque addi, eadem de ratione. Sed hîc conſuetudini aliquid dandum, ne tantilla novitas bilem Grammatiſtis moveat.

CA-

CAPUT XII.

Ex compendiaria ſcriptura multa eſſe nata Menda.

1. QUI verſarunt veteres Codices ſæpe animadverterunt Librarios, ſive ex feſtinatione, ſive ex prava conſuetudine, pro integris vocibus, aut earum initium dumtaxat, puncto addito, ſcripſiſſe; aut ſyllabas in media voce omiſſas, impoſitâ lineolâ, ſuppleviſſe; aut etiam nullum compendiariæ ſcriptionis indicium addidiſſe. Hinc factum ut Librarii, aut etiam Critici, qui ea compendia non adſequebantur, malè quod deerat ſuppleverint, aut integrum putarint quod mutilum erat. Huc etiam referri poſſunt numeri, in quos irrepſere menda, quia litteris, vel notis arithmeticis deſcripti erant; in quas menda irrepere facilè potuerunt, quæ admiſſa numquam fuiſſent, ſi integris vocibus expreſſi fuiſſent numeri. Ideò *Juſtinianus* Imp. vetuit, in deſcribendis Inſtitutionibus, Digeſtis & Codice, compendia ulla adhiberi. Sic loquitur in Præf. Digeſt. Tit. 1. de Digg. conceptione ad Tribonianum §. 13. *Ne autem per ſcripturam in poſterum fiat aliqua dubitatio, jubemus non per ſiglorum captiones & compendioſa ænigmata, quæ multas per ſe & per ſuum vitium antinomias induxerunt, ejuſ-*

dem Codicis textum conſcribi, etiamſi numerus librorum ſignificatur, aut aliud quidquam; nec enim per ſpecialia ſigla numerorum manifeſtari, ſed per litterarum conſequentiam explanari concedimus. Vide ſimilia T. II. de Confirmatione Digg. §. 22. ubi ex ejuſmodi libro vetat quidquam recitari & pœnam ſtatuit in Librarios; Conſtitutionémque de Emendatione Codicis, §. 5. Horum omnium exempla aliquot ſunt in medium proferenda. Sed antea Lectorem monebo, his iterum editis, prodiiſſe Palæographiam Græcam *Bern. de Montfaucon*, an. 1708 in qua Lib. V. copioſiſſimè agit de compendiis, quæ in MSS. deprehenduntur, ad quam Lectorem amandamus.

2. Sunt nomina propria, quæ eadem ſyllabâ inchoantur, inter ſe miſta; quod fieri non potuiſſe videtur, niſi quia Librarii feſtinantes ſyllabam unam, aut alteram, vel ſecundæ litteram ſcribebant, addito puncto, pro integro nomine. Exempli cauſâ, variarum ſententiarum fragmentis, quæ cùm apud *Joannem Stobæum*, tum alibi exſtant, præfixum olim fuit, aut ſubjectum Φιλ. quod cùm non adſequerentur aut Librarii, aut Grammatici, ex eo compendio fecere nunc *Philemonem*, quod nomen eſt celeberrimi Comici æmuli *Menandri*; nunc *Philiſtionem* quod eſt nomen Pantomimi qui ſub Auguſto vixit; nunc *Philetam*, qui Elegias & Epigrammata ſcripſerat.

3. Græculus, qui concinnavit comparationem *Menandri & Philemonis*, quam primus edidit *Nicol. Rigaltius*, tum auctiorem repoſuit

ſuit *Jan. Rutgerſius*, *Philiſtionem*, non alia de cauſa, pro *Philemone* auctorem variarum ſententiarum fecit; ut judicarunt tres æquales Critici; non è vulgò, qui eam comparationem notulis illuſtrarunt. Primus eſt *Rutgerſius* Var. Lect. Lib. IV. c. 12. cujus hæc ſunt verba: *Horum nominum confuſio inde videtur orta, quòd auctoris nomen primis tantum litteris deſignatum erat, hoc modo*: PHIL. *unde hæſitans Librarius nunc* Philemon, *nunc* Philiſtion, *nunc* Philetas *fecit, quod apud Stobæum pænè perpetuum eſt.* Alter eſt *Dan. Heinſius*, qui ita *Rutgerſium* adloquitur: *Quæ Philiſtioni adſcribuntur hîc, adſcribenda Philemoni verè ſimul, atque acutè obſervatum eſt à te, frater jucundiſſime; ídque ex errore litterarum eſſe natum; quòd* Philiſtion, Philemon & Philetas *iiſdem primis elementis ſcriberentur, velut ipſe is locus, qui divitiarum atque paupertatis comparationem habet, perperam* Philetæ *à Stobæo adſcribitur.* Horum judicio ſuffragium ſuum adſcribit *Hug. Grotius*, * in notis ad excerpta ex *Menandro.* Simili ratione cùm eſſet in MSS. Codd. *Ciceronis* Academ. Quæſt. Lib. IV. c. 19: *Hæc* ANT. *ferè & Alexandriæ tum & multis annis pòſt* &c. hinc fecere nonnulli *Antonius*, pro more Romano, quod in *Lambini* & *Gruteri* Editionibus legitur, ſed perperam; nam manifeſtò legendum *Antiochus*, ut eſt in *Aldi* nepotis Editione. Vide ejuſdem Libri Cap. IV.

4. Hac ex conſuetudine Librariorum, natum eſſe ſuſpior mendum, quod à multis

* *Pag.* 989.

sæculis insedit Act. VII, 16. ubi *Abrahamus* dicitur *emisse sepulcrum à filiis Emmor patris Sichem*, cùm à *Jacobo* ab iis agrum emtum liqueat ex Gen. XXXIII, 19. Scriptum fuisse videtur emtoris nomen, hoc compendio IAB. quod erat interpretandum Ἰακώβ; at exscriptor credidit esse initium vocis ABPAAM, seu deletum esset I lapsu temporis, seu mendosè additum judicaverit. Itaque scripsit Ἀβραάμ, quem in errorem faciliùs incidit, quòd reverâ *Abrahamus* emisset sepulcrum, sed alibi, & ab aliis, ut docet Moses Gen. XXIII. Sic scriptum invenitur IHA pro Ἰσραὴλ, IAHM pro Ἱερουσαλὴμ, ΔAΔ. pro Δαυὶδ, & similia, quæ animadvertit, exemplisque comprobavit vir doctissimus *Bern. de Montfaucon*, in Palæographia Græca, loco antea memorato.

5. Certum est ergo ejusmodi compendium sæpe in MSS. inveniri, quo primæ & ultimæ litteræ conjunguntur, cujus exemplum ex *Hug. Grotio* adtulimus Cap. VII. §. 3. Sic * viri docti animadverterunt in MSS. *Diogenis Laërtii* Lib. IX. §. 10. Leucippum vocari Μήλιον, qui *Clementi* Alexandrino, & *Epiphanio* dicitur Μιλήσιος. Compendii causâ, scriptum videtur Μλιος, unde alii *Melium* fecerunt, alii *Milesium*. Sic & Diagoras, qui *Melius* à plerisque dicitur, & fuit, *Chrysostomo* in Hom. IV. in 1. ad Corinthios et *Milesius*.

6. Si-

* *Vide Æg. Menagii observationes.*

6. Similiter in vita *Dinarchi*, à *Dionyſio* Halicarnaſſeo ſcripta, laudatur Δῆμος ὁ Μάγνης, ὃς ἔδοξε γενέσθαι πολυΐστωρ, ἐν τῇ περὶ τῶν ὁμωνύμων πραγματείᾳ. *Demus Magnes, qui Polyhiſtor exiſtimatus eſt, in opere de homonymis.* Legendum ait *Iſaac. Caſaubonus* * Δημήτριος; quo nihil certius, cùm *Diogenes Laërtius Demetrium Magnetem*, pluſquàm quindecies laudet, in Opere de Homonymis, aliíque; *Demum* verò *Magnetem* nemo. Addit *Caſaubonus: Error natus eſt ex compendio ſcripturæ, tales ſunt in bonis Scriptoribus infiniti.* Non modò compendium ſcripturæ fuit, ſed nulla planè ejus nota adſcripta videtur; quam ſine dubio animadvertiſſet vir doctiſſimus *Pet. Victorius*, qui eum libellum *Dionyſii* primus è MSS. Codicibus ędidit.

7. Idem *Caſaubonus*, eodem loco, exiſtimat indidem factum eſſe, ut pro *Soſicrate* apud *Diogenem*, loco indicato, legamus *Socratem*, *in primo de ſucceſſione*; ſed crediderim potiùs Librarium non ſatis adtentum, pro nomine minùs noto *Soſicratis*, audiſſe celeberrimi Philoſophi adpellationem, eámque pro altera ſcripſiſſe; quod peccatum nimis quàm frequenter à Criticis admiſſum conſtat, ut poſtea oſtendemus. Notum eſt Veteres duplex I expreſſiſſe longiore litterâ ut PLAUTI, pro PLAUTII. Sive hac de cauſa, ſive quòd PLAUT. dumtaxat in titulo nonnullarum Comœdiarum ſcripſiſſent Librarii, nonnullæ,

* *In not. ad Diogen. Laërt. Lib. VI. §. 80.*

quæ *Plautii* erant, *Plauto* ſunt adtributæ. *Varro*, in Libro de Comœdiis Plautinis, ſcripſerat *Plautium fuiſſe quendam Poëtam Comœdiarum, cujus quoniam fabulæ* PLAUTI *inſcriptæ forent, acceptas eſſe quaſi* Plautinas, *cùm eſſent non à* Plauto Plautinæ, *ſed à* Plautio Plautianæ. Vide *Aul. Gellium* Lib. III. c. 3.

8. Compendiaria ſcriptura peperit mendum in *Livio* Lib. XXXVII, c. 24. ubi narrato initio pugnæ navalis Rhodiorum cum Annibale, quam non ſine tumultu inierant Rhodii, ita pergit: *Sed momento temporis & navium virtus & uſus rei maritimæ terrorem omnem Rhodiis demſit.* Miror viros doctos non vidiſſe legendum NAVALIUM, nempe, ſociorum, ut ſolet loqui *Livius*, hoc eſt, *remigum.* Nemo *navibus* tribuerit *virtutem*, & *uſum rei maritimæ*; nec dixeris *naves* metonymicè ſumi pro *navalibus*, nam poſſit fortè hoc fieri, ſi vox ſola ſit; ſed non cum adjunctis, quæ nonniſi hominibus conveniant, qualia hîc occurrunt. Idem *Livius*, eodem Libro C. XXX. 2. *robur* navibus, *virtutem* militibus tribuit: *Robore navium & virtute militum Romani longè Rhodios præſtabant.*

9. Inter compendia ſcripturæ referri poſſunt, ut diximus, numeri non integris vocibus ſed litteris, aut notis deſcripti, in quibus ſæpiſſimè peccatum eſſe conqueruntur paſſim Critici; præſertim cùm de annis Olympiadum, aut Urbis Conditæ à Veteribus memoratis loquuntur. Facile eſſet ingentem copiam locorum exſcribere, nec difficile eſt intel-

tellectu litteris, aut notis non ſatis eleganter pictis legentes ſæpiſſimè falli potuiſſe. Obſervabo dumtaxat videri etiam veteres Hebræos litteris numeros expreſſiſſe, unde natæ ἐναντιότητες, quæ ſunt inter Chronologias Librorum Regum & Paralipoménon. Si enim integris vocibus ſcripſiſſent, numquam futuræ fuiſſent tot diſcrepantiæ. Scio viros eruditos * omnem movere lapidem, ut eas tollant; ſed palam eſt eos operam plerumque ludere, ſi inter ſe eorum interpretamenta conferantur. Maluerunt, nimirum, Rabbinis credere, hominibus vanis; quàm oculis & rationi, quæ docebant menda eſſe Librariorum. Nam quod dicunt timere ſe ne, ſi fateantur menda ineſſe Veteris Teſtamenti Libris, actum ſit de ejus auctoritate; id primum eſt imprudenter prodere eam auctoritatem, quam ſe defendere profitentur, non quòd eam compertam habeant, ſed quia ita expedit; non amore & fiduciâ veri, ſed quia ita cenſuerunt. Deinde quod omnes fatentur de Novo Teſtamento, qui id Græcè legerunt, & editiones hodiernas cum veteribus Codicibus contulerunt, ut oſtendimus Cap. VI. & poſtea etiam pluribus confirmabimus; quódque à nemine judicatur auctoritatem Novi Teſtamenti minuere, id, quia ita volunt Rabbini, contendere contumelioſum eſſe Veteri, & periculoſum, Judæi eſt, non Chriſtiani; imò, ut verum dicam, ſtulti, aut hominis

* *Vide Salom. Glaſſium Lib. I. Philologiæ Sacræ, & contrà ſentientem doctiſſ. virum Joh. Ludolfum Comment. in Hiſt. Æth. Lib. I. num.* 28.

minis nequam, qui aut judicat de eo quod neſcit, aut contrà quàm credit loquitur. Oſtendimus, niſi nos ratio fugit, manifeſtis argumentis, numeros hîc, illic, auctos, aut imminutos à Librariis fuiſſe. Loca invenientur ad vocem *Numeri*, in noſtris Indicibus, adnotata. Hoc paulò acriùs dicendum fuit, ut homines imperiti, aut mali deſinant tandem fictâ pietate ſuam imperitiam aut nequitiam tegere, & Chriſtianam Religionem Judæis atque Atheis prodere, dum eam defendere videri volunt.

10. Errata in numeris facilè admitti potuiſſe & admiſſa viderunt Veteres, ut *Irenæus* Lib. V, c. 30. ubi agens de numero nominis beſtiæ, de quo Apoc. XIII, 18. χξϛ'. obſervat quosdam ſcripſiſſe χιϛ'. *Ignoro*, inquit, *quomodo erraverunt quidam ſequentes idiotiſmum & medium fruſtrantes numerum nominis, quinquaginta numeros deducentes, pro ſex decadis unam decadem volentes eſſe. Hoc autem arbitror Scriptorum peccatum fuiſſe*, UT SOLET FIERI, *quoniam & per litteras numeri ponuntur, facilè litteram Græcam, quæ ſexaginta enunciat, in Jota Græcam litteram expanſam; poſt deinde quidam, ſine exquiſitione, hæc acceperunt.* Sic & *Galenus* περὶ ἀντιδότων, Lib. I, c. 5. ſub finem, p. 874. T. XIII. Ed. Charterianæ, ubi agit de proportione, ſeu συμμετρίᾳ τῶν μιγνυμένων ἀλλήλοις ἁπλῶν φαρμάκων, numeros litteris ſcriptos frequentiſſimè corruptos fuiſſe teſtatur, his verbis: Ἐπὶ δὲ ἔνιαι κακῶς εἰσι γεγραμμέναι, τινῶν μὲν

ἐν τῷ τοῖς αἰτήσασι διδόναι τὰς γραφὰς ἑκοντὶ ψευδομένων, ἐνίων δὲ καὶ διαστρεφόντων ἃ παρά τινων ἔλαβον ἀντίγραφα. Τὰ δὲ δὴ βιβλία τὰ κατὰ τὰς βιβλιοθήκας ἀποκείμενα, τὰ τῶν ἀριθμῶν ἔχοντα σημεῖα, ῥᾳδίως διαστρέφεται: *Quoniam verò nonnulla perperam sunt scripta, dum quidam, ubi petentibus scripturam exhibent, sponte mentiuntur: aliqui etiam pervertunt, quæ à nonnullis acceperunt exemplaria; libri, qui in Bibliothecis repositi sunt, & numerorum signa habent, facilè corrumpuntur.* Tum exempla profert hisce verbis: Τὸ μὲν πέντε ποιοῦντων ἐπίσα, καθάπερ καὶ τὸ ο, τὸ δὲ ιγ, προσθέσει μιᾶς γραμμῆς: ὥσπερ καὶ ἀφαιρέσει μιᾶς ἑτέρας: *quod est quinque* (E) *facientibus novem* (Θ) *sicut & O* (octoginta) & IΓ (tredecim) *additione unius lineæ, aut alterius unius additione*, E, nempe, scribebatur, ut ex antiquis Codicibus liquet, instar hemicycli, cui secans lineola horizontalis addebatur. Hinc fiebat ut non absimile esset τῷ Θ cujus dexter hemicyclus evanuisset, aut non satis à Librario notatus fuisset. Similiter si τῷ ΙΓ lineam demas, nimirum I, supereſt Γ, hoc est, tria, pro tredecim; aut si addas, potest fieri ΛΓ, hoc est, triginta tria. Διὰ τοῦτο ἐγὼ καθάπερ ὁ Μενεκράτης ἔγραψε βιβλίον, ἐπιγράψας ΟΛΟΓΡΑΜΜΑΤΑ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ, καθότι τὸ μὲν ζ διὰ δυοῖν γέγραπται συλλαβῶν, ὁ διὰ τοῦ ζ μόνον. Τὸ δὲ κ διὰ τριῶν, ὁ διὰ τοῦ ζ μόνον. Τὰ δὲ τριάκοντα διὰ τεττάρων, ὁ διὰ τὸ λ μόνον, καὶ τἄλλα ὁμοίως, ὅταν ποιήσω καὶ αὐτός: *Ideò ego, ut Menc-*

necrates ſcripſit librum, hoc titulo, Hologrammata Imperatoris, *quia ζ duabus ſcriptum eſt ſyllabis* (ἑπτὰ) *non ſolo ζ; ϰ tribus* (εἴϰοσι) *non ſolo ϰ; λ quatuor* (τριάϰοντα) *non ſolo λ, & alia ſimilia: ſic faciam & ipſe.* Idem factum putem, ob eamdem rationem, in ſacris Veteris Teſtamenti libris, à Maſſorethis, aliisve, ne poſthac in numeros illaberentur errores plures, quàm qui jam erant illapſi.

11. Hæc cùm ita ſint, proferam inſignem locum Danielis, in quo peccatum fuiſſe neceſſariò oportet in numeris; quod facilè fieri potuit, ſi litteris notarentur, multò difficiliùs ſi integris vocibus. Angeli verba ad Danielem, anno tertio Cyri Perſarum Regis, habita, ut liquet ex Cap. X, 1. hæc ſunt Cap. XI, 2. *Ecce adhuc tres Reges ſtabunt in Perſide & quartus amplioribus opibus ditabitur, quàm omnes, & cùm invaluerit opibus ſuis, concitabit omnes contra regnum Javanis* 3. *Exſiſtet autem Rex potens, & amplam habebit ditionem, faciétque pro arbitratu ſuo.* 4. *Cùm verò exſtiterit, conteretur regnum ejus, & dividetur in quatuor ventos cœli, non verò poſteris ejus*, &c. Regnarunt ordine, poſt Cyrum, *Cambyſes*, *Smerdis Magus*, *Darius Hyſtaſpides*, & *Xerxes*. Hic eſt quartus à Cyro, in quem primâ fronte quadrare videntur quæ habet Propheta; fuit enim potentiſſimus Perſarum Regum, qui adhuc fuerant, & omnes populos Imperii ſui contra Græcos concitavit:

vit: ut norunt omnes, qui non ſunt in hiſce rebus planè hoſpites.

12. Attamen alium deſignari neceſſe eſt, quia Angelus loquitur de duratione Imperii Perſici, déque numero Regum, qui poſt Cyrum regnaturi erant. Hoc ex ejus orationis initio adparet: *tres Reges ſtabunt ADHUC in Perſide*, & *quartus*, &c. tum etiam ex verſ. 3, & 4. ubi de Alexandro everſore Imperii Perſici. Abſurdum itaque eſſet dicere *tres adhuc* futuros Reges, & ſurrecturum *quartum*, atque in illo conſiſtere, quaſi eſſet ultimus, poſt quem novem regnarunt; ac, prætermiſſis illis, ad everſorem ejus Imperii ſubitò tranſire; clarè enim Alexander deſcribitur verſ. 3. & 4. & ſucceſſores ejus in ſequentibus. Reſpondet quidem *Hieronymus*, in hunc locum, *non curæ fuiſſe ſpiritui prophetali hiſtoriæ ordinem; ſed præclara quæque perſtringere.* At curæ eſſe debuit Angelo, durationem Imperii Perſici revelaturo, numerum integrum Regum poſt Cyrum regnaturorum edere; ne hiulcum eſſet vaticinium, & ſuſpectum apud poſteros, præſertim Ethnicos, fieret; quaſi ab homine imperito hiſtoriæ Perſicæ fictum. *Hugo* verò *Grotius* exiſtimat mentionem fieri Xerxis, ut adpareat, *non ſine cauſa probabili*, *Alexandrum poſtea iviſſe in Perſas.* Verùm hac reſponſione non magis ſatisfit iis, quæ modò dicebamus, quàm Hieronymianâ. Quartus ergo ille Perſarum Rex, qui potentiſſimus omnium deſcribitur, & dicitur concitaturus omnes contra Græcos, aut

reg-

regnum Javanis, eſt Darius *Codomannus*; qui & ditiſſimus fuit, cùm ad eum congeſtæ per multos annos Perſicorum Regum Gazæ pervenerint; &, omnibus Imperii Perſici viribus, cum Alexandro conflixit. At quomodo poteſt hîc dici quartus, cùm inter Cyrum & illum duodecim Reges fuerint, apud Perſas?

13. Hæc cùm videret *Joannes Lightfootius*, diligens quidem Rabbinicorum Scriptorum Lector, atque excerptor, ſed qui Magiſtris illis ſæpe multò acutior non eſt, eò devenit ut diceret *, „ fuiſſe tantùm quinque Perſarum „ Reges, Cyrum, nempe, & poſt illum qua- „ tuor; unde facile eſt colligere, ut putat, „ quantopere à vero calculo aberraverint „ Hiſtoriæ Ethnicæ, quæ in Perſico regno „ quatuordecim ſucceſſivè Reges enumerant, „ & ducentos ei durationis annos tribuunt. Neſciebat bonus vir adcuratam ſingulorum illorum Regnorum Chronologiam tradi, & à Græcis res geſtas eorum ita narrari, ut ſuas cum illis conjungant; quod potuiſſet ex *Seth. Caviſio* aut *Dionyſ. Petavio* diſcere, qui adcuratiſſimi Chronologorum cluent, ut alios innumeros omittam.

14. Ita verò habent verba Angeli Hebraïcè: הנה עוד שלשה מלכים עומדים לפרס והרביעי יעשיר עושר גדול מכל ובחזקתו בעשרו ועיר הכל את מלכות יון: Aliquando conjecimus poſt vocem שלשה *quatuor* excidiſſe vocem עשר *decem*, & poſt רביעי *quar-*

* *In Deſcr. Templi Jeroſolymitani. C. XL. Sect.* 1.

quartus vocem עשרי *decimus*; mendúmque ita irrepsisse, ut primùm Librarius omisisset עשרי, ob similitudinem vocis sequentis עשר *ditescet*; unde postea factum esset, ut עשר *decem* deleretur, quia *quartus* non potest sequi *decimum tertium*. Nunc verisimilius videtur numeros scriptos litteris, & priùs quidem fuisse יג hoc est, 13. posteriùs verò י hoc est, 14. Facillimè enim fieri potuit ut י litterarum minima, aut utrobique exciderit simul, aut primùm in alterutro loco; quo factum fuerit, ut & in altero deleretur.

15. Sensus est perspicuus & certissimæ Chronologiæ Græcorum consentaneus: *Adhuc tredecim Reges stabunt in Persida*; numerato, nempe, ipso Cyro, qui diu post hanc prophetiam superstes fuit, *& decimus quartus amplioribus opibus ditabitur, quàm omnes*, &c. qui est, ut diximus, *Darius Codomannus*, qui decimus quidem tertius est, si numeres à Cyro, sed decimus quartus, si à *Cambyse* patre Cyri; qui Cambyses Rex Persarum fuerat, ante Cyrum. At cùm hujus obscurum, in sola Persida, regnum, amplissimo per totam Asiam imperio Cyri filii, oblitteratum fuerit; illo omisso, Cyrum quasi primum Persarum Regem numerarunt. Attamen cùm res tempore Danielis notissima esset, non mirum est Cambysem primum Regem ab Angelo numerari. Ideò etiam *Xenophon* initio vitæ Cyri, Lib. I. Πατρὸς μὲν δὴ λέγεται Καμβύσου, Περσῶν βασιλέως: *Patre dicitur Cambyse, Persarum Rege.* En igitur nomina quatuordecim Regum Persarum: 1. Cambyses

pater Cyri; 2. Cyrus; 3. Cambyſes filius Cyri; 4. Smerdis magus; 5. Darius Hyſtaſpides; 6. Xerxes; 7. Artaxerxes Longimanus; 8. Xerxes II; 9. Sogdianus; 10. Darius nothus; 11. Artaxerxes Mnemon; 12. Artaxerxes Ochus; 13. Arſes; 14. Darius Codomannus. Sic videtur numeraſſe *Hieronymus*, qui ita confutat eos, qui Darium ab Alexandro devictum *quartum* vocari putabant: *Fruſtra igitur quidam, Darium regem quartum, qui ab Alexandro ſuperatus eſt, ſcribit; qui non quartus, ſed quartus decimus, poſt Cyrum, Perſarum Rex fuit.*

16. Attamen quamvis hæc conjectura veriſimillima videatur, nolim propterea cuiquam eam obtrudere, aut quidquam, in ipſo contextu Danielis, mutari; ne quis me velle manus violentas ſacris paginis inferre putet. At nihil vetat quominùs, in Commentariis Criticis, hæc & ejuſmodi aliæ conjecturæ Eruditorum examini proponantur. Quæſiverit fortè quiſpiam quî fiat ut conjiciamus, quod eſt nunc integris vocibus ſcriptum, id olim litteris, ſeu Arithmeticis notis, ſignatum fuiſſe? Verùm jam hoc indicavimus, cùm facilè mutari potuiſſe ſingulas litteras, difficiliùs verò integras dictiones diximus. Quod cùm animadvertiſſent Maſſorethæ, integris dictionibus expreſſerunt numeros, quos in Codicibus ſuis invenerunt. Indidem, partim ſaltem, videntur eſſe ortæ diſcrepantiæ, quæ ſunt inter Codices Judæorum, Samaritarum & Septuaginta Interpretum, in annis antiquiſſimorum Patriarcharum. Non diffi-

teor

teor posse & nonnullas alias ejus rei rationes adferri, atque à viris doctis adlatas; sed huic etiam, inter alias, locum esse verisimillimum est.

CAPUT XIII.

De Mendis ex incuria Librariorum natis.

1. CUM omnia Mendorum genera, quæ antea descripsimus, possint dici orta ex negligentia Librariorum, quamvis variæ iis peccandi occasiones fuerint; non opus erit multùm immoremur, in ostendendo Librarios etiam, sine ulla ejusmodi occasione peccandi, merâ incuriâ, peccasse. Attamen quia faciliùs intelliguntur offendere, & cespitare qui per loca aspera aut lapidosa ambulant, quàm qui per plana & æqualia iter faciunt; non erit prorsus inutile meræ incuriæ, & quæ nihil caussari possit, paucula exempla huc collegisse.

2. Est egregius locus *Ciceronis*, * in Oratore, in quo quàm necessaria sit Oratori Historiæ cognitio docet; sed ita corruptus, ut verba nonnulla intelligi nequeant. Quovis quidem pignore contendere ausim, à summo Oratore scriptum non esse quod nunc legimus; at fateor mihi non ita liquere, quî possit ei medicina fieri. Tentandum tamen est, dignus enim est locus, qui memoriter teneatur;

* *Cap. XXXIV.*

tur ; quod fieri nequit, niſi ſenſus aliquis ei inſit. Hæc ergo ſunt ejus verba: *Neſcire autem quid, antea quàm natus ſis, acciderit, id eſt ſemper eſſe puerum. Quid enim eſt ætas hominis, niſi memoria rerum veterum cum ſuperiorum ætate contexitur?* Quomodo differant *res veteres* à *ſuperioribus* non intelligo, cùm *ſuperiora* dicantur quæcumque ſunt præterita; adeóque non minùs vetera, quàm proximè, ut ita dicam, ſuperiora. Videtur omnino hoc velle *Cicero*, nihil eſſe vitam hominis, ad comparandam prudentiam, ſi ea tantùm teneamus quæ vidimus, & ab oculatis teſtibus audivimus; ſed oportere ea, quæ tempore noſtro contigerunt, cum ſuperioribus, veteribúsque contexi, ut ſeriem totius hiſtoriæ animo comprehenſam teneamus. Verùm, ut hoc diceretur, oporteret ſcribi: *Quid eſt enim ætas, niſi memoria rerum* NOSTRARUM *cum ſuperiorum ætate contexitur?* aut *recentiorum*, loco *ſuperiorum*; * ſed prius magis placet. Certè non idem dicas, ſi dixeris res *ſuperiores* cum *veteribus* contexere. Vita hominis, ſine lectione, aut cognitione eorum quæ, antequàm natus eſſet, contigerunt, eum tantùm inſtruunt cognitione rerum ſuæ ætatis, ex quibus magna prudentia comparari nequit. At ſi cum iis, quæ nobis accidere meminimus, ſive cum *memoria rerum noſtrarum*, conjungamus ſuperiora omnia, quoad licet; tum verò ex cognitione tot eventuum, cauſarúmque, quibus factum ut contigerint, prudentiores mul-

* *Vide Infra Cap. XVII. S. 21.*

multò fieri poſſumus, niſi judicio ſimus planè deſtituti.

3. Ex ſimili incuria prognatum eſt grave mendum, quod eſt in pulcherrima oratione M. Porcii Catonis, apud *Livium* Lib. XXXIV. c. 2. quâ invehitur in luxum nimium matronarum: *Majores noſtri*, inquit, *nullam, ne privatam quidem rem, agere fœminas, ſine auctore, voluerunt; in manu eſſe parentum, fratrum, virorum; nos, ſi Diis placet, jam etiam Rempublicam capeſſere eas patimur, & foro quoque & concionibus & comitiis immiſcere*, &c. *Date frænos impotenti naturæ & indomito animali*, ET *ſperate ipſas modum licentiæ facturas*, NISI *vos faciatis.* Aut legendum, NEC *ſperate*, *niſi*, &c. aut, & *ſperate* —— UBI *vos* FECERITIS; ac ſanè *Fr. Modius* teſtatur Codicem Moguntinum habere *feceritis.* Feſtinanter hunc *Livii* locum exſcribentes ultima verba ita deſcripſerunt, quaſi pro ET anteceſſiſſet NEC.

4. Non alia de cauſa, factum puto ut in Veterum Scriptis tot occurrant luxationes, ſeu transpoſitiones, quibus corrumpitur ſeries orationis. Exempli cauſâ, in Verſione LXX. Interpretum Cap. XXV. Jeremiæ verſ. 14. ad finem Capitis LI. omnia ſunt perturbata, ſi cum Hebraïcis componantur, ut liquebit inſpicientibus Polyglotta. Si diligenter conſiderentur Hebraïca, adparet facilè ea eſſe recto ordine, quemadmodum leguntur in Codicibus Hebraïcis, quibus utimur, & quemadmodum ab *Hieronymo* lecta fuerunt. At quî factum ut ita Prophetæ mem-

bra luxarentur in Græcis, rationem nullam comminiſci poſſum, præter Librariorum negligentiam; aliter enim habuiſſe Codices Interpretum Græcorum quàm noſtros, aut *Hieronymianos*, perſuadere mihi non poſſum, quamvis quid occaſionem illi incuriæ præbere potuerit neſciam. Conjicere tamen fortè quis poſſit ab Interpretibus Græcis, in ſejunctis primùm ſchedis, ſcriptas ſingulas viſiones, aut vaticinia de variis Gentibus, quæ iis Capitibus continentur; deinde alicujus incuriâ, perturbatas fuiſſe illas ſchedas, nec in ordinem ab imperitis Linguæ Hebraïcæ potuiſſe reſtitui, proindéque ſic perturbatas ad poſteros perveniſſe. Sed ſunt plures luxationes inter verſus, quibus ea conjectura aptari non poteſt; nec ſatis credibile eſt Interpretes ipſos unum librum, in varias veluti laceratum ſchedas, edidiſſe. *Hieronymus* ſibi etiam eam perturbationem diſplicuiſſe ait, in prologo in Jeremiam, ſed cauſa ejus quæ fuerit non docet: *Ordinem*, inquit, *viſionum, qui apud Græcos & Latinos omnino confuſus eſt, ad priſtinam fidem correximus.* In procœmio verò Commentariorum, in eumdem Prophetam: *Libellum autem Baruch, qui vulgò Editioni LXX. copulatur, nec habetur apud Hebræos, & ψευδόγραφον Epiſtolam Jeremiæ nequaquam cenſui diſſerendam, ſed magis Jeremiæ ordinem LIBRARIORUM errore confuſum, multáque quæ deſunt ex Hebræis fontibus digerere, ordinare, diducere ac complere; ut novum ex vetere, verùmque, pro cor-*

corrupto atque falsato, Prophetam teneas. Alia exempla, ex eadem Versione, proferri possent; sed hoc adeò insigne est, ut aliis opus non sit.

5. At, qui Lutetiæ nuper *Hieronymum* edidere, in ipso *Hieronymo* luxationem memorabilem animadverterunt. Ita ille præfationem de omnibus Libris Veteris Testamenti orditur: *Viginti & duas litteras esse, apud Hebræos, Syrorum quoque & Chaldæorum Lingua testatur, quæ Hebrææ magna ex parte confinis est; nam & ipsi viginti duo elementa habent eodem sono, sed diversis characteribus. Samaritani etiam Pentateuchum Mosi totidem litteris scriptitant, figuris tantùm & apicibus discrepantes. Certumque est Esdram Scribam, Legisque doctorem, post captam Jerosolymam & instaurationem Templi, sub Zorobabel, alias litteras reperisse, quibus nunc utimur; quum ad illud usque tempus iidem Samaritanorum, & Hebræorum characteres fuerint. In libro quoque Numerorum, hæc eadem sapputatio, sub Levitarum ac Sacerdotum censa, mystice ostenditur. Et nomen Domini tetragrammaton, in quibusdam Græcis voluminibus, usque hodie antiquis expressum litteris invenimus. Sed & Psalmi XXXVI, & CX, & CXI, & CXVIII, & CXLIV, quamquam diverso scribantur metro, tamen ejusdem numeri texuntur Alphabetho.* Verba: *& nomen Domini tetragrammaton*, &c. necessariò subjungenda iis quæ dicit *Hieronymus*, de veteribus Hebræorum characteribus; tum verò antecedentia: *in libro quoque*, &c. subjicienda sunt, hoc ordine:

ne : *quum ad illud usque tempus iidem Samaritanorum & Hebræorum characteres fuerint. Et nomen Domini tetragrammaton, in quibusdam Græcis voluminibus, usque hodie, antiquis expressum litteris invenimus. In libro quoque Numerorum*, &c. Attamen triginta quatuor Codd. MSS. à *Monachis Benedictinis* inspecti, verba *Hieronymi* eodem ordine legenda exhibent, ac vulgatæ editiones. Sed res ipsa ita esse legendum, uti conjecerunt, invitis omnibus Manuscriptis Codicibus ostendit.

6. Cùm apud me hujusmodi luxationis rationem quærerem, si quæ fortè posset inveniri; hoc in animum incidit, Librarium, ex cujus vitioso Codice descripti sunt omnes quos habemus, aut ii ex quibus dictati sunt, duos *versus*, seu lineas, ut loquimur, omisisse : *& nomen Domini*, &c. ad *invenimus* : subjecissèque superioribus, *In libro quoque*, &c. Deinde cùm animadverteret à se eos omissos, jam scriptis duobus sequentibus, eos his subjunxisse ; potiusquàm deleret superiora, ne liturâ ejusmodi pretium exemplaris sui minueret. Vel, si ea conjectura non placet, *Hieronymus* ipse cùm margini adscripsisset quæ de nomine Dei habet, subjungenda iis quæ dixerat de litteris Samariticis, ea periodus est sequenti à Librariis perperam subjecta. Ejusmodi notarum margini additarum, deinde in contextum Hieronymianæ orationis illatarum, suppeditabunt ejus editores in Prolegom. Cap. III. §. 6 Quibus fit ut in posteriore conjectura adquiescam, quamvis illi Mo-

na-

nachi de ratione luxationis memoratæ nihil addiderint.

7. *Josephus Scaliger*, in Prolegomenis Notarum ſuarum in *Manilium*, ait in tertio Libro „ ſe quinquaginta quatuor verſus, loco „ ſuo motos, materiâ ipſâ & tenore ſententiæ ita poſtulantibus, ſuis ſedibus reddidiſſe; quæ ſanè, inquit, eſt luculenta emendatio, quâ lux reddita nobiliſſimæ diſputationi, quæ in illa verſuum & ſententiarum permiſtione à nemine intelligebatur. Eam verò trajectionem integrarum diſputationum, ex ſectione contigiſſe animadvertimus; quâ homines imperiti carmen *Manilii* in Capita ſecuerunt, cùm auctor perpetuum Epos texuiſſet. Gemblacenſis ſanè Codex longè plura præfert Capita, quàm vulgatæ editiones. Atque adeò perturbatio verſuum magna ex parte nihil aliud eſt, quàm illorum Capitum ſeu ſectionum inter ſe commutatio. Cùm autem omnia Maniliana exemplaria ſcripta non magnam vetuſtatem præferant, & ex uno vetuſtiore Archetypo propagata ſint; ſi quis quærat ab Archetypone illæ ſectiones ſint, aut recentioris temeritatis; nihil aliud ad hoc reſpondemus, quàm ſi vetuſtiſſimæ ſint, hoc mirum non videri, cùm in multis vetuſtis Scriptoribus ejuſmodi luxationes deprehendantur. Hæc ille, quæ an ſatis firma ſint qui volent ſcire locum *Manilii*, & ejus notas expendant. Satis nobis eſt viri ſummi teſtimonium de luxationibus adtuliſſe. Sequentia tamen ejus verba huc etiam trans-

ferre non piguit, nec ea legiſſe quemquam pœnitebit.

8. „ Aliquot, inquit, luxationes proferre „ poſſemus; unâ contenti erimus, quæ eſt „ X. Æneïdos, ubi Mezentius comparatur „ apro venatorum telis, & latratibus canum „ laceſſito. Verſus hi ſunt loco moti:

„ *Ille autem impavidus partes cunctatur in*
„ *omnes,*
„ *Dentibus infrendens, & tergo decutit haſtas.*

„ Reponendi enim poſt illum,

„ *Sed jaculis, tutísque procul clamoribus in-*
„ *ſtant.*

„ Illa Virgiliana luxatio adeò vetuſta eſt, ut „ à vetere Interprete agnoſcatur. Dicemus „ igitur *Virgilium* ita ſcripſiſſe, quia omnes „ vetuſtiſſimi Codices ita habent, & omni- „ bus Codicibus hodiernis antiquior *Servius* „ ita legebat? Non ſanè, ſi quid ſapimus.

9. Locus *Virgilii*, * ne quæſtioni ſit, hic eſt:

Ac velut ille canum morſu de montibus altis,
Actus aper ——
—— *poſtquam inter retia ventum eſt,*
Subſtitit, infremuítque ferox, & inhorruit
armos;
Nec cuiquam iraſci, propiúsve accedere vir-
tus,

Sed

* *Lib. X. verſ. 707. & ſeqq.*

Sed jaculis, tutisque procul clamoribus instant:
Haud aliter justæ quibus est Mezentius iræ,
Non ulli est animus stricto concurrere ferro,
Missilibus longè & vasto clamore lacessunt.
Ille autem impavidus partes cunctatur in omnes;
Dentibus infrendens, & tergo decutit hastas.

Manifestum est duos postremos versus, ad aprum, non ad Mezentium pertinere, ac proinde debere proximè sequi eum, quem dixit *Scaliger*; qui si semper æquè feliciter conjecisset, numquam *præcipitis Critici* notâ inustus fuisset, aut certè jure inuri potuisset.

10. Eodem in loco: „ ejusmodi, inquit, „ multas trajectiones in *Tibullo* & *Propertio* „ notavimus. Sed & de Tibullianis jam an„ tea *Lilius* monuerat. Potuisset addere, ut postea comperi, de Virgiliana trajectione monuisse *Henr. Stephanum* in Dissertatione de Criticis Veteribus, pag. 79. quam edidit Lutetiæ anno MDLXXXVII. aitque se ea de re in Editione sua *Virgilii* dixisse. Trajectionibus etiam laborare credidit *Dan. Heinsius* Artem Poëticam *Horatii*, ad quam adeundus est, neque enim mihi persuasit. Dum *Scaligerum* sequitur, passibus non semper æquis, multa mihi quidem frustra moliri videtur, quamvis ceteroquin ejus meritis nihil detractum velim.

11. Sed

11. Sed tempus eſt imponendi finem iis, quæ dicenda habebamus de Mendis, quæ Librariis tribui poſſunt; nec quidquam addemus, ſi modò quæſtioni, quæ hanc in rem proponi poteſt, ſatisfecerimus. Antea diximus Criticos aut Grammaticos ſolitos eſſe recenſere exemplaria, eáque emendare, poſtquam à Librariis perſcripta fuerant; quod cùm ita ſit, videntur veteres codices emendatiores eſſe debuiſſe, & quæri poſſit cur aliter ſe res habeat? Verùm quæ de recenſione diximus, ea ad pauca exemplaria pertinent; Librarii enim ſumtui parcentes, & quàm primùm venales libros exponere ſtudentes, non curabant eos emendari, quod Cap. II. aliquot Veterum teſtimoniis probavimus. Præterea, in hoc ipſo Capite, aliam rationem ſubinnuimus, quam hîc eximii Critici * *M. Anton. Mureti* verbis exprimemus: *ſolebant*, inquit, *homines imperiti, qui avorum aut proavorum noſtrorum temporibus, victum ſibi deſcribendis libris quæritabant, quæ perperam ſcripſerant non delere; ne libros ſuos multis lituris deformatos minùs vendibiles redderent, iterúmque totas paginas deſcribere cogerentur; ſed iis, ut erant, omiſſis, cetera perſequi. Atque ea res innumerabilem errorum copiam, in omne Scriptorum genus, invexit.* Diligens illa recenſio exemplarium potiùs fiebat in uſum hominum divitum & ſtudioſorum, quàm Librariorum cauſâ. *Franciſcus Juretus*, ad calcem teſtimoniorum de *Symmacho*, præfixorum ejus Epiſtolis, obſervavit in vetuſtiſſimis manu ſcriptis Codicibus *T. Livii*,

* *Var. Lect. Lib. XV. c. 9.*

Livii, fini Lib. X. hæc addita. NICOMACHUS DEXTER V. C. EMENDAVI AD EXEMPLUM PARENTIS MEI CLEMENTIANI. VICTORIANUS V. C. EMENDABAM DOMNIS SYMMACHIS.

12. Plurium ejusmodi Librariorum, aut, ſi mavis Criticorum, qui Exemplaria emendarant, nomina ex antiquis Codicibus collegit vir doctus *Frid. Lindenbrogius* ad calcem Obſervationum in Andriam *Terentii*; ubi legimus, *Calliopius recenſuit*, qui fuit etiam ejusmodi Criticus. Sed & nos in Indice hujus operis exemplum inſigne è *Virgilio* Medicæo addidimus; cui mantiſſæ loco unum adcumulabimus. *Ariſtides* in Oratione funebri *Alexandri* Grammatici Cotyæenſis, ait ſolitum eum patriæ nomen ſuo ſemper addere, *ἐπὶ καὶ τοῖς βιβλίοις, ἃ διωρθώτο, τοῦτο ἐγκατα-λέλειπται σύμβολον· ἐπὶ γὰρ τῷ Ἀλιξάνδρῳ παράγραμμα ἦν ἡ πατρὶς· cùm & in iis quos corrigebat, libris, hoc ſymbolum fuerit relictum; nam ad Alexandrum accedebat adſcriptum patriæ additamentum.* Etiam *Pet. Conſtantius Benedictinus* in Vindiciis MSS. Codd. contra *Barthol. Germonium*, Cap. II. teſtatur eſſe Codices antiquæ verſionis Concilii Calchedonenſis, collatos à *Ruſtico* Eccl. Romanæ, medio ſexto ſæculo, Diacono, in quibus legitur: *Ruſticus ex Latinis & Græcis exemplaribus maximè acoemit. monaſt. emendavi.* Sed multò plura ejus rei exempla è Codicibus Græcis collegit ſodalis ejus *Bernardus de Montfaucon*

Pa-

Palæologiæ Græcæ Lib. I. c. 6.; quam, ſi ita videatur, adibunt Lectores, quorum rem penitiùs noſſe Intererit.

13. Quin etiam homines imperiti; hoc eſt; plerique à quibus libri emebantur, non ſolebant tam quærere an emendatos emerent, quàm an pulcrè atque eleganter deſcriptos. Sæpe autem factum ut minimè omnium eruditi καλλιγραφίᾳ excellerent, adeóque ut maximam mendorum copiam in exemplaria ſua admitterent; quæ, ob cauſam adlatam, emendari nolebant. Dudum hac de re queſtus eſt *Hieronymus*, cujus hæc ſunt verba, ex Præfatione in novam Tranſlationem Jobi ex Hebraïca veritate: *Habeant*, inquit, *qui volunt veteres libros, vel in membranis purpureis, auro, argentóque deſcriptos, vel uncialibus, ut vulgò aiunt, litteris onera magis exarata, quàm codices; dummodo mihi meisque permittant pauperes habere ſcedulas & non tam PULCROS codices, quàm EMENDATOS.* Monent *Monachi Benedictini* duos aut tres MSS. Codd. habere *initiales*, & quidem *eodem*, ut aiunt; *ſenſu*; qua in re graviter falluntur; nam *unciales litteræ* ſunt majuſculæ quævis, non *initiales*; qualibus, ut dixi antea, integra volumina ſcribebantur, & quales hîc intelligit *Hieronymus*; ut liquet ex eo quod iis deſcriptos Codices vocet *onera*, quia non poterant illis litteris, in exiguis membranis, integra Biblia ſcribi. Fortè Monachi, qui *initiales* pro *uncialibus* ſcripſerunt, crediderunt *Hieronymum* ſpectare conſuetudinem *initialium* litterarum majore formâ, & elegantiùs ſcribendarum quam

cete-

ceterarum, imò auro, & pigmentis ornandarum; quæ consuetudo ab aliquot sæculis usitata est. At *Hieronymus* de integris libris loquitur, nec umquam omnes majusculæ litteræ dictæ sunt *initiales* ab *Hieronymo*, aut à quoquam non prorsus barbaro. Sed ad *Hieronymum* ut redeamus, ita etiam loquitur in Præfatione ad Jobum, è Græco versum & emendatum: *Tanta est vetustatis consuetudo, ut etiam confessa plerisque vitia placeant; dum magis PULCROS habere malunt Codices, quam EMENDATOS.*

14. Ideò, quòd parum diligenter Librarii hac in re versarentur, idem *Hieronymus*, in Præfatione in Hezram; *si qui*, inquit, *fratrum sunt, quibus nostra non displicent, his tribuatis exemplar, admonentes, ut Hebræa nomina, quorum grandis in hoc volumine copia est, distinctè & per intervalla transcribant. NIHIL enim proderit emendasse librum, nisi emendatio, Librariorum diligentiâ, conservetur.* Quod sæpe homines lucri cupidi, & pessimæ interdum fidei, in maximum legentium detrimentum, negligebant.

15. Sed & graviores multò obtestationes libris adjiciebantur, quibus rogabantur Librarii, ut maximâ fide & curâ eos describerent. Ejusmodi erat quam Libro suo, de Ogdoade, addiderat *Irenæus*, ut docet *Eusebius* Hist. Ec. Lib. V. c. 20. Ὁρκίζω σε τὸν μεταγράψαντα τὸ βιβλίον τοῦτο, κατὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ κατὰ τὴν ἐνδόξου παρουσίας αὐτοῦ ἧς ἔρχεται κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς, ἵνα ἀντιβάλῃς ὃ μετεγράψω ἐπι-

ἐπιμελῶς, καὶ τὸν ὅρκον τοῦτον ὁμοίως μεταγράψῃς. καὶ θήσεις ἐν τῷ ἀντιγράφῳ. *Adjuro te, qui transſcripſeris hunc librum, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & per glorioſum ejus adventum, in quo judicaturus eſt vivos & mortuos; ut conferas quod tranſcripſeris, & diligenter emendes ad exemplar ex quo tranſcripſiſti, itque adjurationem iſtam ſimiliter exſcribas, & codici tuo inſeras.* Quam formulam *Euſebius* in Chronicon ſuum tranſtulit, vertítque *Hieronymus*. Similem etiam præfixit *Ruſinus Origenis* libris a ſe verſis; qualis adhibita quoque eſt à *Valente* Antiocheno. Sunt * & qui velint verſſ 18 & 19. Cap. ultimi Apocalypſeos id genus adjurationem eſſe; ſed Joannes illic non ſcribentem, verùm audientem adloquitur: *Conteſtor ego omni audienti*, &c. Poſſet tamen de *audiente* Librario hoc quoque intelligi, qui vetetur ne quidquam ſcribat, præter id quod ſibi dictari audit; at præſtitiſſet monere dictantem, à quo maxima fraus potuit oriri.

16. Crediderim tamen eam obteſtationem non tam ad Librarios pertinere, quàm ad Impoſtores, de quibus poſtea agemus. Eodem etiam ſpectat, ut videtur, ſimilis adjuratio; cujus meminit *Ariſteas*, in Hiſt. verſionis LXX. Interpretum, ad quos Demetrium hanc orationem habuiſſe ait: Ἐπὶ καλῶς καὶ ὁσίως διερμηνεύσαν, καὶ κατὰ πᾶν ἠκριβωμένως, καλῶς ἔχον ἐστὶν ἵνα διαμείνῃ ταῦτα ὕτως ἔχοντα, καὶ μὴ γένηται μεταβολὴ διασκευῆ. πάντων

* *Vide Grotium & Hammondum ad hunc locum.*

τῶν ὃ ἐπιφωνησάντων τοῖς εἰρημένοις, ἐκέλευσε διαρά-σασθαι καθὼς αὐτοῖς ἔθος ἐστιν. εἴτις διασκευάσει πρό-σθεις, ἢ μεταφέρων τι τὸ σύνολον ἢ γεγραμμένων, ἢ ποιούμενος ἀφαίρεσιν. καλῶς τοῦτο πράσσοντες, ἵνα διὰ παντὸς ἄσινα καὶ μένοντα διαφυλάσσηται: *quoniam bene & sanctè versa sunt, atque accuratè per omnia; par est ut hæc permaneant ita ut se habent, néve ulla fiat mutatio. Omnibus ad hæc adclamantibus*, inquit, *jussit ab iis diris devoveri, quicumque mutasset additione, aut trajectione ullâ, vel detractione; rectè ita facturis, ut perpetuò æterna & stabilia serventur.* Sed quamvis hæc ad falsarios, aut interpolatores potissimùm spectent; nihil vetat quin ad negligentiores Librarios etiam referantur.

CAPUT XIV.

De Mendis ex Criticorum temeritate, aut imperitia ortis.

1. SI primi subsellii Criticorum libri referti sunt querelis, de negligentia aut imperitia antiquorum & recentiorum Librariorum, quemadmodum satis ostendimus; non minùs in sui ordinis viros invehuntur, queruntur enim doctissimi quique subinde, audaciâ atque inscitiâ Criticorum, multis locis antea sanis illata esse gravissima vulnera. Sed & iidem Critici sæpe abjudicarunt loca veteribus

Scriptoribus, quæ illorum reverâ erant, quia perperam ea Scriptoribus illis indigna judicabant; quod neſciremus, niſi ab aliis ea Criticorum facinora caſtigata fuiſſent. Quorum omnium nonnulla exempla, ſed vetera potiſſimùm, proferemus, quæ ſine invidia in medium adduci poſſunt; conſulendum eſt enim auribus imperitorum, quas, ut ille ait, *mordaci radere vero* non eſt cujuſvis.

2. *Plutarchus*, in Libro de audiendis Poëtis, hos verſus * *Homeri* profert, ubi Phœnix, ut iram Achillis leniat, narrat à ſe nimiâ irâ commoto patrem ſuum propemodum eſſe interfectum.

Τὸν μὲν ἐγὼ βέλεσσι καταπτάμενον ὀξέϊ χαλκῷ.
Ἀλλά τις ἀθανάτων παῦσεν χόλον, ὅς ῥ' ἐνὶ θυμῷ
Δῆμεν θῆκε φάτιν, καὶ ἐπίδρια πόλλ' ἀνθρώπων,
Ὡς μὴ πατροφόνος μετ' Ἀχαιοῖσιν καλέοιμην.

Eripere huic vitam ferro fulgente parabam;
Iram neſcio quis fregit Deus, & mihi vulgi
Objecit voces animo & convicia famæ,
Ne patris occiſor Grajûm ſermone notarer.

Tum ſubjicit: ὁ μὲν οὖν Ἀρίσταρχος ἐξελὰς πάντα

* *Legi debuiſſe videntur, poſt verſ. 459. aut 457. ut videbatur Joſ. Barneſio. Iliad. I.*

τα τὰ ἔπη Φοίνικος : *Ariſtarchus cùm perhorruiſſet hos verſus, eos ſuſtulit.* At malè, judice *Plutarcho*, cujus hæc ſequuntur verba : ἔχει δ' πρὸς τὸν καιρὸν ὀρθῶς, τὸν Φοίνικα τὸν Ἀχιλλέα διδάσκοντα οἷόν ἐστιν ὀργὴ, καὶ ὅσα διὰ θυμὸν ἄνθρωποι τολμῶσι, μὴ χρώμενοι λογισμῷ, μηδὲ πειθόμενοι τοῖς παρηγοροῦσι. καὶ γὰρ τὸν Μελέαγρον ἐπισάγει τοῖς πολίταις ὀργιζόμενον, εἶτα πραϋνόμενον. ὀρθῶς τὰ πάθη ψέγων, τὸ δὲ μὴ συνακολουθεῖν ἀλλ' ἀντιτάττεσθαι, καὶ κρατεῖν, καὶ μεταποιεῖν ἐπαινῶν, ὡς καλὸν καὶ συμφέρον : *atqui rectè habent pro tempore, Phœnice Achillem docente qualis ſit ira, & quæ homines per iram audeant, dum non utuntur ratione, neque parent monentibus. Etenim Meleagrum inducit civibus indignantem, deinde placatum ; rectè vituperans adfectus, iisque non obſequi, ſed reſiſtere, & dominari, & reſipiſcere laudans, quaſi honeſtum & utile.* Integrum locum deſcripſi, ut liqueret ab *Ariſtarcho* perperam eſſe reſectos hoſce verſus ; qui tamen à Codicibus noſtris, neglectâ *Plutarchi* admonitione, etiamnum abſunt *. Verùm quamvis *Homerus* non ſatis providè loquentem induxiſſet Phœnicem, non erat Critici id juris in ejus verſus ſibi adſumere, ut obelo jugularet, quos non utiles juventuti putabat. Eadem operâ debuiſſet delere alios innumeros, in quibus turpia multa de Diis habet, *Platoni* meritò improbatos. Critici munus in eo tantùm eſt ſitum, curare ut emendatè legantur quæ Veteres ſcripſe-

 runt

* *Inſerti deinde ſunt* Wetſtenianæ *Editioni in* 12. 1706. & Barneſianæ *in* 4. 1711.

runt qualiacumque ſint eáque, ſi ita videatur; caſtigare; non, ut utilia tantùm dixiſſe videantur, efficere.

3. *Ariſtarchum* tamen fortè defendere quiſpiam adgrediatur, eò quòd hoſce verſus *Homeri* non eſſe crediderit; quia Phœnicem prudentem ſenem numquam ita induxiſſet loquentem, quaſi à parricidio revocatus eſſet, ſolis rumoribus, quos de ſe futuros eſſe noverat, ſi paterno ſanguine manus cruentaret; non metu Numinis, aut impietate facinoris. Verùm ſi omnia ſint reſecanda, quæ ad rectam Rationem exacta ab ejus norma aberrare deprehendentur, longè plura erunt; nec Poëtæ tanta aut diligentia, aut ſapientia ſine ratione tribuenda. Propter ejuſmodi emendationes, Arato quærenti πῶς τὴν Ὁμήρου ποίησιν ἀσφαλῶς κτήσαιτο; *quomodo Poëmata Homeri tutò nanciſci poſſet*? reſpondiſſe fertur Timon Phliaſius, εἰ τοῖς ἀρχαίοις ἀντιγράφοις ἐντυγχάνοι, καὶ μὴ τοῖς ἤδη διωρθωμένοις, *ſi in antiqua exemplaria incideret, non verò in jam correcta.* Diogenes Laërtius, Lib. IX. §. 113. ad quem locum vide *Ægid. Menagium.*

4. Sic & *Galenus Artemidorum Capitonem* & *Dioſcoridem* corruptorum *Hippocratis* librorum inſimulat, Comment. in Lib. de Natura Hominis text. 1. p. 97. T. III. Edit. Charterianæ, his verbis: Ἀρτεμίδωρος, ὁ ἐπικληθεὶς Καπίτων, ἔκδοσιν ἐποιήσατο τῶν Ἱπποκράτους βιβλίων εὐδοκιμήσασαν, οὐ μόνον παρὰ Ἀδριανῷ τῷ Αὐτοκράτορι, ἀλλὰ καὶ νῦν ἐκείνως ὑπὸ πολλῶν σπου-

σπουδαζομένων, ὥσπερ καὶ ὁ συγγενὴς αὐτῷ Διοσκορίδης· πολλὰ μὲν οὖν ἀμφότεροι μετέγραψαν, ὑπαλλάττοντες τὰς παλαιὰς γραφὰς, ἃς μόνας ἴσασιν οἱ ἐξηγησάμενοι τὰ Ἱπποκράτους βιβλία: *Artemidorus, cognomine Capiton, editionem librorum Hippocratis curavit, probatam non tantùm Hadriano Imperatori, sed & nunc à multis studiosè quæsitam, quemadmodum & cognati ejus Dioscoridis. Multa ergo uterque aliter scripserunt, mutantes antiquas lectiones, quas solas norunt qui Hippocratis libros interpretati sunt.* Tum exemplum insigne ejus rei adfert, quod apud ipsum legetur. Sic & Comment. III. in Lib. I. Prædictionum *Hippocratis*, ad text. 118. p. 782. Tom. VIII. *Ed. Charter.* postquàm ostendit ὑποψάθυρα dici *subarenosa*, sic loquitur: Διοσκορίδης ὁ ὥσπερ ἄλλα πολλὰ προχείρως ἐν τοῖς ἀσαφέσι βιβλίοις ὑπήλλαξεν, ὅταν καὶ τὸ ὑποψάθυρα μεταγράψας ἐποίησεν ὑποψίφαρα, καί φησιν αὐτὸς ὅταν ὀνομάζεσθαι τὰ ὑπομιλαπίζοντα, τὸ γὰρ σκότῳ ψίφας εἶρῆσθαι καὶ παρὰ Πινδάρῳ: *Dioscorides ut alia multa facilè in obscuris libris mutavit, sic & mutato ὑποψάθυρα, fecit ὑποψιφαρὰ, & ipse dicit sic nominari subnigra, nam tenebras ψίφας dici apud Pindarum.* Vocat *Galenus Dioscoridis* factum μανίαν, ἢ εἰκαίαν, ἢ προπέτειαν, & rectè addit: ὃ, τι γὰρ ἄν τις ἐν τοῖς τοιούτοις, ὡς βεβαίως ἐγνωκὼς, ἀποφαίνηται, προπετές ἐστιν. *Nam quod quispiam in talibus, quasi certò norit, adfirmarit, id temerarium est & præceps.* Quod Criticis nonnullis superciliosis nostræ ætatis vix satis occini possit.

5. *A. Gellius*, in Noctibus Atticis, plura nobis ſervavit exempla Criticorum, perperam quæ non intelligebant emendantium. *Cùm ſcripſiſſet *Cicero*, in Oratione V. in Verrem: † *hanc ſibi rem ſperant præſidio futurum*, erant, ut teſtatur *Gellius*, Critici, qui in extremo verbo mendum eſſe putabant, debuiſſe enim ſcribi *futuram*, non *futurum*; neque dubitabant quin liber emendandus eſſet, ne, ut in *Plauti* Comœdia mœchus, ita in *Ciceronis* oratione ſolœciſmus eſſet manifeſtarius. At quantùm illi errarent oſtendit *Gellius*, ex libro Tironis curâ deſcripto, qui etiamnum exſtabat & ſermone viri docti, cujus nomen reticet. Idem ille vir in oratione, quæ eſt de imperio Cn. Pompeii, ita ſcriptum eſſe à *Cicerone* dicebat, atque ita ipſe lectitabat: ‡ *quum veſtros portus, atque eos portus, quibus vitam ac ſpiritum ducitis, in prædonum fuiſſe poteſtatem ſciatis*; negabátque ſolœciſmum eſſe *in poteſtatem fuiſſe*, ut vulgus ſemidoctum putat.

6. Quia *amaror*, pro eo quod Græci dicunt πικρότης, temporibus, quibus Lingua Latina corrumpi cœperat, minùs uſitata vox erat, verſus è Georgicis § *Virgilii* plerique omnes ſic legebant:

At ſapor indicium faciet manifeſtus, & ora
Triſtia tentantum ſenſu torquebit amaro.

Hy-

* *Noct. Attic. Lib. I. c. 7.* † *Cap. LXV.*
‡ *Pro L. Manilia C. XII.* § *Georg. Lib. II. verſ. 246.*

Hyginus * tamen, non ignobilis Grammaticus, in Commentariis, quæ in *Virgilium* fecerat, confirmabat non hoc à *Virgilio* relictum, ſed ſe inveniſſe in libro, qui fuiſſet ex domo, atque familia *Virgilii*, *amaror*. Quod probat etiam *Gellius*, qui ſi periiſſet, aut hoc non obſervaſſet, error quem memorat etiamnum hodie Codicibus noſtris inſideret.

7. Sunt duo alia *Virgilii* loca, quorum idem † *Gellius* fruſtra antiquiſſimas lectiones ſcriptis mandavit, aliæ enim hodie in Exemplaribus noſtris cernuntur. Poſtquàm obſervavit nomina *facies* & *dies*, habuiſſe olim in genitivo *facies* & *facii*, *dies* & *dii*, ait ſe facilè iis credere, qui ſcripſerunt idiographum librum *Virgilii* ſeſe inſpexiſſe, in quo ita ſcriptum eſſet:

‡ *Libra dies, ſomnique pares ubi fecerit horas;*

id eſt, *horas diei, ſomnique*. Addit, ſicut hoc in loco *dies* à *Virgilio* ſcriptum videtur: ita in illo verſu nihil dubium eſſe, quin *dii* ſcripſerit pro *diei*:

§ *Munera, lætitiámque dii* ——

Quod imperitiores, *Dei*, legêre, ab inſolen-

* *Noct. Att. Lib. I. c. 21.* † *Lib. IX. c. 14.*
‡ *Georg. Lib. I. verſ. 208.*
§ *Æneid. verſ. 640.*

lentia, ſcilicet, vocis iſtius abhorrentes Scio quid viri docti, contra *Gellium*, de hoc loco, ſcripſerint; at nec quod objecerunt viro doctiſſimo latuit, nec ſunt ejus ponderis ut teſtimonium ejus elevent. *Lætitia dii*, aut *diei* ſunt cibi, quibus læta illo die Trojani agitarent convivia; quod poſſet pluribus probari. Priore verò loco, nihil eſt quod dubiam facere poſſit lectionem *dies*. Alia ab imperitis Criticis vitiatorum Codd. exempla idem ſuppeditabit Lib. I. c. 16. Lib. II. c. 14. Lib. XVIII. c. 5. & alibi.

8. Dixerit fortè quiſpiam illa non eſſe tanti, cùm aut nullo modo, aut perperam mutent ſententiam Poëtæ; verùm hæc oſtendunt, ab antiquiſſimis temporibus, à Criticis ſæpe mutata eſſe quæ non intelligebant, quod unum hoc in loco ſpectamus. Præterea non eſt cur credamus, dumtaxat in rebus exigui momenti, à Criticis ea quæ non adſequebantur eſſe perperam emendata, per omnia librorum genera, eodem modo graſſati ſunt. Audiamus *Hieronymum*, de iis qui Novum Teſtamentum ante ipſum tractarant. Sic loquitur de Librariis, quì Criticorum munere, non exſcriptorum, defuncti ſæpe ſunt, ad Cap. II. Matthæi Tom. IV. P. I. col. 9. Ed. Ben. In Bethlehem Judææ. *Librariorum hic error eſt, putamus enim ab Evangeliſta primùm editum, ſicut in ipſo Hebraico legimus*, Judæ, *non* Judææ. *Quæ eſt enim aliarum gentium Bethlehem, ut ad diſtinctionem ejus* Judææ *hîc poneretur*? Judæ *autem idcirco ſcribitur*,

bitur, quia eſt & alia Bethlehem in Galilæa. Lege librum Jeſu filii Nave. Denique & in ipſo teſtimonio, quod de Michææ prophetia ſumtum eſt, ita habetur. Sunt etiamnum Codices MSS. in quibus legere eſt Ἰωδαίας.

9. Ejuſdem *Hieronymi* hæc verba ſunt, ad Matthæi Cap. III. ibid. col. 10. *Porphyrius iſtum locum Marci Evangeliſtæ principio comparat, in quo ſcriptum eſt:* Initium Evangelii Jeſu Chriſti, filii Dei, ſicut ſcriptum eſt, in Iſaia Propheta: ecce mitto Angelum meum, ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam. Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus. *Cùm enim teſtimonium de Malachia, Iſaiáque contextum ſit, quærit quomodo velut ab uno Iſaia, exemplum putemus adſumtum. Cui Eccleſiaſtici viri pleniſſimè reſponderunt. Nos autem nomen* Iſaiæ *putamus additum* SCRIPTORUM (Criticos agentium) *vitio, quod & in aliis locis probare poſſumus.* At in pleriſque hodiernis Codicibus, legimus apud Marcum, ἐν τοῖς προφήταις, qua de re adeundi Interpretes.

10. Neſcio, an *Hieronymus* reſpexerit ad Matth. XIII, 35. ubi ita habet, col. 58: ut impleretur quod dictum eſt per Prophetam, aperiam, &c. *Hoc teſtimonium de LXXVII. Pſalmo ſumtum eſt. Legi in nonnullis Codicibus, & ſtudioſus Lector fortè reperiet id ipſum, in eo loco, ubi nos poſuimus, & Vulgata habet Editio:* ut impleretur quod dictum eſt per Prophetam, dicentem; *ibi ſcriptum:* per

Isaïam Prophetam dicentem. *Quod quia minimè inveniebatur in Isaïa, arbitror postea à PRUDENTIBUS viris esse sublatum.* Imò verò imprudentibus, & audacioribus Criticis, quos monere oportuisset ita legendum sibi videri, non ex ipso Evangelistæ contextu vocem, quam in suis Codicibus invenerant, eliminare. Ita legit etiam Scriptor Clementinarum Homiliarum, homo Ebionita, qui Evangelio secundùm Hebræos utebatur; verba enim Psalmi tribuit Isaïæ, Homil. XVIII. §. 15. At hodie ne unum quidem exemplar nomen Isaiæ habet, certè nullum in variis lectionibus profertur. Pergit verò *Hieronymus: sed mihi in principio videtur sic editum:* quod scriptum est per Asaph Prophetam, dicentem. *Septuagesimus enim septimus Psalmus, de quo hoc sumtum est testimonium,* Asaph *Prophetæ titulo inscribitur.*

11. Hac de re copiosiùs agit in Comment. in Psal. LXXVII. Tom. II. Append. col. 316. quamvis enim in eo opere multa possint esse, ut judicavit *Erasmus*, ab *Hieronymo* aliena, non dubito quin hæc à manu *Hieronymi* sint profecta. *Dicitur in Matthæo:* hæc facta sunt, ut impleretur quod scriptum est in Asaph Propheta. *Sic invenitur in omnibus veteribus codicibus; sed homines ignorantes tulerunt illud. Denique multa Evangelia usque hodie ita habent:* ut impleretur quod scriptum est per Isaïam Prophetam, &c. Hoc *Isaias non loquitur, sed Asaph. Denique & impius ille Porphyrius proponit adversùm nos hoc ipsum & dicit:*

cit : Evangeliſta veſter Matthæus tam imperitus fuit ut diceret : *quod ſcriptum eſt per Iſaïam Prophetam* , aperiam, &c. *Ergo ſimpliciter dicamus* , *quomodo illud in Evangelio ſcriptum eſt. Sic ſcriptum eſt* , *in Matthæo & Joanne* , *quòd Dominus noſter* horâ ſextâ *crucifixus ſit.* Hoc *videtur eſſe diverſum* , *ſed non eſt diverſum. Error* SCRIPTORUM (imò Criticorum) *fuit* ; *ſed multi epiſemum Græcum* ς *putarunt eſſe* τ : *ſicut & ibi error fuit Scriptorum* , *ut* , *pro* Aſaph, Iſaïam *ſcriberent. Scimus enim quia prima Eccleſia de imperitis congregata fuit Gentibus. Ergo cùm legerent in Evangelio* : ut impleretur quod ſcriptum eſt in Aſaph Propheta; *ille* , *qui primus ſcribebat Evangelium* , *cœpit dicere* , *quis eſt iſte Aſaph Propheta* ? *Non erat notus in populo & hoc fecit ut dum errorem emendaret* , *faceret errorem.* Nolim quidem præſtare quaſi vera quæcumque hîc habet *Hieronymus* , aut alius ex *Hieronymo* ; ſed hinc colligere licet , quâ ratione multa menda , in omnis generis libros , irrepſerint. Eumdem audiamus in Epiſt. ad Lucinium, Tom. IV. P. 2. col. 578. de ſuis ipſius Scriptis loquentem. *Ego* , inquit , *tanta volumina* —— *relegere non potui* —— *Unde* , *ſi paragrammata repereris* , *vel minùs* (bene) *aliqua deſcripta ſunt* , *quæ ſenſum legentis impediant* ; *non mihi debes imputare* , *ſed tuis & imperitiæ notariorum* , *librariorumque incuriæ* , *qui ſcribunt non quod inveniunt* , *ſed quod intelligunt* , *& dum alienos errores emendare nituntur* , *oſtendunt ſuos.*

12. Per-

12. Pergit verò loco antea laudato, hiſce verbis: *Dicamus aliquid ſimile, & in alio loco ſecundùm Matthæum, quando Judas retulit triginta argenteos, & noluerunt accipere ſacerdotes, nec mittere in corbonam, quoniam erat pretium ſanguinis; & emerunt inde agrum figuli, in ſepulturam peregrinorum*, &c. Ut impleretur, *inquit*, quod ſcriptum eſt in Jeremia Propheta. *Requiſivimus in Jeremia Propheta, & hoc penitus invenire non potuimus, ſed invenimus illud in Zacharia. Videtis ergo, quia & hic error fuit, ſicut ibi.*

13. Si verum eſſet quod perhibetur à *Maſſorethis*, à Scribis varia loca Veteris Teſtamenti eſſe emendata, quemadmodum dicunt; non dubitarem eas correctiones inter inanes Criticorum conjecturas referre. Sed videtur eſſe merum figmentum, * ut illi ipſi, qui quàm maximè favent Maſſoræ, oſtenderunt. Itaque eas emendationes miſſas facimus. Verùm certum eſt in Samaritico Codice multas eſſe, quarum exempla quærantur in Commentario noſtro in Pentateuchum. Nonnulla inſigniora in Indice notavimus.

14. At numquam uſque adeò graſſata eſt Criticorum audacia, quàm cùm, inventâ Typographiâ, ex MSS. Codicibus Veterum monumenta typis excudi cœpere. Editores enim, homines perſæpe indocti, non modò manifeſta menda corrigere adgreſſi ſunt, ſed & quæ-

* *Vide Sal. Glaſſium Phil. Sac. Lib. I. P. 2. Sect. 1. Art. 3.*

quæcumque non intelligebant, ea pro arbitrio mutabant; &, nullo habito Manuſcriptorum Codicum diſcrimine, mendoſiſſimos ſæpe exprimebant. Cujus rei exempla animadvertent innumera, quicumque primas editiones conferent cum adcuratioribus, quæ poſtea prodiere, vel etiam cum MSS. Codicibus. Habeo antiquiſſimam editionem *Pauli Oroſii* Baſileenſem, ſine indicio anni; ſed quam facilè adparet prodiiſſe, diu ante finem decimi quinti ſæculi. Ea collata olim fuit cum MS. Bibliothecæ publicæ Genevenſis, à patruo meo *Dan. Clerico.* Ex hac nonnulla proferam exempla, ex quibus licebit intelligere quodnam eſſet ingenium Criticorum illius ævi.

15. In præfatione, ita loquitur de Ethnicis *Oroſius: Qui cùm futura non quærant, præterita autem obliviſcantur, aut neſciant, præſentia tantùm tempora, veluti malis extra ſolitum INFESTISSIMA, ob hoc ſolum quod creditur Chriſtus, & colitur Deus, infamant.* Sic habet MS. Genevenſis, ſic editio Moguntina ab *And. Schotto* recenſita. At Baſileenſis Criticus edidit *infeſtatiſſima*, quòd crederet dici Latinè *tempora infeſtata malis*, non *infeſta malis*, qua in re graviſſimè erravit.

16. Ait paullò poſt *Oroſius*, id ſibi muneris ab *Auguſtino* impoſitum, *maximè CUM reverentiam ejus, perficiendo adverſum hos ipſos Paganos XI. libro* (de Civitate Dei) *inſiſtentem* (*quorum jam decem orientes radii, mox*

ut

ut de ſpecula Eccleſiaſticæ claritatis elati erant, toto orbe fulſerant) *levi opuſculo occupari non OPORTERET.* Sic habet MS. & Mog. Editio; at Baſileenſis *oportet*, omiſſâ ſine dubio lineolâ, quæ ſcripturæ compendium ſignificat, qualibus ſcatet hæc Editio, ut pleræque veteres. Quod noto, quia ex compendiis, ut antea vidimus, multa ſunt nata menda.

17. *Oroſius* ſuâ ait *ſcrutatione claruiſſe, regnaſſe mortem avidam ſanguinis dum ignoratur Religio, quæ prohiberet à ſanguine*; tum ita pergit in Baſileenſi Editione: *iſtâ illucreſcente, illam conſtupuiſſe; illam concludi, cùm iſta jam prævalet, illam penitus nullam futuram, cùm hæc ſola regnavit.* Manifeſtum *illucreſcente* eſſe pro *illuceſcente*, at Mog. Ed. habet *conluceſcente.* Pro *cùm iſta*, quod eſt in utraque Editione, MS. Codex habet *dum iſta*; qui & ante *penitus* addit *jam*, neſcio an melius. At pro *regnavit*, habet *regnabit*, ut & Mog. Editio, meliùs ſine dubio.

18. Paullò inferiùs habet Baſileenſis: *futuras anguſtias, quales ante non fuerant, Dominus —— prædixit.* MS. Codex, *quales non ante fuerint*, & Ed. Mog. *ante non fuerint.* Credidit Criticus verbum ſubſtantivum poſſe tantùm referri ad tempora, quæ anteceſſerant prædictionem Chriſti, cùm omnia tempora, ad implementum uſque prædictionis, effluxura etiam complectatur. Cùm verò Caput I. incipiat in Ed. Moguntina ab hiſce: *& quoniam omnes*, &c. in Baſileenſi, initium ducit

ab

ab hiſce, quæ paullò pòſt ſequuntur: *Ego initium*, &c. cum hac inſcriptione: *De miſeria hominum per peccatum ab initio.* Nec inſcriptiones Capitum, in ſequentibus, nec diviſiones ſunt ſimiles.

19. Cap. I. Pro *delibatis*, quæ lectio eſt MS. Codicis & Mog. Editionis, & manifeſtò genuina eſt, habet Baſileenſis abſurdè, *deliberatis. Initium miſeriæ hominis ab initio peccantis hominis ducere inſtitui, paucis dumtaxat, iisdémque breviter deliberatis.* Neſcivit quid eſſet *delibare* qui huic editioni præfuit, cujus nomen poſtea dicam.

20. Editio Baſileenſis: *Quapropter res ipſa exigit ex his libris, quàm breviſſimè vel pauca adtingere, qui originem mundi loquentes, præteritorum fidem adnunciatione futurorum, & poſt ſubſequâ probatione, fecerunt.* Editio verò Mog. & MS. Codex: *contingere eorum qui*, &c.

21. Editiones habent: *Si divinâ providentiâ, quæ ſicut bona: ita pia & juſta eſt, agitur homo.* At MS. *quæ ſicut pia: ita & juſta eſt.* Quæ lectio magis arridet, quia *pia* opponitur *juſtæ* non *bonæ*, ſignificátque beneficam ac miſericordem. Sequentia manifeſtò hanc confirmant, ubi MS. Genevenſis & Editio Moguntina habent: *Sicut piè gubernari egenum opis oportet: ita juſtè corripi immoderatum libertatis neceſſe eſt.* At Baſileenſis perperam *gubernare*, & *immoderatæ* habet, quod Criticus neſciret Latinam eſſe conſtructionem *immoderatum libertatis.*

22. Pro

22. Pro *numeroſiora monſtrabimus*, quod eſt in Editionibus, habet MS. Codex *monſtravimus*, meliùs, quia reſpicit *Oroſius* ad id quod, hoc ipſo Capite, dixit. Antea jam vidimus permutationem litterarum B & V. §. 16. In eodem Codice, poſt *pertuliſſe*, minio ſcriptum eſt: *Explicit Prologus, incipit Liber primus Pauli Oroſii Presbyteri.* Unde colligere eſt diviſiones Editionum recentiores eſſe; ac ſanè rectius fit initium Libri ipſius, à vocibus: *Dicturus igitur*, &c.

23. In ſequentibus: *In quantum ad cognitionem vacare ſuffecero, conflictationésque generis humani, & veluti per diverſas partes, ardentem malis mundum, fuco cupiditatis incenſum à ſpecula oſtentaturus, neceſſarium reor.* Ita legimus in MS. Codice, & Editione Baſileenſi; cùm *Lud. Lautius* obſervet MSS. omnes & editiones tueri *vocare*, acceptámque fert *Palmerio* emendationem *vacare*, quam poſtulat ſenſus.

24. Hinc adparet eſſe in editione Baſileenſi bona miſta malis, ex cujus & MS. Genevenſis, ad quem accceſſit Cod. Medicæus, aliorumque collatione, *Oroſium* meliorem multò aliquando dabimus. Nihil præterea addam, præter Græcæ vocis corruptionem, quales frequentiſſimè * in Codicibus Latinis occurrunt. Capite igitur II. in deſcriptione Aſiæ: *Ad meridiem ſuccedit Babylonia, deinde Chaldæa, noviſſimè Arabia Eudæmon, quæ inter Sinum Perſicum & Sinum Arabicum*, &c. Sic habent Codex MS. & editio Moguntina, at Baſileenſis

* *Vide exemplum ſupra Cap. IX. §. 8.*

ſis editor, cùm neſciret quid ſignificaret *Eudæmon* edidit: *noviſſimè Arabia*, ea demum *inter ſinum Perſicum*. Quod, niſi exſtarent alii Codices, mendoſum eſſe non illico intelligeremus.

25. Critici nomen, ex verſibus fini additis, cognoſcere licet; ſed quo cognito, non multò ipſe notior erit:

Ut ipſe titulus margine in primo docet,
Oroſio mihi nomen eſt.
Librariorum quidquid erroris fuit
Exemit ÆNEAS *mihi*;
Méque imprimendum tradidit non alteri,
Leonarde, quàm ſoli tibi;
Leonarde nomen hujus artis & decus,
Tuæque laus Baſileæ.
Quod ſi ſitum orbis, ſíque noſtra ad tempora,
Ab orbis ipſa origine,
Quiſquam tumultus, belláque & cædes velit,
Cladésque noſſe, me legat.

Ad me quidem quod adtinet, tam ſcio quis fuerit ille *Æneas*, quàm ſi ſibi ἔτυμι nomen à parentibus impoſitum dixiſſet.

26. Quandoquidem verò modò dicebamus vocem Græcam in Latinam perperam ab homine ignaro mutatam fuiſſe; non erit extra rem, ſi majoris etiam flagitii Librariorum meminerimus, qui voces Græcas quas legere non poterant planè omittere ſolebant, aliquando relicto ſpatio, aliquando nullo. In omnibus pænè libris Latinis, quibus Græca admiſta ſunt, talia cernere licet. Unum exemplum

addam ex *Hieronymo*, ut uno verbo interpreter * quod Parisienses *Benedictini* adsequi non potuerunt. Sic adloquitur *Hieronymus* Sophronium, in Præfatione Psalterii, juxta Hebraïcam veritatem: *Quod opusculum meum, si in Græcum, ut polliceris, transtuleris, & doctissimos quoque viros testes imperitiæ meæ facere volueris, dicam tibi illud Horatianum*: in silvam ne ligna feras. Testantur *Benedictini*, in antiquioribus Codicibus nonnullis, post *transtuleris* esse tria verba Græca, in aliis nullum spatium, nec litteram ullam Græcam. Verba autem Græca ita habent: ΑΝΤΙ-ΦΑΟΝΙΚΩΝ ΤΟΒΑΙΑ CΥΡΟΥCΙΝ, quæ viderunt quidem *Benedictini* ita legenda: *ἀντὶ φοινίκων τὰ βαΐα σύρουσιν*, sed absurdè verterunt: *coram palmis ramos palmæ trahunt*. Vertendum, *pro dactylis, ramos trahentibus*, quod egregium hoc in loco sensum habet; obscure enim & eleganter *Hieronymus* illudit Græcis, qui versionem tantùm LXX. Interpretum hujus libri legebant, quam tacitè confert *ramis* fructu destitutis, quales sunt rami palmarum, Hebraïcam vero veritatem *fructui*; quem dum Græci se decerpere putabant, frustra erant, & steriles dumtaxat ramos vellebant. Non mirum est in regione palmifera fuisse proverbium ex palmæ natura deductum, quod non intellexere Librarii Latini; aut quod Græcè nescirent, aut quòd naturam palmæ ignorarent, quam *Plinius* ita describit Lib. XII.

* *Aut certè* Joannes Martianæus, *homo imperitus, ut in* Quæstionibus Hieronymianis *ostendimus.*

XII. c. 4. *Coma omnis in cacumine, & pomum eſt; non inter folia hoc, ut in ceteris; ſed ſuis inter ramos palmitibus racemoſum; utraque naturâ uvæ atque pomi.* Hinc intelligere licet quare is, quem ſpes fruſtratur hiantem, dicatur pro dactylis, trahere ramos palmæ. Non opus eſt probemus φοινικας dici non modò arbores, ſed & earum fructus, cùm quævis Lexica hoc doceant. Igitur rectiùs feciſſent editores *Hieronymi*, ſi verba Græca in contextum orationis recepiſſent; quæ, quòd non intelligerent, temerè repudiarunt. At ſunt MSS, inquiunt, ex quibus abſunt. Verùm cùm omiſſionis cauſa ea ſit quam diximus, nulla addendi ratio erat aliis Librariis, adeóque temerè detracta multò veriſimilius eſt, quàm perperam addita. Objiciunt iterum illi, ſententiam perfectam eſſe, ſine verbis illis Græcis. At hæc ipſa de cauſâ reſecari potuerunt, addi vix potuerunt.

27. Poſſemus permulta exempla erratorum, à Criticis recentioribus commiſſorum, huc congerere; ſed nimis quàm frequentia ſunt, & poſtea nonnulla adferentur. Itaque huic Capiti finem imponemus.

CAPUT XV.

De Mendis, quæ Impoſtoribus tribuenda.

PRÆTER menda, quæ

—— aut incuria fudit,
Aut humana parum cavit natura ——

ſunt multa quæ Librariorum, vel potiùs Falſariorum nequitiæ debentur; qui homines cùm vellent ea eſſe in Veteribus, quæ non erant, mutarunt, addiderunt, detraxerunt, prout viſum eſt; quibus fraudibus, imperitis Lectoribus fucum fecerunt. Facillimum fuit malæ fidei Librariis, aut aliis hominibus exemplaria quæ deſcribebant vitiare, eáque quaſi emendatiora, & quaſi ex antiquioribus Codicibus deſcripta venditare. Eæ fraudes, ſi non illico multùm nocerent, at ſequentibus ſæculis exitiales eſſe poterant; cùm à quibus Codices deſcripti eſſent ignoraretur, & crederentur emendatiores. Non ſemper facile erat eos conferre cum vetuſtioribus Codicibus, qui perpaucorum manibus verſabantur; aut quos emendatiores eſſe certò conſtaret. Non ſemper facile erat fraudem dignoſcere, nec ſi res eruditioribus, & Critices peritioribus ſubolebat; ideò ab aliis indoctis, & à Critica alienis, intelligi poterat. Hîc non loquimur de inte-

integro opere cuipiam Scriptori falso adscripto, aut planè interpolato, vel prolixiore quopiam loco aucto, minuto, aut depravato; qua de re agemus, in sequente Sectione; sermo nobis est de mutatione, additione aut detractione paucularum vocum; quæ Codicum corruptelæ, nonnisi à peritioribus, deprehendi possunt; & aciem Criticorum, quamvis perspicacium, sæpe fortasse fugiunt.

2. Licèt Veteres non monerent disertè, à fraudibus ejuscemodi cavendum esse; attamen fallendi facilitas, & hominum nequitia nos satis monerent, non facilè Codicibus quibusvis esse fidem habendam. Sed antequàm ad rem ipsam veniamus, testimonium unum atque alterum ex Veteribus citabimus, & primum quidem Ethnicos, deinde etiam Christianos audiemus; ex quibus liquebit imprudenter eos facere, quicumque inexploratò iter faciunt per Antiquitatis, ut ita loquar, regiones; cùm persæpe, dum putant se in amicorum Veri agris versari, ubi nihil est quod timeant, in latentes nequissimorum Falsariorum insidias delabantur.

3. Cùm maxima esset *Homeri* apud Græcos, ab antiquissimis temporibus, auctoritas; si quid ex illo probari posse videbatur, id satis luculentè demonstratum habebatur. Ideóque fertur *Solon* versum ei addidisse, ut ostenderet Salaminem insulam esse ditionis Atheniensium: *οἱ μὲν ἂν πολλοὶ*, inquit *Plutarchus*, * *τῷ Σόλωνι συναγωνίσασθαι λέγουσι τὴν Ὁμήρου δόξαν.*

* *In Solone p.* 83.

δόξαν. ἐμβαλόντα γὰρ αὐτὸν ἔπος εἰς τὸν κατάλογον, ἐπὶ δ δίκης ἀναγνῶναι,

Αἴας δ' ἐκ Σαλαμῖνος ἄγεν δυοκαίδεκα νῆας,
Στῆσε δ' ἄγαν, ὅθ' Ἀθηναίων ἵσαντο φάλαγγες.

Plerique aiunt faviſſe Soloni opinionem Homeri; illum enim inſeruiſſe verſum in Catalogum navium, & legiſſe in judicio:

Bis ſex adductas Ajax Salamine carinas
Vinxit, Athenarum quà caſtra habuere phalanges.

Paria feciſſe Piſiſtratum, idem *Plutarchus* * ex *Herea* Megarenſi, narrat. Poſtquàm enim dixit deſertam à Theſeo Ariadnam, quòd aliam amaret, ſubjeciſſétque verſum hunc Heſiodi:

Δεινὸς γάρ μιν ἔτειρεν ἔρως Παναπήιδος Αἴγλης,

Dirus eum vexabat amor Panopeïdos Ægles.

Τοῦτο γὰρ τὸ ἔπος, inquit, ἐκ τῶν Ἡσιόδου Πεισίστρατον ἐξελεῖν φησιν Ἡρέας ὁ Μεγαρεύς. ὥστε αὖ πάλιν ἐμβαλεῖν εἰς τὴν Ὁμήρου νεκυίαν, τὸ,

Θή-

* *In Theſeo. p.* 8. & 9.

Θήσεα, Πειρίθοόν τε Θεῶν ἀριδείκετα τέκνα,

χαριζόμενον Ἀθηναίοις: nam hunc versum è scriptis Hesiodi Pisistratum abstulisse ait Hereas Megarensis, ut & injecisse in Homeri descriptionem Mortuorum (Odyss. Λ, 630.) *hunc* Thesea, Pirithoúmque illustria pignora Divûm, *gratificantem Athenienssibus.*

4. *Athenodorus* Stoïcus, Pergamenæ Bibliothecæ præfectus, è libris Stoïcorum, qui in ea erant Bibliotheca, quæ pravè dicta erant resecuisse dicitur. Auctor est *Diogenes* Laërtius, *in Zenone; ubi postquàm dixit ab hoc Philosopho artem amatoriam conscriptam, subjicit: ἀλλαὶ καὶ ἐν ταῖς διατριβαῖς παραπλήσια γράφει. τοιαῦτόπερα τινά ἐστι παρὰ τῷ Κασσίῳ, ἀλλαὶ καὶ Ἰσιδώρῳ τῷ Περγαμηνῷ ῥήτορι. ὃς καὶ ἐκτεμηθῆναί φησιν ἐκ τῶν βιβλίων τὰ κακῶς λεγόμενα παρὰ τοῖς Στωϊκοῖς, ὑπ' Ἀθηνοδώρου τοῦ Στωϊκοῦ, πιστευθέντος τὴν ἐν Περγάμῳ βιβλιοθήκην. εἶτα ἀντιτεθῆναι αὐτὰ, φωραθέντος τοῦ Ἀθηνοδώρου, καὶ κινδυνεύσαντος: similia item scribit in diatribis. Hujusmodi quædam sunt apud Cassium, itémque apud Isidorum Rhetorem Pergamenum, qui etiam resecta ait ex libris quæ malè dicerent Stoïci, ab Athenodoro Stoïco, cui commissa erat bibliotheca Pergamena; deinde rursus inserta eadem esse, deprehenso ac periclitante Athenodoro.* Digni certè erant, qui id flagitium admittebant, qui Falsariorum pœnas luerent.

* *Lib. VII. §. 34.*

5. Hæc oſtendunt, apud Ethnicos, non infrequentes fuiſſe ejuſcemodi fraudes; & utinam idem flagitium objici non poſſet Chriſtianis! Sed veri amantibus fatendum, nihil eſſe quod, hac in re, exprobremus Ethnicis, quod de nobis acriùs dicere nequeant. Non modò inventi ſunt Falſarii, qui ſceleratas manus Scriptis piorum virorum, qui dudùm mortui erant, inferre ſuſtinuerint; ſed, ne quid impudentiæ deeſſet, viventium etiam Scripta adulterare auſi ſint. De ſe ipſo teſtis fide dignus eſt *Dionyſius* Corinthiorum Epiſcopus, qui vixit ſub finem ſecundi ſæculi, & ita apud * *Euſebium* loquitur: *ἐπιſολὰς γὰρ ἀδελφῶν ἠξιωσάντων με γράψαι ἔγραψα. ἃ ταύτας οἱ τῦ διαβόλυ ἀπόſτολοι ζιζανίων ἐμπέπληκαν· ἃ μὲν ἐξαιρῶντες, ἃ δ' προσιθέντες. οἷς τὸ οὐαὶ κεῖται. θ θαυμαſὸν ἄρα εἰ κ τ κυριακῶν βιβλίων τινὲς ἐπεχείρησαν γραφῶν, ἐπότε καὶ ταῖς ὁ- τοιύταις ἐπιβεβούληκαν:* Epiſtolas ſcripſi rogatus à fratribus. Sed illas miniſtri quidam Diaboli zizaniis impleverunt, quædam ex illis expungentes, quædam adjicientes. Quos certe manet feralis illa ſententia, væ vobis. Non mirum igitur videri debet, ſi Domini Scripta quidam adulterare adgreſſi ſunt, quandoquidem adulterarunt quæ talia non ſunt. Idem factum in Operibus *Athanaſii*, ſi credimus *Cyrillo* Alexandrino, in Epiſt. ad Joannem Antiochenum, quæ exſtat in 3. P. Act. Concilii Epheſini I. pag. 311. T. VI. Ed. Reg.

* *Hiſt. Eccleſ. Lib. IV. c. 23.*

Reg. Sic autem habet *Cyrillus* ad Ep. calcem: ἐπειδὴ δὲ μεμαθήκαμεν ὅτι τινὲς τὴν πρὸς τὸν μακάριον Ἐπίκτητον ἐπιστολὴν τοῦ παναφήμου πατρὸς ἡμῶν Ἀθανασίου, ὀρθοδόξως ἔχουσαν παραφθείραντές τινες ἐκδεδώκασιν ὡς ἐντεῦθεν ἀδικεῖσθαι πολλούς, διὰ τοῦτο χρήσιμόν τι καὶ ἀναγκαῖον ἡγησάμενοι τοῖς ἀδελφοῖς, ἐξ ἀντιγράφων ἀρχαίων τῶν παρ' ἡμῖν καὶ ἁπλῶς ἐχόντων ἀπεστείλαμεν τὰ ἴσα τῇ σῇ ἁγιότητι: *Quia verò accepimus quosdam orthodoxam laudatissimi Patris nostri Athanasii Epistolam, quam ad beatum Epictetum scripsit, corruptam edidisse, ita ut multi hinc lædantur; propterea utile & necessarium rati fratribus, ex vetustis exemplaribus quæ sunt apud nos, fideliter descripta, ad sanctitatem tuam exempla transmisimus.*

5. Nunc inventâ typographicâ arte, cùm Scriptor quispiam sua ipse opera edit, centena aliquot simul emittuntur exemplaria; quæ, ipso invito, corrumpi nequeunt, & ad quæ Lectores provocare possunt; sed cùm scriberentur Libri, pauciores primùm edebantur, quos pauci videbant, & qui intercidere facilè poterant; ita ut ingens semper esset fenestra depravationi aperta. Præterea ea sunt hodie editionum, & temporum indicia, vix ut viri litterati falli in editionibus possint; illo verò tempore, unde prodiissent libri, & à quibus Librariis, paucis post annis, vix resciri poterat. Itaque conferentibus Libros inter se non semper facile erat dijudicatu, utri majore fide descripti deberent judicari. Opus erat interdum magnâ diligentiâ & magno acumi-

ne, ut ſpuria à genuinis ſecernerentur; qua in re, nobiliſſimus Critices uſus, ſummáque ejus præſtantia elucent.

6. Exemplum proferam, ex Epiſtola S. *Barnabæ*, à viris doctis nondum antehac, quod ſciam, animadverſum. Exſtat Cap. XII. ejus Epiſtolæ, ex diviſione *J. B. Cotelerii*. Ἐπεὶ οὖν, inquit, μέλλουσι λέγειν, ὅτι ὁ Χριστὸς υἱός ἐστι Δαβίδ, φοβεῖται μὲν καὶ συνιεὶς τὴν πλάνην τῶν ἁμαρτωλῶν, λέγει. εἶπεν ὁ Κύριος τῷ Κυρίῳ μου, κάθου ἐκ δεξιῶν μου, ἕως ἂν θῶ τοὺς ἐχθρούς σου ὑποπόδιον τῶν ποδῶν σου. Καὶ πάλιν λέγει αὐτῷ Ἡσαΐας. εἶπε Κύριος τῷ Χριστῷ μου Κυρίῳ, οὗ ἐκράτησα τῆς δεξιᾶς αὐτοῦ ἐπακοῦσαι ἔμπροσθεν αὐτοῦ ἔθνη, καὶ ἰσχὺν βασιλέων διαῤῥήξω. Ἴδε πῶς λέγει Δαβὶδ αὐτὸν Κύριον καὶ υἱὸν Θεοῦ: *quoniam ergo dicturi erant Chriſtum eſſe filium Davidis, veritus & intelligens errorem peccatorum dicit*: dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. *Iſaias verò ita loquitur*: dixit Dominus Chriſto meo Domino, cujus adprehendi dexteram, ut obediant coram eo gentes, & fortitudinem regum diſrumpam *Vide quomodo David eum Dominum vocet & Dei filium.*

7. Integrum hoc teſtimonium Iſaïæ inſertum eſſe huic Epiſtolæ, ab alio, hæc oſtendunt. Primum eſt, quod legendum in ea ſit Κύρῳ *Cyro*, non Κυρίῳ *Domino*; cùm in Hebraïcis ſit לכורש *leboreſch* C. XLV, 1. & alia exemplaria LXX. Intt. habeant Κύρῳ. Græci & Latini Patres, Hebraïcæ Linguæ ignari, po-

potuerunt hac in re falli, atque ex mendo Librarii mirifica argumenta ducere; ſed *Barnabæ* Cyprio, & Linguæ Hebraïcæ perito tale quid excidiſſe, ſine maxima ejus contumelia, credere non poſſumus. Alterum eſt, quòd inſertionis alienæ indicium ſit in ſequentibus verbis: Ἴδε πῶς λέγει Δαβὶδ, ex quibus liquet à *Barnaba* ſolum Davidem laudatum in ſuperioribus fuiſſe. Alioqui dixiſſet πῶς λέγουσι Δαβὶδ καὶ Ἡσαΐας. Senſit hoc auctor priſcæ verſionis, qui ut malè cohærentia *Barnabæ* verba meliùs fluerent, novâ interpolatione priorem fraudem occultare conatus eſt, hoc modo verbis poſtremis immutatis: *Videte quomodo illum PROPHETÆ dominum, non tantùm filium dicunt.*

8. Poſſemus exempla ex aliis Scriptoribus Eccleſiaſticis addere, verùm de iis agemus in ſequente Sectione, ubi de inſignioribus interpolationibus. Hoc loco, de tribus celeberrimis locis *Joſephi*, nonnulla monebimus. *Origenes* Lib. I. & II. * contra *Celſum* & in † Matth. XIII. hæc verba tribuit *Joſepho*: Ταῦτα δὲ συμβέβηκεν Ἰουδαίοις κατ' ἐκδίκησιν Ἰακώβου τοῦ δικαίου, ὃς ἦν ἀδελφὸς Ἰησοῦ τοῦ λεγομένου Χριστοῦ. ἀπεκτόνασι γὰρ δικαιότατον αὐτὸν ὄντα οἱ Ἰουδαῖοι ἀπέκτειναν: *Hæc autem contigerunt Judæis, in ultionem Jacobi juſti, qui erat frater Jeſu dicti Chriſti; quoniam eum, cùm juſtiſſimus eſſet, Judæi interfecerant.* At in exemplaribus

* Pag. 35. Ed. Cantab. & p. 69. † Pag. 223. Ed. Huetiana.

bus noſtris *Joſephi*, nuſquam exſtant; unde * viri docti colligunt hunc locum è *Joſephi* libris eſſe eraſum à Judæis, cùm præſertim *Euſebius* Hiſt. Eccleſ. Lib. II. c. 23. eadem illa verba proferat. Si vera hæc eſt conjectura, inſignis hæc erit fraus Judæorum, qui locum abraſerint. At ſi contrarium ſtatueretur, nempe, locum hunc additum à malè ſano Chriſtiano fuiſſe, & fefelliſſe *Origenem* ac *Euſebium*; doli mali reus eſſet Librarius Chriſtianus. Alterutrum eligatur, nobis hîc perinde eſt; qui fraudes, à quocumque ortæ fuerint, æquè exſecramur, ac retegendas putamus.

9. Attamen, ne quid diſſimulemus, credibilius nobis videtur *Origenem* incidiſſe in Exemplar *Joſephi*, à Chriſtiano quopiam adlatâ periodo auctum; quàm eam à Judæis poſtea fuiſſe, in omnibus exemplaribus, expunctam. Ita ſentiendi has potiſſimùm rationes habemus. Primùm veriſimile non eſt *Joſephum* hominem Judæum tanti feciſſe mortem hominis Chriſtiani, ut, inter potiſſimas Jeroſolimitani exſcidii cauſas, ejus cædem recenſuerit. Quòd ſi nec malè ſenſiſſet de Chriſtianis, & ejuſmodi ſceleris eam calamitatem ultionem eſſe credidiſſet, potiùs Chriſti ipſius cædem memoraſſet, quæ haud paullò majoris erat impietatis facinus. Senſit hoc partim *Origenes*, debuiſſétque propterea ſuſpectum habere locum. * Καὶ τοίγε ἀπιστῶν Ἰησοῦ,

* *P. D. Huetius Dem. Evang. Prop. III.* §. 10.
* *Pag.* 35.

Ἰησοῦ, ὡς Χριστῷ, ζητῶν τὴν αἰτίαν τῆ τῶ Ἱεροσολύμων πλώσεως καὶ τῆ τοῦ ναοῦ καθαιρέσεως. διὸν αὐτὸν εἰπεῖν ὅτι ἡ κατὰ τοῦ Ἰησοῦ ἐπιβουλὴ τούτων αἰτία γέγονε τῷ λαῷ, ἐπεὶ ἀπέκτειναν τὸν προφητευόμενον Χριστόν. ὁ δὲ καὶ ὥσπερ ἄκων ὐ μακρὰν τῆ ἀληθείας γενόμενος, φησι, ταῦτα συμβεβηκέναι τοῖς Ἰουδαίοις κατ' ἐκδίκησιν Ἰακώβω, καὶ τὰ ἑξῆς: *Quamvis fidem Jesu, ut Christo, non habens, dum quærit causam Jerosolymitani excidii, Templique demolitionis (cùm debuisset dicere insidias Jesu structas causam fuisse horum populo Judæorum, quoniam Christum à Prophetis prædictum interemerant) quasi invitus, haud procul à veritate discedens ait hæc contigisse Judæis, in ultionem Jacobi.* At *Josephus*, cùm non crederet Christum esse Messiam, adeóque Pseudoprophetam eum haberet, non potuit dicere, propter Pseudoprophetæ discipulum occisum, deletam fuisse Jerosolymam. Qui nihil dixerat de ipso Jesu, ut existimabat *Origenes*, is multò minùs de ejus discipulo loquutus esset. Certè nullum est, apud *Josephum*, vel minimum hujus lacunæ vestigium, quo credibile fiat, hoc erasо, quidquam deesse orationi *Josephi*. Denique quis credat Judæos à temporibus *Origenis*, quibus Christianum nomen ubique sparsum erat, & quibus jam Bibliothecas adornare sibi Christiani cœperant, ut docet * *Eusebius*, ex omnibus Codicibus potuisse ea verba ita expungere, ut nullus eorum qui ad nos per-

* *Lib. VI. c. 20. Hist. Eccl.*

pervenerunt integer sit? Certè credibile est Librarios Christianos, non Judæos qui librorum Græcorum numquam studiosi fuerunt, nec Ethnicos à quibus spernebantur Judæi, exscripsisse *Josephum*; illi autem numquam hunc locum omisissent, si in suis Exemplaribus eum reperissent. Imò verò, ex auctoritate *Origenis*, suo loco potiùs reposuissent; si aptum ullum, apud *Josephum*, invenissent.

10. At eum locum, inquit vir doctissimus, „ * quoniam tam apertè & fidenter usurpant „ *Origenes* & *Eusebius*, cùm ille disputaret „ adversus Ethnicos, uterque verò in media „ Judæorum colluvie scriberet, & eum præ„ terea designat † *Hieronymus*; minimè cre„ di potest vel confictum ab iis fuisse, vel ab „ aliis, vel omnino suspectum fuisse & du„ bium. At *Origenem* sequutus est *Eusebius*, ut solet priores, *Eusebium Hieronymus*, nè inspecto forte quidem *Josepho*. Ideóque hi tres testes ad unum redeunt. Non equidem puto *Origenem* finxisse, sed vitiato codice usum nihil vetat nos fateri. Numquam fuit tam diligens, ut nihil proferret nisi exploratum. Fortè etiam memoriæ plus æquo confidit, & quod nusquam legerat citavit. At facere non debuit. Fateor, sed an homines etiam eruditi semper abstinent ab iis, à quibus eos abstinere satius erat? Annon Veteres pas-

* *P. D. Huetius, Lib. VI. c. 20. Hist. Eccl.*
† *Casal. Script. Eccle. in Josepho & Jacobo.*

passim infirma argumenta, ex suppositiis libris petita, proferunt fidentissimè, quasi res clara esset? Testes sunt commenticiæ *Sibyllæ*; & tot alii libri passim à *Clemente Alexandrino*, aliisque laudati. Igitur non est ex ἀκριβείᾳ, quâ Veteres plerique caruerunt, ratiocinandum. Hæc si expendantur, per se concident quæcumque similia, hanc in rem, habet vir eruditissimus.

11. Alter locus legitur etiamnum apud * *Josephum*, cujus hæc sunt verba, postquàm dixit Ananum juniorem Sadducæum fuisse, & Synedrium, non exspectato Albino, convocasse, ita pergit: καὶ παραγαγὼν εἰς αὐτὸ τὸν ἀδελφὸν Ἰησοῦ τοῦ λεγομένου Χριστοῦ, Ἰάκωβος ὄνομα αὐτῷ, καί τινας ἑτέρους, ὡς παράνομησάντων κατηγορίαν ποιησάμενος, παρέδωκε λευσθησομένους; *statuthimque coram eo fratrem Jesu, dicti Christi, (nomen ei erat Jacobo) & quosdam alios, accusatos perfractæ legis, tradidit lapidibus obruendos.*

12. Sunt quoque rationes sat graves, quæ persuadeant hæc fuisse interpolata, & scripsisse dumtaxat *Josephum*, καὶ παραγαγὼν εἰς αὐτό τινας, καὶ ὡς παρανομησάντων, &c. *statutósque coram eo nonnullos, & accusatos perfractæ legis, tradidit lapidibus obruendos.* Primò, hic locus non videtur, tempore *Hegesippi*, fuisse in *Josepho*; hinc enim potiùs narrationem mortis Jacobi desumsisset,

* *Ant. Jud. Lib. XX. c. 8.*

ſumſiſſet, quàm ex ineptis narrationibus, quas ex eo habet *Euſebius* Lib. II. c. 23. Hiſt. Eccleſ. Similia dicenda de *Clemente*, qui Hypotypoſ. Lib. VII. dicebat ex *Hegeſippo* Jacobum κατὰ τὸ πτερυγίον βληθέντα, καὶ ὑπὸ γναφέως ξύλῳ πληγέντα εἰς θάνατον: *ex templi lorica præcipitatum, & à fullone ligno ad mortem percuſſum.* Secundò, qui fidem habent narrationi *Hegeſippi*, eos oportet aut *Joſephum* falſi arguere, aut ſuſpectum habere hunc locum, quo res publicè Jeroſolymæ geſta, adeóque notiſſima aliter narratur; ut mirari ſubeat ab *Euſebio Joſephi* & *Hegeſippi* verba adlata, eodem Capite, nec eum tentaſſe ea in concordiam redigere, aut alterutrius narrationis fidem in dubium non revocaſſe. Tertiò, non eſt credibile *Joſephum* Judæum, ut jam diximus, tanti feciſſe mortem Epiſcopi Chriſtiani, ſine dubio, ex opinione Judæorum, παρανομήσαντος, ut eam, quaſi grave crimen Anani, inemoraverit. Palam enim docebant Chriſtiani, illo tempore, liberè verſandum eſſe cum Ethnicis incircumciſis, & cærimoniarum legalium nequaquam obſervantibus, eósque non minùs mundos eſſe, ac Deo gratos, ſi ex norma Evangelii viverent, quàm ſi Moſaïcos omnes ritus obſervarent; quæ profectò erat παρανομία, ex ſententia Phariſæorum, ac *Joſephi.*

13. Tertius locus eſt Antiquitat. Jud. Lib. XVIII.

XVIII. c. 4. ubi *Joſephus*, ſi exemplaribus noſtris credimus, diſertè loquitur de Jeſu Chriſto. Non repetemus quæ de eo dixit vir acutiſſimus * *Tan. Faber*, qui integrâ Epiſtolâ à Chriſtiano confictum eſſe locum demonſtrare adgreſſus eſt. Si ille rem acu tetigit, habemus hîc inſigne exemplum interpolationis indignæ Chriſtianâ Religione; quæ firmioribus nititur fundamentis, quàm ut ejuſmodi fraudibus indigeat. Contrà ſi † celeberrimus ac doctiſſimus vir, qui locum *Joſephi* genuinum eſſe contendit, & contra aliter ſentientes probare conatus eſt, audiatur; ſingularis nequitiæ Judæorum hic locus nobis exemplum præbebit. Objicientibus enim, plurimos è priſcis Chriſtianæ Religionis propugnatoribus, tam valido teſtimonio cauſam ſuam numquam eſſe tutatos; non *Juſtinum*, non *Tertullianum*, non *Origenem*, non alios plerosque; quod feciſſent utique, ſi vel cognita ipſis fuiſſet iſta ῥῆσις, vel pro legitima eam habuiſſent; hæc, inquam, objicientibus „ reſpondet, cauſas, nempe, fuiſſe dolos „ Judæorum, qui ex pluribus eam libris ex„ triverant, jam inde à primis, poſt *Joſe*„ *phum*, temporibus.

14 Ad rem, quam hîc agimus, nihil intereſt utra harum ſententiarum verior habeatur; ſed ingenuè profitebimur nos *Tan. Fabro* adſentiri, etiam poſt lecta quæ contra eum dixit vir, cujus multijugem eruditionem ceteroqui ſuſpicimus. Nihil quidem eſt, quod

* *Lib. I. Ep.* 44.

† *P. D. Huetius Demonſt. Evang. Prop. III. §.* 13.

addamus *Tan. Fabri* argumentis ; ſed non difficulter nobis videmur confutare poſſe, quæ illi oppoſita ſunt , quod tamen non faciemus. Unum dumtaxat hîc animadvertendum eſſe cenſemus ; nimirum , incredibile planè eſſe exemplaria *Origenis* habuiſſe locum priorem de Jacobo , antea adlatum , qui in nullis noſtrorum comparet ; caruiſſe verò hoc, de Chriſto , teſtimonio. Qui enim unum abradere potuerant , alterum etiam abraſiſſent. Non minùs mirum, in iis exemplaribus, quæ habent locum de Chriſto , deeſſe verba ad Jacobum ſpectantia , quæ prima expendimus. Si dixeris relictum fuiſſe in exemplaribus *Origenis* locum de Jacobo , quippe minoris momenti ; expunctum verò eum , in quo de Chriſto ſermo erat, quo Judæorum pertinacia jugulabatur; quæram quî factum ergo ſit, ut in ſequentium ſæculorum exemplaribus , in quibus verba de Chriſto leguntur , nuſquam inveniantur quæ primo loco protulimus de Jacobo? Si hæc deleta fuerant , multò potiore jure illa expuncta fuiſſent. Vix quoque crediderim ullos fuiſſe Librarios Judæos , qui Græcos libros Chriſtianis , aut Ethnicis venderent ; certè non fuit eorum moris deſcribere Gentilium ſcripta, nec propter *Joſephum*, & perpaucos alios Judæos, qui Græcè ſcripſerant , videntur illi librarias officinas inſtituiſſe. Multa autem exemplaria corrumpere vix quiſquam poterat , niſi Librarius.

15. Nec eſt putandum defuiſſe inter Chriſtianos , ex quocumque grege fuerint , qui ejuſmodi fraudes admitterent. Certè *Ambroſius*

sius non semel Arianos ejus sceleris insimulat. *Ariani*, inquit de Fide Lib. II. c. XV. n. 335. *Scripturas falsavere divinas.* Nolim plane ei de adversariis infensissimis credere ; sed hinc liquet rem non incredibilem visam eo ævo, cùm præsertim non semel eam exprobret Arianis. Similia fortè & ipsi de Consubstantialistis dictitabant. Ne utrosque mentitos putes, exempla aliquot ex Novo Testamento proferemus locorum manifestò interpolatorum, in aliquot saltem Codicibus; ex quibus judicare licebit, non unum fuisse Falsarium, inter eos qui Codices Sacros olim describebant ; quamvis nequaquam passa fuerit divina Providentia, eorum depravationes Religioni nocere.

Matthæi C. III, 11. Joannes Baptista ait se baptizare aquâ, in pœnitentiam; sed eum, qui post ipsum venturus erat, baptizaturum ἐν πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρὶ, *spiritu sancto & igne.* Veteres omnes Translationes & optimi Codices ita legunt; attamen laudantur multi MSS. Codd. in Oxonienfi anni 1676. & Milliana Editione, à quibus voces ἐν πυρὶ absunt. Cùm non intelligerent quid hæ voces vellent, nec eas viderent expressas Marc. 1, 8. & Joan I, 35. delendas temerè homines non bonæ fidei judicarunt. Fortè &, ut suspicatur *Hug. Grotius*, Hæretici nonnulli, qui igne baptizabant, occasionem huic depravationi præbuerunt.

Matthæi C. XXIV, 36. ita loquitur Christus de die Judicii, ex Cod. Cantabrig. Græ-

co-Latino : οὐδεὶς οἶδεν οὐδὲ οἱ Ἄγγελοι τῶν οὐρανῶν, οὐδὲ ὁ Υἱὸς, εἰ μὴ ὁ Πατήρ μου μόνος : *nemo scit, neque Angeli Cœlorum, neque Filius, nisi Pater meus solus.* Sic quoque legit *Chrysostomus* ad hunc locum. Similia habet Marcus, Cap. XIII, 32. Pleraque tamen exemplaria, apud Matthæum, omittunt verba οὐδὲ ὁ Υἱὸς, quamquam habent apud Marcum. *Hieronymus* in Matthæum XXIV. *In quibusdam*, inquit, *Latinis Codicibus additum est*, neque filius, *cùm in Græcis & maximè Adamantii & Pierii exemplaribus, hoc non habeatur adscriptum.* At cùm Ariani hoc loco uterentur, ad ostendendum Filium esse minorem Patre, sic inter alia respondebat *Ambrosius* de Fide Lib. V. C. XVI. n. 193. *Veteres non habent Codices Græci*, quia nec Filius scit. *Sed non mirum, si & hoc FALSARUNT, qui Scripturas interpolavere divinas, Quâ ratione autem videatur adjectum proditur, dum ad interpretationem tanti Sacrilegii derivatur.* Fallebatur *Ambrosius*, sed hinc liquet quid de audacia falsariorum ejus temporibus crederetur.

Marci Cap. XVI. Quamvis veteres Translationes antiquissimíque Codices & Patres hoc Caput integrum habeant, ac laudent ; sunt nonnulli Codices, in quibus totum deest, aut saltem à vers. 9. quod se animadvertisse ait *Gregorius* Nyssenus, ut observavit *Hug. Grotius* ; qui rectè judicat hanc omissionem tribuendam exscriptoribus, qui in hac parte Marcum cum Matthæo in concordiam non pos-

posse revocari existimarunt. *Hieronymus*, in Ep. ad Hedybiam, similiter animadvertit à plerisque hoc Caput non admitti, & adjectitium haberi, quòd diversa narret à reliquis Evangelistis. *Aut enim non recipimus, Marci testimonium, quod in RARIS fertur Evangeliis, omnibus Græciæ libris pænè hoc capitulum in fine non habentibus; præsertim cùm diversa atque contraria Evangelistis ceteris narrare videatur* &c. Col. 172. P. I. Tom. IV. Ed. Bened. Hoc verò falsum esse ostenderunt viri doctissimi, ut nulla sit ratio de Evangelistarum consensu dubitandi.

Ibidem vers. 2. pro ἀνατείλαντος ἡλίου, *orto sole*, MS. Codex *R. Stephani*: aliique *Millio* laudati habent ἔτι ἀνατείλαντος. *Gregorius Nyssenus*, in Serm. de Resurrectione, ἔτι τοῖς ἀκριβεστέροις τῶν ἀντιγράφων ἐμφέρεται: adhuc *in adcuratioribus exemplaribus exstat.* Sic legit etiam *Eusebius*, in Demonst. Evang. Lib. X. c. 8. Alii verò Codices, & veteres Translationes omittunt eam particulam; unde colligere est, interpretationis gratiâ, additam.

Ibidem Vers. 8. In Codice, qui laudatur in Edit. Wecheliana, adduntur hæc versui octavo, atque ita desinit hoc Evangelium: Πάντα δὲ τὰ παρηγγελμένα τοῖς περὶ τὸν Πέτρον συντόμως ἐξήγγειλαν. μετὰ δὲ ταῦτα καὶ αὐτὸς ὁ Ἰησοῦς ἀπὸ ἀνατολῆς καὶ ἄχρι δύσεως ἐξαπέστειλε δι' αὐτῶν τὸ ἱερὸν καὶ ἄφθαρτον κήρυγμα τῆς αἰωνίου σωτηρίας: *omnia mandata Petro paucis nuntiarunt. Post hæc verò & ipse Jesus, ab*

oriente usque ad occasum, nunciavit per eos sacrum & incorruptum præconium æternæ salutis.

Ibidem Vers. 14. *Hieronymus* Lib. II. adversus Pelagianos, P. 2. Tom. IV. col. 520. Ed. Benedict. *In quibusdam exemplaribus & maximè in Græcis Codicibus, juxta Marcum, in fine ejus Evangelii scribitur.* Postea cùm accubuissent, &c. *Et illi satisfaciebant dicentes; sæculum istud iniquitatis & incredulitatis substantia est, quæ non sinit per immundos Spiritus veram Dei adprehendi virtutem. Idcirco jam nunc revela justitiam tuam.* At neque Versiones, neque Codices ulli superstites huic additamento favent.

Lucæ Cap. II, 33. Καὶ ἦν Ἰωσὴφ καὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ, *& erant Joseph & mater ejus.* Sic Alexandrinus & plerique Græci Codices, sic Syrus & Arabs. Nonnulli pro Ἰωσὴφ habent ὁ πατὴρ, aut ὁ πατὴρ αὐτοῦ, ut docet *Millius.* Vulgatus: *& pater ejus & mater*, *Hieronymus*, contra Helvidium, col. 134. Tom. IV. P. 2. Ed. Benedict. de postrema lectione: *Tu licèt, mirâ impudentiâ, hæc in Græcis Codicibus falsata contendas, quæ non solùm omnes pænè Græciæ tractatores in suis voluminibus reliquerunt; sed nonnulli quoque è Latinis, ita ut in Græcis habentur, adsumserunt.* Non immeritò conjecit *Erasmus*, *mutatum id à quopiam, qui vereretur Josephum vocare patrem Jesu.*

Ibi-

Ibidem Cap. XIX, 41. Καὶ ὡς ἤγγισεν, ἰδὼν τὴν πόλιν, ἔκλαυσεν ἐπ' αὐτῇ: *& cùm adpropinquaſſet, conſpectâ urbe, illam deflevit.* Cùm nonnulli lacrimas Chriſto indignas judicarent, reſecuerunt hunc verſum. *Epiphanius* in Anchorato num. 31. Ἀλλὰ καὶ ἔκλυσε κεῖται ἐν τῷ κατὰ Λουκᾶν Εὐαγγελίῳ, ἐν τοῖς ἀδιορθώτοις ἀντιγράφοις, καὶ κέχρηται τῇ μαρτυρίᾳ ὁ ἅγιος Εἰρηναῖος ἐν τῷ κατὰ αἱρέσεων, πρὸς δοκήσει τὸν Χριστὸν πεφυκέναι λέγοντας ὀρθόδοξοι Ὃ ΑΦΕΙΛΟΝΤΟ τὸ ῥητὸν, φοβηθέντες καὶ μὴ νοήσαντες αὐτοῦ τὸ τέλος, καὶ τὸ ἰσχυρόταλον. *Sed & ploravit exſtat in Evangelio ſecundùm Lucam, in exemplaribus non emendatis,* (imò non corruptis) *& uſus eſt hoc teſtimonio Sanctus Irenæus, in opere contra Hæreſes, ad eos refellendos, qui Chriſtum ſpecie tenus fuiſſe dicebant. Orthodoxi verò* SUSTULERUNT *vocem, veriti, nec intelligentes ejus finem & ſummam vim.* Habent tamen omnes noſtri Codices, & antiquiſſimæ Tranſlationes. Vide *Irenæum* Lib. I. c. 17. & *Hug. Grotium*, ad hunc Lucæ locum.

Ibidem Cap. XXII, 43. 44. Ὤφθη δὲ αὐτῷ Ἄγγελος ἀπ' οὐρανοῦ ἐνισχύων αὐτόν. Καὶ γενόμενος ἐν ἀγωνίᾳ ἐκτενέστερον προσηύχετο. ἐγένετο δὲ ὁ ἱδρὼς αὐτοῦ, ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος καταβαίνοντες ἐπὶ τὴν γῆν: *Adparuit autem ei Angelus de cœlo confortans eum, & cùm eſſet in agonia, intentius orabat; erat autem ſudor ejus, quaſi grumi ſanguinis deſcendentes in terram.* Hæc, quæ ſunt in omnibus fermè noſtris Codicibus, priſcísque Tranſlationibus, ait *Hieronymus*

Lib. II. contra Pelagianos P. 2. T. IV. col. 521. Ed. Ben. *in quibuſdam exemplaribus, tam Græcis, quàm Latinis, inveniri*; ex quibus verbis liquet, ſi modò adcuratè loquutus eſt *Hieronymus*, ex plerisque abfuiſſe. Similia habet *Hilarius* Lib. X. de Trinitate, num. 41. in Ed. Ben. Pariſienſi. Solus Codex Alexandrinus, cum duobus Bodleïanis, proferuntur à *Millio*, quaſi iis verſibus deſtituti. Falſarii, qui, pro ſua imperitia, hiſtoriam Chriſti emendabant, hæc ſuſtulerant. quaſi indigna Chriſto, quæ tamen ceteri Chriſtiani genuina eſſe agnoverunt. Quæ narrabantur de nonnullis Martyribus, qui, quaſi alienatâ mente, nec cruciatus ullos patiente, illudebant carnificibus, effecerant ut extremum illud Chriſti certamen imperiti homines non ſatis concoquerent. At multò major eſt conſtantia ejus qui ſui compos, & acerrimis doloris ac ignominiæ ſtimulis confoſſus, Virtutem ac Veritatem tuetur; quàm ejus, qui inſtar furentis clamitat ſe nihil ſentire doloris, & ridet, ſi vera quidem ſunt quæ narrantur, in mediis flammis, aut in candente crate. Verùm hæc non ſunt hujus loci.

Joannis Cap VII, 8. ita loquitur Chriſtus: *Υμεῖς ἀνάβητε εἰς τὴν ἑορτὴν ταύτην ἐγὼ οὔπω ἀναβαίνω: vos adſcendite ad hoc feſtum, ego nondum adſcendo.* Codex Cantabrigienſis habet οὐκ, pro οὔπω, ut & aliquot Patres & Interpretes, quos enumerat *Millius*; ſed plerique omnes Codices οὔπω. Tempore *Porphyrii*, ill ple-

plerisque videtur lectum ἂν. *Hieronymus*, Lib. II. contra Pelagianos, ibidem: *Iterum ſe negavit, & fecit quod priùs negaverat. Latrat* Porphyrius, *inconſtantiæ ac mutationis accuſat, neſciens omnia ſcandala ad carnem eſſe referenda.* Vide, ad hunc locum, *Theod. Bezam.*

Ibidem Cap. VIII, 3. & ſeqq. ad 11. habetur hiſtoria adulteræ, de qua vide quæ adjecimus *H Hammondi* adnotationibus.

Actorum Cap. XX, 28. eſt inſignis lectionis varietas, de qua jam diximus Cap. VIII.

Epiſtolæ ad Romanos C. V, 14. ait Paulus mortem regnaſſe ab Adamo uſque ad Moſem, καὶ ἐπὶ ΜΗ ἁμαρτάνοντας ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι τ῀ς παραβάσεως Ἀδὰμ: *etiam in eos qui* NON *peccaverant ad ſimilitudinem transgreſſionis Adam. Origenes* obſervarat, in multis Codicibus non eſſe negativam; atque ita legendum contendit *Hilarius Diaconus*, cujus Commentarii perperam *Ambroſio* olim tribuebantur. Recténe an ſecus, nunc non quæram; ſed digna notatu verba ejus adſcribam, ubi ita loquitur contra eos, qui Græcos Codices, in quorum plerisque erat negatio, quaſi emendatiores Latinis, ei objiciebant: *Sic præſcribitur nobis de Græcis Codicibus, quaſi non ipſi ad invicem diſcrepent.* QUOD *facit ſtudium contentionis. Quia enim propriâ quis auctoritate uti non poteſt, ad victoriam, verba Legis adulterat, ut ſenſum ſuum quaſi verba Legis adſerat; ut non ratio, ſed auctoritas præſcribe-*

re videatur. Constat autem porrò olim quosdam Latinos, de veteribus Græcis translatos olim Codices, quos incorruptos simplicitas temporum servavit & probat. Postquàm autem à concordia animis discedentibus & hæreticis perturbantibus, torqueri quæstionibus cœperunt, MULTA IMMUTATA *sunt ad sensum humanum, ut hoc contineretur in* * *Litteris quod homini videretur, unde & ipsi Græci diversos Codices habent. Hoc autem verum arbitror, quando & historia & ratio & auctoritas observantur. Nam hodie, quæ in Latinis reprehenduntur codicibus, sic inveniuntur à Veteribus posita, Tertulliano, Victorino & Cypriano.* De varietate lectionis, in Pauli loco, adeantur *Des Erasmus, Theod. Beza,* qui acerrimè in virum se doctiorem invehitur, & *Joan. Millius.*

Ibidem Cap. IX, 5. Christus dicitur ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας. *qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Observavit dudum *Erasmus Cyprianum*, adversus Judæos Lib. II. c. 6 & † *Hilarium* in Psalmum CXXII. omittere vocem *Deus*, nec *Chrysostomum* videri eam legisse. *H. Grotius* iis addit Syrum Interpretem, qua in re fallitur. Sive autem deleta, sive addita fuerit datâ operâ hæc vocula, Falsariorum hoc fuit facinus;

* *Videtur deesse* sacris, *aut* sanctis.

† *Video tamen in adcuratioribus Editionibus* Hilarii *legi* Deus, *ut in Parisina anni* 1693. *Sic quoque legitur in* Cypriani *Ed. Oxonienſi. Deſtitutum tamen Codd.* Erasmum *non fuiſſe oſtendit* Joan. Fellus.

facinus; qui aut noluerunt ſibi Paulum adverſari, aut ſententiam pro ſe ferre voluerunt. Exiſtimavit *Eraſmus* interpunctionem hîc eſſe mutandam, at temerè, qua de re poſtea aliquid dicemus.

Ep. ad Philippenſes C. III, 3. legimus in Editionibus noſtris πνεύματι Θεῷ λατρεύοντες, *Spiritu Deo ſervientes.* At MS. Alexandrinus aliſque multi habent Θεοῦ, *Spiritui Dei.* Quam *Ambroſius* veram lectionem eſſe vult Lib. II. de Spiritu Sancto Cap. V. § 46. alteram verò Hæreticorum, qui Spiritum Sanctum Deum eſſe negabant, corruptelam. *Simul*, inquit, *Creatori admonet ſerviendum, damnando eos qui ſerviunt creaturæ, cùm Creatori ſervitium debeamus; & quoniam Spiritum Creatorem noverat, docet* (Paulus, *eidem ſerviendum, dicens* —— nos enim ſumus circumciſio qui Spiritui Dei ſervimus. *Quod ſi quis de Latinorum Codicum varietate contendit, quorum aliquos* PERFIDI FALSAVERUNT, *Græcos inſpiciat Codices & advertat, quia ibi ſcriptum eſt,* οἱ πνεύματι Θεοῦ λατρεύοντες, *quod interpretatur Latinus, qui Spiritui Dei ſervimus.* At *Th. Bezæ* & multis aliis altera lectio germaua videtur, unde ſequitur Falſarios eos eſſe, qui ſcripſerunt Θεοῦ.

1. Epiſtolæ ad Timotheum Cap. III, 16. in plerisque noſtris exemplaribus Græcis, legimus hodie Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ, *Deus adparuit in carne.* Sed pro voce Θεὸς, Latinus Int. & Syrus legerunt ὃ, confirmántque eam

eam lectionem Claromontanus Codex, & alius in Oxonienſi Editione memoratus. Sed & nos antiquum Codicem vidimus, ut diximus in Epiſtola Millianæ Editioni Roterodamenſi præfixa, ubi eſt Ο, & recentiore manu additum Σ. *Eraſmo* videtur additum Deum *adverſùs Hæreticos Arianos*; *Bezæ* verò *ſublatum fuiſſe ab iis qui vel Deitatem Chriſti, vel utriusque naturæ unionem, jam inde ab ipſo conceptionis momento, negabant.* Non inquiram uter meliùs conjeciſſe videatur; ſed ſi quis addiderit quod in Codicibus ſuis non inveniebat, aut detraxerit quod in iis legebat, confirmandæ opinionis ſuæ cauſâ, eum Falſarium fuiſſe, ex omnium ſuffragio, pronuncio. Putat *Joan. Millius* primùm lectum, ΘΣ, hoc eſt Θεὸς, unde factum eſt ΟΣ delectâ lineâ transverſâ litteræ Θ, deinde, deleto Σ, Ο, *quod*, ut conſtrueretur cum voce μυστήριον. Sic *Heraclides* apud *Hippocratem* mutabat ΟΥΡΑΣ in ΘΥΡΑΣ, ut docet *Galenus*, jam antea à nobis prolatus, in Procœmio Com. I. ad Lib. VI. Epidemiorum. Verùm eodem modo fieri poteſt ut Ο mutaretur in Θ, deinde adderetur Σ, ut fieret ΘΣ, ſeu Θεὸς, quod, inchoatum vidimus in antiquo exemplari, quod, & in Alexandrino factum, ad Theta quod attinet, à manu recentiore, ut teſtatur *Millius*, qui tamen putat ſe vidiſſe veſtigium antiquioris lineæ transverſæ in littera Theta, quæ fuerit tantùm craſſior facta. Rem in medio relinquimus, ſed veriſimilius videtur mutationem factam in

hoc

hoc loco, quæcumque ſit, eò factam eſſe, ut alterutri parti favere, aut minùs adverſari videretur Paulus. Audacioris etiam corruptionis meminit *Joan. Morinus* Exercit. Bibl. Lib. I. Exerc. III. C. IV. p 59. quem vide.

1. Epiſtolæ Joannis Cap. IV, 3 legimus in exemplaribus Græcis, conſentientibus Syro & Arabe Interpretibus: πᾶν πνεῦμα, ὃ μὴ ὁμολογεῖ Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα, ἐκ Θεοῦ οὐκ ἐστί: *omnis Spiritus qui non fatetur Chriſtum, qui in carne venit, ex Deo non eſt.* At Vulgatus habet: *Omnis Spiritus, qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt*, itemque *Irenæus*, Lib III. c. 18. *Tertullianus* Lib. V. contra Marcionem Cap. 16. & alii. *Socrates* verò Hiſt. Eccleſ. Lib. VII. c 32. ſic de Neſtorio, déque hoc loco ſcribit: ἠγνόησεν ὅτι ἐν τῇ καθολικῇ Ἰωάννου ἐγέγραπτο ἐν τοῖς παλαιοῖς ἀντιγράφοις, ὅτι πᾶν πνεῦμα ΟΛΥΕΙ τὸν Ἰησοῦν, ἀπὸ τοῦ Θεοῦ οὐκ ἐστί. Ταύτην γὰρ τὴν διάνοιαν ἐκ τῶν παλαιῶν ἀντιγράφων περιεῖλον οἱ χωρίζειν ἀπὸ τοῦ τῆς οἰκονομίας ἀνθρώπου βουλόμενοι τὴν θεότητα. διὸ καὶ οἱ παλαιοὶ ἑρμηνεῖς αὐτὸ τοῦτο ἐπεσημήναντο, ὡς τινες εἶεν ΡΑΔΙΟΥΡΓΗΣΑΝΤΕΣ τὴν ἐπιστολὴν, λύειν ἀπὸ τοῦ Θεοῦ τὸν ἄνθρωπον θέλοντες: *ignoravit in catholica Joannis Epiſtola, ita ſcriptum eſſe, in antiquis exemplaribus*: Omnis ſpiritus, qui Jeſum ſolvit, non eſt ex Deo. *Hanc enim ſententiam è vetuſtis exemplaribus ſuſtulerunt ii, qui ab hominis diſpenſatione divinitatem ſeparare ſtudebant. Quamobrem & priſci Interpretes id ipſum obſervarunt, fuiſſe, nimirum, quosdam, qui hanc Epi-*

Epiſtolam DEPRAVARINT, *hominem à Deo ſejungere cupientes.* Eſt & alia lectio hujus loci, ex Codice Alexandrino: πᾶν πνεῦμα, ὃ μὴ ὁμολογεῖ τὸν Ἰησοῦν, ἐκ τοῦ Θεοῦ οὐκ ἐστίν: *omnis ſpiritus, qui non fatetur Jeſum, ex Deo non eſt.* In partes eunt Interpretes, de vera hujus loci lectione; & contendunt eam lectionem, quam non probant, eſſe depravationem.

Ibidem Cap. V, 7, 8. ita legimus in Codicibus noſtris, ex recentioribus MSS. Ὅτι τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῷ οὐρανῷ, ὁ πατὴρ, ὁ λόγος, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα. καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς ἕν εἰσι. καὶ τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῇ γῇ, τὸ πνεῦμα, καὶ τὸ ὕδωρ, καὶ τὸ αἷμα. καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσι: *nam tres ſunt, qui teſtificantur in cœlo; Pater, Ratio, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt. Et tres ſunt qui teſtificantur in terra, ſpiritus & aqua & ſanguis, & hi tres in unum conſentiunt.* At MS. Alexandrinus habet tantùm: ὅτι τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες, τὸ πνεῦμα καὶ τὸ ὕδωρ καὶ τὸ αἷμα, καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσιν Ita etiam vetuſtiores alii omnes Codices Græci, ita Syrus, Arabs, Æthiops, & ipſe Latinus Interpres, in antiquiſſimis Codicibus. Priſcis Libris ſi inſint verba, quæ in Editionibus noſtris leguntur, ſunt addita margini, non in ipſa orationis ſerie, & quidem recentiore plerumque manu. * Ita multi Patres legerunt,

* *Omitto minores varietates, quas vide in Oxon. &* Milliana *Ed. & apud* Ric. Simonium *in H. C. N. T. de Textu Cap. XVIII. & Diſſ. de MSS. N. T. ſub finem.*

runt, ut monuerunt viri doctissimi ad hunc locum, quod pluribus probare non opus est. *H. Grotius* conjicit ex additamento Ariani cujusspiam esse, quod præterea legitur in nostris Codicibus; alii volunt in iis casu esse omissa, quæ sunt inter voces οἱ τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες, propter eorum verborum repetitionem, quod sæpe factum antea ostendimus; sed obstant voces ἐν τῇ γῇ, quæ sunt post hæc verba vers. 8. Volunt quidem viri eruditi eas primùm scriptas fuisse, sed postea deletas, cùm sensu carerent. At primùm, est conjectura, quæ nullis nititur Codicibus; nulli enim laudantur ubi sint voces ἐν τῇ γῇ, omissis testibus cœlestibus. Deinde, poterat dicere Joannes tria Christo testimonium exhibere *in terra*, tacitè hoc opponens variis cœlestibus testimoniis, quæ Pater ei præbuerat, nec causa ulla erat eorum verborum delendorum. Tertiò, nullo modo credibile est hæc verba delituisse in pervetustis quibusdam Codicibus, per aliquot sæcula, dum Arianorum controversiæ vigerent, & agitarentur à viris doctissimis, qui omnia vetera monumenta curiosissimis oculis lustrabant, si quid in iis occurreret, quo causam suam tueri possent; donec exstinctâ propemodum Arianorum sectâ, in lucem proferrentur. Scio adferri hanc in rem locum unius *Cypriani*, sed ex eo nihil posse colligi ostendit *Ric. Simonius*; quod non illibenter agnosco, qui gratias habeo verum docentibus, quicumque sint, quamvis etiam de me malè meritis. Vide C. XVII, 39.

Quæ

Quæ cùm ita ſint, fateor me non videre quâ fide, aut quo jure poſſint vetuſtiores Codices ex recentioribus emendari. An ita poſtulat orationis ſeries? Nequaquam. Non pluribus rem perſequemur, quia à viris doctiſſimis copioſiſſimè pertractata eſt.

Unum dumtaxat addemus exemplum inſignis fraudis, hanc in rem. Cùm, nimirum, deeſſent, in antiquioribus Latinis exemplaribus, verba quæ antea adtulimus, non modò à Theologis illata ſunt recentioribus MSS. ſed & antiquiores Interpretes malæ fidei ſunt incuſati. Quod ut aliqua cum veri ſpecie, quæ nulla erat, fieri poſſet; fictus eſt a pio, ſcilicet, impoſtore Prologus in ſeptem Epiſtolas Canonicas, in quo ita *Hieronymus* loquens inducitur: *Quæ ſi ut ab eis digeſtæ ſunt, ita quoque ab Interpretibus fidelliter in Latinum eloquium verterentur, nec ambiguitatem legentibus facerent, nec ſermonum ſeſe varietas impugnaret; illo præcipuè loco de unitate Trinitatis, in prima Joannis Epiſtola, poſitum legimus. In qua etiam ab infidelibus Tranſlatoribus multùm erratum eſſe fidei veritate comperimus; trium tantùm vocabula, hoc eſt, aquæ, ſanguinis & ſpiritûs in ſua editione ponentes; & Patris, Verbíque ac Spiritûs teſtimonium omittentes; in quo maximè & fides Càtholica roboratur, & Patris & Filii ac Spiritûs Sancti una divinitatis ſubſtantia comprobatur.* Ne quiſquam ſuſpicaretur Prologum non eſſe *Hieronymi*, additum eſt in ultima Periodo nomen *Euſtochii: Sed, tu virgo Chriſti Euſtochium*, &c.

&c. Hunc autem Prologum esse confictum probavit *Ric. Simonius* in Hist. Critica Textûs N. T. Cap. XVIII. quamvis in nonnullis erraverit, si stemus fide *Monachorum Benedictinorum*, qui nuper *Hieronymum* edidere. Ipsa tamen in re ei adsentiuntur, quamvis ubicumque possunt hominem admordeant, & γνησιότητα loci suspectissimi acriter defendant. Vide quæ habent in Adnotationibus ad eum Prologum, & adi etiam *Simonium*, qui conjicit scholion è margine in textum irrepsisse.

Epistolæ Judæ vers. 4. in Editionibus, ita describuntur Hæretici quidam Apostolicorum temporum: τὸν μόνον δεσπότην Θεὸν, καὶ κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ἀρνούμενοι: *solum herum Deum, ac Dominum nostrum Jesum Christum negantes.* Sed in Alexandrino Codice non est vox Θεὸς, uti nec in duobus *T. Bezæ*, nec in aliis, in Oxoniensi & Milliana Editione memoratis. Non legit eam Latinus Interpres. Sive datâ operâ detracta fuerit hæc vocula, sive addita à Theologis; quicumque sint, & quacumque de causa: illa quidem fraus est, indigna bonis viris, & veri amantibus.

Hebr. II, 9. legimus in nostris Codicibus ὅπως χάριτι Θεοῦ ὑπὲρ παντὸς γεύσηται θανάτου. Sed *Origenes*, *Ambrosius*, *Hieronymus*, alii recentiores, testantur, ut docet *Millius*, lectum hîc fuisse χωρὶς Θεοῦ, quod putat esse glossema cujuspiam, qui hæc addiderat margini *ne passio fuisse Deitatis putaretur*, ut loquitur

Vigilius Tapſenſis, unde quaſi vera lectio in textum tranſlatum fuerat. Vix tamen putarim, quòd controverſiæ Neſtorianorum & Eutychianorum nondum eſſent natæ. Mendum potiùs fuerit incuriæ Librariorum. Omnes Codd. Græci, qui ſuperſunt, habent χάριν, Latini *gratia.*

Ultimo loco memorabimus novam interpunctionem, quam in MS. Codice invenit olim *Claud. Sarravius*, Senator Pariſienſis, & quam his verbis profert, in Epiſt. CLXXVI. „ Codex eſt, inquit, venerandæ antiquitatis, „ qui Scripturæ ſpeciem præfert ultra octingentos, vel etiam mille annos exaratæ. „ Locus autem habetur Apocalypſ. Cap. „ XIX, 10. & vulgò ita legitur: σύνδουλός „ σου εἰμὶ καὶ τῶν ἀδελφῶν σου τῶν ἐχόντων τὴν μαρ„ τυρίαν τοῦ Ἰησοῦ. τῷ Θεῷ προσκύνησον. Codex „ verò, quem jam verſo, legit in hunc „ modum: σύνδουλός σου εἰμὶ καὶ τῶν ἀδελφῶν σου „ τῶν ἐχόντων τὴν μαρτυρίαν. Ἰησοῦ τῷ Θεῷ προσ„ κύνησον. Quæ lectionis varietas non eſt ni„ hili. „ Nempe, vertendum eſſet, ex hac interpunctione: *conſervus tuus ſum & fratrum tuorum habentium teſtimonium. Jeſum Deum adora*; non, ut omnes Interpretes, *teſtimonium Jeſu. Deum adora.* Sed hanc eſſe veram interpunctionem oſtendunt ſequentia, & perpetuus Apoſtolorum ſtylus. Quo factum ut nemo alius tale quidquam ſomniarit. Nec ſanè à *Millio* ulla ſimilis lectio memoratur. Hoc in memoriam mihi revocavit duas interpunctiones ab *Eraſmo* excogitatas,

ad

ad Rom. IX, 5. *Ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem*, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας; *qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula.* Vellet aut ἐλεύσεται σιγμὴν ante ὁ poni, *ſecundùm carnem. Deus, qui eſt ſuper omnia, benedictus in ſæcula*; nempe, ſit; aut poſt πάντων, hoc modo, *qui eſt ſuper omnia. Deus benedictus ſit in ſæcula.* Sed ut Græculus, à quo deſcriptus erat liber *Sarravii*, invito Joanne, voluit nomen *Dei* Domino Jeſu tribuere: ita &, invito Paulo, cum titulum Chriſto detrahere conatus eſt *Eraſmus.* Utriusque conatus, inter depravationes, ex æquo haberi poſſunt: niſi quòd venia dignior eſt *Eraſmus*, quia conjecturam tantùm in Adnotationibus propoſuit; locum verò, in Tranſlatione ſua, non ſecus ac alii, interpretatus eſt.

16. Hæc ſunt depravationum manifeſta, niſi fallor, exempla; quæ tamen, ita rem adminiſtrante Divinâ Providentiâ, neminem fallere poſſunt, niſi qui ſponte falli velit; cùm antiquiſſimi Codices, & priſcæ Tranſlationes, & Scripta veterum Patrum ſatis oſtendant quæ ſit vera locorum, in nonnullis Codicibus depravatorum, lectio; ne jam doctrinam ac ſtylum Apoſtolorum memoremus. Non eſt Religio Chriſtiana res obſcura, & cujus neceſſaria capita obiter tantùm adtingantur in Apoſtolorum ſcriptis, aut difficulter ex aliis colligantur; ex quo intelligere licet, malâ manu, difficillimè eorum ullum ex hominum memoria deleri potuiſſe. Non moror hîc craſſas

Marcionitarum & aliorum depravationes, quæ ſtatim retectæ ſunt, & unà cum illis meritò irritæ atque explosæ interierunt.

CAPUT XVI.

De Mendis à Vetuſtate ortis.

1. CUM Vetuſtas inſcripta marmori atque æri monumenta innumera, aut prorſus abſumſerit, aut partim deleverit; nemo mirari poſſit, cur in libris, in membrana aut charta deſcriptis, ſint hodie vel plurium vocum, vel aliquot litterarum lacunæ. Negligentiâ Librariorum atramento non bene temperato utentium, aut etiam eorum qui libros, magno licèt ære emtos, interdum non ſatis diligenter adſervarunt, aliísque ejuſmodi caſibus, factum eſt ut in antiquiſſimis MSS. multa loca deſint, ac plurimæ voces mutilæ cernantur, & quæ cupidiſſimè legeremus ea avidos oculos noſtros fugiant. Quicumque Bibliothecas MSS Codicibus inſtructas luſtrarunt, facilè innumeros in iis vetuſtatis, omnia abſumentis, morſus animadverterunt; & frequentes ſunt virorum doctorum acerbiſſimæ, eædémque inaniſſimæ querelæ, cùm à MSS ſuis deſtituuntur, in iis locis, in quibus maximè eorum operâ indigebant.

2. Exſtat hanc in rem hiſtoria, apud *Strabonem*,

bonem, * digna quæ huc transferatur, quàmvis paullò prolixior ſit locus. Poſtquàm ergo dixit ab *Ariſtotele* Bibliothecam traditam eſſe *Theophraſto*, à *Theophraſto* verò relictam *Neleo*, ita pergit: ὁ δ' εἰς Σκῆψιν κομίσας τοῖς μετ' αὐτὸν παρέδωκεν ἰδιώταις ἀνθρώποις, οἱ κατέκλεισα εἶχον τὰ βιβλία οὐδ' ἐπιμελῶς κείμενα. ἐπεὶδὴ ὃ ἤσθοντο τὴν σπουδὴν τῶν Ἀτταλικῶν βασιλέων, ὑφ' οἷς ἦν ἡ πολις, ζητούντων βιβλία εἰς τὴν κατασκευὴν τῆ ἐν Περγάμῳ βιβλιοθήκης, κατὰ γῆς ἔκρυψαν ἐν διώρυγί τινι ὑπὸ ὑγρότητος ὃ σητῶν κακωθέντα ὀψέ ποτε ἀπέδοντο οἱ ἀπὸ τῦ γένους Ἀπελλικῶνι τῷ Τηΐῳ πολλῶν ἀργυρίων τά τε Ἀριστοτέλους καὶ τὰ Θεοφράστυ βιβλία: *Hic libros Scepſin tranſlatos poſteris ſuis reliquit, inductis hominibus, qui incuriè poſitos, ſub clavibus habuerunt. Cùm verò intellexiſſent ſtudium Attalicorum Regum, quibus Scepſis parebat, conquirentium libros ad inſtituendam Pergami Bibliothecam; ſub terra ſuos, in foſſa quadam, occultaverunt. Humore verò & blattis vitiatos, ſerò tandem qui ex ea erant ſtirpe, Ariſtotelis, Theophraſtique libros Apelliconti Teio, magnâ pecuniâ, vendiderunt.* Videntur timuiſſe Nelei heredes, ne Reges Pergameni ſibi theſaurum illum, nullo perſoluto pretio eriperent; quo metu factum eſt, ut eum terræ crediderint, ſicut aurum ſolent avari; donec emtorem invenirent, qui ſibi certam pecuniæ ſummam numeraret. At illâ cautione factum eſt, ut libri utriusque Philoſophi vitiati fuerint; fieri

* *Lib. XIII. 419. Ed. Caſaubonianæ Genevenſis.*

enim non potuit ut blattæ pergamenas non perfoderent; útque humor, atramento diluto, litteras & voces multas non deleret. Perpaucos quidem fuisse crediderim, qui ejusmodi thesauros in Græcia, aut in Italia, defodere cogerentur; sed in Bibliothecarum forulis jacentia volumina non minùs cœli humor, ac blattæ, tineæve corrumpere potuerunt; si fortè, ut fit, ædes non satis diligenter tectæ essent, aut si libri rarò inspicerentur. Sæpe natæ ex ejusmodi casibus lacunæ, nullo modo expleri potuerunt; aut si expletæ sunt, erranter explentium acumine, vetusto Scriptori voces tributæ sunt, quibus usus non fuerat.

3. Factum id in *Aristotelis*, *Theophrastique* operibus, docet in sequentibus *Strabo*, hisce verbis: ἦν δ' ὁ Ἀπελλικὼν φιλόβιβλος μᾶλλον ἢ φιλόσοφος. διὸ καὶ ζητῶν ἐπανόρθωσιν τῶν διεφθαρμένων, εἰς ἀντίγραφα καινὰ μετήνεγκε τὴν γραφὴν ἀνεπλήρων ἐκ οὗ, καὶ ἐξέδωκεν ἁμαρτάδων πλήρη τὰ βιβλία: *Erat autem Apellicon potiùs librorum studiosus, quàm Philosophiæ; itaque erosarum particularum quærens instaurationem, in nova libros transtulit exemplaria, lacunas non rectè implens, ediditque libros mendorum plenos.* Paullò pòst, postquàm dixisset veteres Peripateticos difficulter philosophatos, quòd carerent libris *Aristotelis* & *Theophrasti*, subdit: τοῖς δ' ὕστερον ἀφ' ὧν τὰ βιβλία ταῦτα περιῆλθεν, ἄμεινον μὲν ἐκείνων φιλοτοφεῖν καὶ ἀριστοτελίζειν, ἀναγκάζεσθαι μέν τοι τὰ πολλὰ εἰκότως λέγειν, διὰ τὸ πλῆθος τῶν ἁμαρτιῶν: *Posterioribus, ex quo hi libri*

libri fuerunt editi, facilius fuit philoſophari & Ariſtotelem auctorem ſequi; quamquam, ob mendorum multitudinem, cogebantur multa conjiciendo dicere.

4. Ejuſmodi ad nos pervenit, in Codice Alexandrino, Epiſtola *Clementis* Romani, in qua *Patricius Junius voces deperditas*, ut loquitur, *& litteras vetuſtate exeſas, interſtitiis adcuratiſſimè dimenſis, ſupplevit*, ſupplementáque minio exprimi curavit; ut facile ab iis, quæ in MS. Codice comparent, ſecernerentur. Eadem poſtea uncinulis clauſerunt *J. B. Cotelerius* & *Paul. Colomeſius*, in hujus Epiſtolæ editionibus, quas diu poſt Junianam emiſerunt. Nemo negarit quin ut plurimùm non malè ſuppleverit vir eruditus, cùm paucæ deſint litteræ, & loca multa ex LXX. Interpretibus proferantur.

5. Attamen in prima periodo graviſſimè offendit, habet enim: [Χάρις ὑ] μῖν κ᾽ εἰρήνη ἀπὸ παντο [κράτο] ρ῀ Θιῦ, διὰ Ἰησῦ Χριςῦ, πληθυνθείη, [ἐφ᾽ ὑ] μᾶν ἰδίως καὶ ἐπ᾽ ἀλλήλως: hoc eſt, illo interprete: *gratia vobis & pax ab omnipotente Deo, per Jeſum Chriſtum, in vobis ſingulis, ET mutuò erga vos invicem multiplicetur.* Quæ poſtrema verba ſoloœca ſunt, in Græcis & Latinis, ſenſúque carent. Conjicit in notis ἐφ᾽ ὑμᾶς ἰδίως, abſurdè. At qui adcuratiùs inſpexerunt Codicem Alexandrinum viderunt in eo legendum eſſe potiùs: [Δι α] ἰφνιδίως καὶ ἐπ᾽ ἀλλήλως γινομένας ἡμῖν συμφορὰς καὶ [παρεμπ] πώσεις: *Propter ſubitas & alias ſuper aliis,*

quæ nobis contigerunt, calamitates & caſus adverſos, &c. ita ut hæc ſint initium periodi.

6. Sed miror ſubjecta verba non fuiſſe emendata, cùm ſententia ipſa ſat manifeſta ad veram lectionem deduceret; ἀδελφοὶ βραδίσιον [δυσὸ] ἰζομεν ἐπισροφὴν ποιοιη [κὲι] αι περὶ τ ἐπιζητηθεμένων [πα] ε ἡμῖν πραγμάτων: vertit Junius: *fratres dilecti poſtulatis veſtris tardiùs nos animum adjeciſſe veremur*; legítque βραδίσιον. At ſupplementum vocis δυσοίζομεν durum eſt & coactum, nec ſenſum expeditiorem facit, præterquàm quòd vox rarior eſt. Sed *Junius* ait ſe *veſtigium minutiſſimum* τῦ Ο ante I vidiſſe. *Cotelerius* verò vertit: *fratres, tardiùs videmur convertiſſe animum ad eas res, quæ à vobis quæſitæ ſunt.* In margine ſuſpicatur prò δυσοίζομεν, legendum νομίζομεν, *judicamus*, quod non debuit vertere *videmur*. Legendum erat, βραδῖαν [δοκή] σομεν, hoc eſt, *ſerò videbimur ad animum revocaſſe*, ut βραδῖα ἐπιστροφὴ, ſit *ſera conſideratio*. Veſtigium τῦ Ο & I ſequens ſunt ſine dubio crura vicina ϰ Κ & Η. Senſus eſt perſpicuus, & ſeries orationis clara: *Propter ſubitas, & quæ aliæ ſuper alils nobis contigerunt calamitates, & caſus adverſos, fratres, ſeriùs videbimur ad animum revocaſſe quæ rogaveratis.*

7. Permulti alii exſtant veteres Scriptores, in quibus lacunæ ſunt; quæ nonniſi ope meliorum MSS. Codicum ſarciri queant; nec opus eſt nos exemplis adferendis immorari. Hoc potiùs monebimus, cùm à Librariis ſpa-

ſpatium ſemper relinqui oportuiſſet vacuum, pro numero litterarum, aut vocum, quas in MSS. deeſſe, ex litterarum forma, intelligere poterant, ſæpe eos nullum reliquiſſe, ne mutila exemplaria ſpernerentur, & minoris emerentur; aut ſummùm exiguum admodum, qualia videmus Aſteriſco in editionibus impleri. Sæpe etiam fugientes litterarum ductus, & partim deletos legere ac ſupplere infeliciter tentarunt. Viciſſim, aut Librarii aut Critici, ubi nulla erat, lacunam eſſe perperam ſuſpicati ſunt, & locis integris Aſteriſcum, ſeu omiſſionis notam, adpoſuerunt. Tria *Ciceronis* loca, hanc in rem, proferemus.

8. Primus eſt in V. Verrina, * ubi de ſupplicio capitis, quod à civibus Romanis ſumſerat Verres: *Paullò ante, Judices*, inquit, *in morte miſera atque indigniſſima navarchorum, lacrimas non tenebamus, & rectè ac meritò miſeriâ ſociorum commovebamur; quid nunc in noſtro ſanguine tandem facere debemus? Nam civium Romanorum ſanguis conjunctus exiſtimandus eſt; quoniam id & ſalutis omnium ratio* & VERITAS *omnium poſtulat.* Omnino videntur hîc tres primæ litteræ vocis deletæ, adeò ut maneret VRITAS; ex quo, omiſſâ lacunâ, factum eſt VERITAS, ſed legendum erat SECURITAS. Nempe, ut *ſecuri* omnes eſſent cives Romani, & negotia ſua tutò per univerſum Imperium gererent, nulli Magiſtratui Populi Romani licitum eſſe

* *Cap. LXVII.*

debuit eos in Provinciis agentes ſecuri percutere. Hiſce primùm editis, animadverti ita conjeciſſe *Franc. Hotomannum* & *Dionyſ. Lambinum*. Quorum conjectura haud paullò melior eſt, quàm eorum qui delent, contra fidem plerorumque Codicum, vocem *omnium*, & legunt *veritas*, quod interpretantur *juſtitia*.

9. Alter eſt in ſomnio Scipionis, * ubi poſtquàm hæc verba Africani ad ſe protulit: *Dictator Rempublicam conſtituas oportet, ſi impias propinquorum manus effugeris. Hîc*, ait Cicero, *cùm exclamaſſet Lælius, ingemuiſſéntque ceteri vehementiùs; quæſo, inquit, ne me è ſomno excitetis*, & PARUM REBUS, *audite cetera*. Hæc carent ſenſu, licèt ſint in omnibus MSS. exceptis duobus, in quibus, ſi *Ald. Manutio* credimus, legebatur *pax ſit rebus*, quod melius non eſt. Veſtigia veterum litterarum legerunt Librarii, ut potuerunt. Crediderim, donec melius quid edocear, lectum olim fuiſſe HIS PAVORIBUS: *ne me*, inquit, *è ſomno excitetis his pavoribus*, quia amici Scipionis pavidis animis exceperant quod de propinquorum inſidiis ſibi metuendis dixerat, atque exclamaverant. Poppæa in Octavia *Senecæ* verſ. 733.

Tandem quietem magnus excuſſit pavor.

Deïanira in Hercule OEtæo verſ. 395.

—— *Hic*

* *Cap. II.*

——— *Hic meum pectus timor*,
Altrix, laceſſit; hic rapit ſomnum pavor.

Apuleius Lib. II. p. 37. Ed. *Pricæi*: *Expergitus &* pavore *nimio perterritus*, & Lib. XI. initio: *experrectus* pavore *ſubito*. Unde liquet *pavorem* propriam eſſe, hanc in rem, vocem.

10. Tertius locus eſt mutilus, ſi ſtemus Criticorum judicio; quem propterea neceſſe eſt totum proferri, ut intelligere queamus an in eorum ſententia ſit nobis adquieſcendum. Sic ergo *Cicero*, Lib. I. De finibus Bon. & Malorum, c. 16. *Juſtitia reſtat, ut de omni virtute ſit dictum, ſed ſimilia ferè dici poſſunt. Ut enim ſapientiam, temperantiam, fortitudinem, copulatas eſſe docui cum voluptate, ut ab ea nullo modo nec divelli, nec diſtrahi poſſint: ſic de juſtitia judicandum eſt, quæ non modò numquam nocet cuiquam, ſed contrà ſemper adit aliquid tum vi ſuâ atque naturâ, quod tranquillet animos; tum ſpe nihil earum rerum defuturum, quas natura non depravata deſideret. Quemadmodum temeritas & libido & ignavia ſemper animum excruciant, & ſemper ſollicitant, turbulentæque ſunt: ſic ** cujus in mente conſedit, hoc ipſo quod adeſt, turbulenta non poteſt fieri*, &c. Alii ediderunt hunc locum cum Aſteriſcis, alii neſcio quæ ſupplerunt. Sed defendi ſunt Aſteriſci, & intelligenda *juſtitia*, de qua in ſuperioribus. Fefellit Criticos, quòd non animadverterint *ſic*, quando

quando res contrariæ comparantur, & anteceſſit *quemadmodum*, ſignificare idem ac *contrà*. Perinde eſt ergo, ac ſi *Cicero* dixiſſet: *CUM temeritas & libido & ignavia ſemper animum excrucient, & ſemper ſollicitent, turbulentæque ſint: CONTRA* juſtitia, *cujus in mente conſedit, eo ipſo quod adeſt, turbulenta* ea mens *non poteſt fieri, & ſi verò molita quidpiam eſt, quamvis occultè fecerit, numquam tamen confidet id fore ſemper occultum.* Vir, nimirum, juſtus poteſt, perturbatione quapiam animi, tranſverſus agi, ita ut ad occultum facinus adduci ſe patiatur. Sed poſtea, ſedato adfectu, redux juſtitia eum docet quid timendum ſit ejuſmodi facinore inquinatis.

11. Verùm ut ad vetuſtatis menda redeamus, ſacri ipſi Hebræorum libri vim ejus ſenſerunt; nec interceſſit Divina Providentia, quominùs nonnulla minùs neceſſaria, longinquitate temporis, vitiarentur. In ipſis Novi Fœderis Tabulis, ſimile quid contigit. Ut ὕστερον πρότερον, Homerico more, progrediamur, dubium eſſe nequit, quin in Teſſaradecadibus progenitorum Chriſti, Matth. I, 12. & ſeqq. deſit aliquid. Cum enim Evangeliſta moneat verſ. 17. tres eſſe eorum Teſſaradecadas, quarum primæ ultimus eſt David, ſecundæ Jechonias, ſuperſunt tantùm in ultima tredecim nomina, etiam comprehenſo Chriſto. Si locus ullus integer ad nos, Librariorum diligentiâ, pervenire debuit, is certè erat; quia Evangeliſta numerum progenitorum

torum Chriſti, in tres claſſes tributorum, indicarat. Attamen ea Evangeliſtæ cura non obſtitit quominùs, ab antiquiſſimis temporibus, hîc omitterentur nomina nonnulla; quod videtur ortum ex lacuna exemplaris venerandæ antiquitatis, quam ſequentium ætatum Librarii explere non potuerunt. De re ipſa vide dicta à nobis in additamentis ad *Henr. Hammondi* Adnotationes.

12. Lacunam eſſe liquet Gen. IV, 8. ex Samaritico Codice, Verſione LXX. Intt. & nota Maſſorethica, qua de re vide notata à nobis ad eum locum. Lacunæ etiam plures in Genealogicis Paralipoménon deprehenduntur, quarum præcipuas vide in Indice noſtro ad Libros Hiſtoricos V. T. Sed proferemus hîc aliud exemplum Pſalmi, dentibus ævi multò magis vitiati. Conferantur Pſalmi XIV, & LIII manifeſtum erit unum eumdémque eſſe Pſalmum, ſi comparentur quinque primi verſus & ultimus Pſalmi LIII. cum quatuor primis Pſalmi XIV. qui, non niſi perpaucis & exigui momenti varietatibus differunt. At magnum eſt diſcrimen inter verſus 4. & 5. Pſalmi XIV. & 6. Pſalmi LIII. Quæ verò ejus rei cauſa eſt? Nimirum, vetuſtas, quæ tria verba delevit ex Pſalm. XIV. & ſex alia vitiavit; quo factum, ut verba ejus Pſalmi careant ſenſu, & hiulca ſint, cùm Pſalmi LIII. verba ſint integra & pulcherrimam fundant ſententiam. Hæc primum adponam diſtincta in verſiculos, qualibus olim conſtabant Cantica Hebræorum, ut aliquando

do copioſiùs probabimus. Sic ergo habet Pſalmus LIII. verſ. 6.

שם פחדו פחד
לא היה פחד
כי אלהים פזר עצמות
חנן הבישתה
כי אלהים מאסם
מי יתן מציון ישועות :

Ibi pavore trepidabunt,
ubi non erat timor,
quia Deus diſſipabit oſſa
obſeſſoris tui; pudore eos adficies,
quia Deus eos repudiavit.
Quis dabit è Sione ſalutem?

Pſalmus eſt in Babylonica captivitate ſcriptus, ut ex ultimo verſu liquet, in quo Pſaltes Babyloniorum cladem vaticinatur & liberationem Hebræorum, quam propiorem eſſe optat. Quarto verſu, legendum הבישתם *bebiſchotham*, hoc eſt, *pudore eos adficies*, ob rationes grammaticas & metricas, quas hoc loco non dicam. At Pſalmo XIV. ita hic locus exprimitur :

שם פחדו פחד
כי אלהים בדור צדיק
עצת עני תבישו
כי יהוה מחסהו
מי יתן מציון ישועת :

Ibi

Ibi pavore tripidabunt,
quia Deus in generatione juſta.
Conſilium pauperis pudefacietis,
quia Jehova fiducia ejus.
Quis dabit è Sione ſalutem?

1. Hic omiſſus ſecundus verſiculus, qui legitur in verſione LXX. Intt. 2. ſequentia verba mirè corrupta ſunt, nam pro פור עצמות *diſſipabit oſſa*, eſt בדור צדיק עצת *in generatione juſta conſilium*; pro חנך הבישתם *obſeſſoris tui*, *pudore eos adficies*, עני תביש *pauperis pudefacietis*; denique pro אלהים מאסם *Deus repudiavit eos*, יהוה מחסהו *Jehova fiducia ejus.* Hebraïcè ſcientes facilè in hiſce verbis animadvertent litteras ejuſdem organi eſſe miſtas; atque hinc fortè depravatio loci cœpit, dein non ſatis integris ceterarum litterarum veſtigiis, Librarii ſenſum quem non inveniebant fecerunt. Quæ niſi ita ſe habere viderentur, facilè crederem ſecundum verſiculum omiſſum fuiſſe, ob repetitionem vocis פחד *phahhad*, cujus modi omiſſionum exempla adtulimus Cap. V.

13. Non opus eſt plura idgenus depravationum exempla proferre, cùm res ſit manifeſta; ſed Criticos meminiſſe oportet, ut diximus, ſæpe eſſe lacunas, ubi nulla ſunt in Codicibus earum veſtigia, & viciſſim. Res eſt in periculoſiſſimo emendandi ſtudio, niſi dextrè eo utamur, maximi momenti.

14. Cùm nemo Librariorum ab oſcitantia & lapſu fuerit immunis, dormitare & labi potue-

tuerunt etiam qui primi exſcripſerunt libros, ex quorum exemplaribus cetera omnia derivata iisdem vitiis laborarint neceſſe eſt. Locus eſt, hanc in rem, inſignis apud *Galenum* Comment. II. ad Lib. I. Epidemiorum, text. 83. p. 77. Tom. IX. Ed. Charterianæ, ubi poſtquàm è re ipſa probavit mendum eſſe in numero dierum Criticorum ab *Hippocrate* memoratorum, ſic porrò loquitur: ἐγχωρεῖ ᾗ κατ' ἀρχὴν αὐτὸς ὑπὸ τοῦ βιβλιογράφου τὴν λέξιν ἁμαρτηθεῖσαν φυλαχθῆναι, καθάπερ αἱ ἄλλαι πολλαὶ τοῦτο πεπόνθασι παρά τι τῷ Ἱπποκράτει καὶ ἄλλοις οὐκ ὀλίγοις: *fieri quoque poteſt ab initio ſtatim à Librario vocem vitioſè ſcriptam ſervatam eſſe, ut alias quibus idem contigit, cùm apud Hippocratem, tum alios non paucos.* De omni mendorum genere veriſſima hæc eſſe conſtat, ſed præſertim de lacunis, quæ non facilè ſuppleri poterant, ideóque omittebantur à Librariis, ne apographorum pretium, ut diximus, minueretur.

CAPUT XVII.

Leges emendandi.

I. MEMORATIS potiſſimis generibus mendorum, quibus ſententia veterum Scriptorum corrumpitur, & demonſtratis præcipuis rationibus, quibus ea menda irrepo-

pere potuerunt; nihil nobis agendum ſupereſt, niſi ut moneamus Criticum omnium eorum, quæ memoravimus, quàm peritiſſimum eſſe oportere, eáque animo obverſantia perpetuò habere; ut, quotiescumque poſtulabit uſus, viis indicatis, ad mendorum originem pervenire queat, eáque feliciter corrigere. Nos digitum dumtaxat ad fontes intendimus, ceteráque judicio ac diligentiæ Studioſorum permittenda duximus. Præterea noſtra hæc Ars ſtatuit variarum rerum cognitionem aliunde eſſe petendam; eam ipſa non tradit, quippe finibus quibus circumſcribitur excluſam. Exempli cauſâ, ars eſt ſingularis dignoſcendæ ætatis MSS. Codicum, déque eorum characteribus judicandi; quæ, ſi pro dignitate tractetur, juſto voluminì argumentum præbeat; qua de re, ut antea dixi, paucis, ad Latinos Codices quod adtinet, *Joan. Mabillonius*, in Diplomatica; ſed pluribus de Græcis *Bernard. de Montfaucon*, in Palæographiæ Græcæ egregio opere egit. Ut res ad perfectionem deduceretur, quibus ad manum ſunt Bibliothecæ MSS. Codicibus refertæ, eos id laboris ſuſcipere oporteret; nam ſine ingenti Codicum copia, & diuturna eorum tractatione, nihil, quod ſit operæ pretium, hac in re præſtari poteſt. Igitur hoc onere in otioſos Bibliothecarum cuſtodes rejecto, ſummatim tantùm rem adtigimus, & potiſſima characterum diſcrimina breviter perſtrinximus; ſatis eſſe rati, ſi litterarum ſtudioſis in animum revocaremus, quod à multis planè negligitur.

2 Hoc verò in loco, rectæ emendationis Leges feremus, quas ita æquas viſum iri confidimus, & uſquæ adeò rectæ Rationi, rerúmque naturæ conſentaneas; ut, ſine interceſſione, apud Populum Eruditorum, perferri eas poſſe ſperemus. Quod tamen ut faciliùs fieri queat, ſingulis breves interpretationes atque exempla cùm malè tentatarum emendationum, tum etiam neceſſariarum, ut videtur, ſubjiciemus; neque tamen invito cuiquam eas obtrudere cupimus.

3 Prima ergo, quod felix fauſtúmque ſit Reipublicæ Litterariæ, hæc erit: SI QUID MUTETUR, MUTATIONEM RES IPSA, ORATIONISVE SERIES, STYLUSVE SCRIPTORIS NECESSARIO POSTULATO. Hæc Lex tam pertinet ad emendationes ex MSS. Codicibus hauſtas, quàm à conjicientibus inventas; ſunt enim paſſim in MSS. Codicibus, ſive à Criticis, ſive à Librariis, aut cuicumque tandem caſui debeantur, graviſſima menda; quæ pro vera lectione, manifeſtò repugnante ſententiâ, aut Linguæ ingenio, aut Scriptoris ſtylo, ſtultum eſſet obtrudere; & quæ, in re clara, ne memorari quidem neceſſe eſt.

4 Igitur ſi quid occurrat, quod à Linguæ ingenio, ſtylóve Scriptoris prorſus non abhorreat, nec à ſententia, ſeriéve orationis ſit alienum; nulla eſt cauſa cur, conſentientibus Manuſcriptis omnibus Codicibus, veteribus Editionibus, Tranſlationibúsve, quidquam mutetur; præſertim ſi mutatio paullò major ſit. Alioqui latiſſima corruptionibus ape-

aperiretur feneſtra, ſi ut Scriptor paullò elegantiùs, ex Critici judicio, aut adcuratiùs loqueretur, liceret, omnibus reclamantibus Codicibus, quibuſvis quidlibet mutare. Quam legem, cùm in eam permulti Critici paſſim peccent, vix ullus, ex Criticorum acutiorum numero, frequentiùs perrupit, doctiſſimo viro *Tan. Fabro.* Quem præ ceteris adpellamus, non quòd ejus laudibus quidquam detractum cupiamus, qui permagni eum ſemper fecimus; ſed quia utilius eſt ejuſmodi peccata ex viro doctiore petere, & quem imitari poſſint Studioſi, quàm ex infimi ſubſellii Critico, qui cùm acutioribus deridiculo ſit, nemini exemplo eſſe poteſt. Alioqui nobis non deeſſent alii Critici, quos non neceſſariarum correctionum reos ageremus, idque eò potiore jure, quò confidentiùs ſomnia ſua nobis obtrudunt.

5. *Ovidius Triſtium* Lib. II. aliorum exemplis Scripta ſua amatoria excuſans hæc habet, inter alia multa idgenus, de Mimis, verſ. 499. & ſeqq.

In quibus adſiduè cultus procedit adulter,
Verbáque dat ſtulto callida nupta viro.
Nubilis hæc virgo, matronáque, vírque, puérque
Spectat & ex magna parte Senatus adeſt.
Nec ſatis inceſtis temerari vocibus aures,
Adſueſcunt oculis multa pudenda pati.
Cúmque fefellit amans aliquâ novitate maritum,
Plauditur, & magno palma favore datur.

Tum verò ſequitur :

Quóque minùs prodeſt, POENA eſt lucroſa Poëtæ,
Tantáque non parvo crimina Prætor emit.

Tan. Faber Lib. I. Ep. 37. contendit neminem, qui ultimi Diſtichi verſum priorem intelligat, reperiri poſſe; neminem, qui vitium lectionis vel fuerit ſubodoratus, umquam inventum fuiſſe; & poſtquàm alia ejuſcemodi præfatus eſt, ut finem faciat, ut ipſe loquitur, *κομπασμάτων*, audaci conjecturâ legit;

Quæque mihi pœnæ eſt, fraus eſt lucroſa Poëtæ,

ut dicat *Ovidius*, quæ res Mimographis lucroſa ſolet eſſe, eam ſibi pœnæ fuiſſe. Non diffitemur ſenſum hunc ineptum non eſſe, & *Ovidio* dignum; ſed eſt & alius non minùs commodus, atque ex quo licet verba, quemadmodum leguntur in omnibus MSS. Codd. & Editionibus, interpretari. Nimirum, ut Gallica vox *peine*, quæ eſt ex Latina *pœna* derivata, ſignificat & *laborem* & *ſupplicium*: ſic etiam Latina, non ſupplicii modò ſignificatu, qui proprius & frequentiſſimus eſt, ſed & laboris apud Veteres occurrit. Hoc vult ergo Ovidius, *que la peine la moins utile, eſt celle qui rapporte le plus de profit au Poëte.* Intelligit, nempe, Mimos, qui jocoſas & ſæpe amatorias hiſtoriolas complectebantur,

& qui

& qui tamen carò à Prætoribus interdum emebantur, ut ludis ſcenicis populi gratiam ambirent. Videbimur fortè, primâ fronte, temerè ex Gallica Lingua Latinam interpretati; ſed audiatur ipſe *Ovidius*, ſui optimus interpres, in Epigrammate præfixo Libris Amorum:

Qui modò Naſonis fueramus quinque libelli,
Tres ſumus, hoc illi prætulit auctor opus.
Ut jam nulla tibi nos ſit legiſſe voluptas,
At levior demtis P O E N A duobus erit.

Manifeſtum eſt poſtremum verſum verti Gallicè oportere: *mais vous aurez moins de peine, le nombre de mes livres étant diminué de deux.* Igitur erravit vir doctiſſimus, qui exiſtimavit rem ipſam poſtulare locum *Ovidii* mutari; cùm ſenſus ejus ſit commodiſſimus, qualis à nobis antea expoſitus eſt. Scio à *Nic. Heinſio* emendatum priorem locum, hoc modo: *Quóque minus prodeſt; ſcena eſt lucroſa Poëtæ*; vel: *Nec minùs & prodeſt ſcena, & lucroſa Poëtæ eſt.* Sed eum confutat poſterior locus. Novi etiam eſſe, qui poſteriore loco *pœnam* interpretentur *ſupplicium*; at ei ſignificationi locus hîc non erat. *Supplicium* dici poſſit lectio Poëtæ, quem invitus legas, ſed *Ovidius* ab invitis, credo, legi noluiſſet; & Vates, ſi qui alii, de ſuis operibus non ita malè ſentiunt, ut *ſupplicium* ſe ſumere putent de iis quibus ea legenda, ſi ita videatur, præbent. Itaque præſtat agnoſcere jam, tempore *Ovidii*, vocem *pœna* in tralatitiam illam

ſignificationem, quâ nunc uſurpatur in Linguis è Latina prognatis, deflectere ſenſim cœpiſſe.

6. Tentemus verò nos emendationem proferre, quam res ita poſtulet, ut nullâ ratione aliter conſtet ſententia. Eſt locus non modò obſcuriſſimus, apud *Virgilium*, ſed etiam abſurdus; prout nunc legitur, qui propterea à nemine, quod ſciam, intellectus eſt. Exſtat IV. Georgicorum, incipſtque à verſ. 286. ubi ita Poëta Ægyptum deſcribit:

Nam quà Pellæi gens fortunata Canopi
Adcolit effuſo ſtagnantem flumine Nilum,
Et vehitur pictis circum ſua rura phaſelis.

Quibus in verſibus omnia clara ſunt, ſed ſequuntur hæc verba:

Quáque pharetratæ vicinia PERSIDIS
urget,
Et viridem Ægyptum nigrâ fœcundat arenâ,
Et diverſa ruens ſeptem diſcurrit in ora
Uſque coloratis amnis devexus ab Indis.

An ergo *Perſidem* vicinam *Ægypto* credidit *Virgilius*? Quamvis alibi in Geographicis peccarit, non credo tamen, in tam inſignium regnorum & uſque adeò remotorum ſitu, peccare non indoctum ſanè Poëtam potuiſſe. Deinde quænam hæc eſt ſtructura, *quà vicinia Perſidis urget & fœcundat viridem Ægyptum nigrâ arenâ*, &c? Manifeſtum hæc poſterio-

riora verba referenda esse ad Nilum, ideóque repetendum fuisset *&* *quà*. Sed nomine usus erat *Virgilius*, quo superiorem Ægyptum significabat, vero quidem illo, at quod, cùm vulgò ignotum esset, à Librariis in notius mutatum est. Legendum omnino, ut quidem videtur:

Quáque pharetratæ vicina **PATHYRIDIS** *urget*
Et viridem Ægyptum, &c.

Pathyris est Thebaïs, quæ Hebræis dicebatur *Pathros*, quod efferunt LXX. Intt. Παθύρης & Φαθώρης. Hinc in ea *Plinius* memorat *Phaturitem* Nomum, & *Ptolemæus* urbem *Pathyrin*; ut copiosè docet *Sam. Bochartus*, in Phalego Lib. IV. c. 27. Hanc oram vocat Virgilius *pharetratam*, quia horum tractuum incolæ multùm utebantur arcu; quod multis testimoniis demonstravit idem vir summus, Capite antecedente.

7. Hæc positâ lectione, omnia plana sunt. Nilus non modò inferiorem Ægyptum rigat, sed etiam *vicina Pathyridis* loca *urget*, hoc est, exundantibus aquis premit, & arctiora facit. Sic *Lucanus*, de portu Herculeo, Lib. I. vers. 406

Quáque sub Herculeo sacratus nomine portus
Urget rupe cavâ pelagus.

Idem *viridem Ægyptum nigrâ arenâ fœcundat*, hoc est, virentem pascuis & arboribus

Ægyptum limo nigro fertiliorem reddit. Idem *diſcurrit in ſeptem ora*, ſive oſtia. Idem *devexus* fluit *uſque coloratis Indis*, hoc eſt, uſque ab Æthiopum ſole aduſtorum agris; nam conſtat Veteres *Indiam* vocaſſe interiorem Æthiopiam. Vide *Socratem* Hiſtoriæ Eccleſ. Lib. I. c. 19.

8. *Tan. Faber* Epiſt. Critic. Parte II. Ep. ultimâ, eſſe luxationem exiſtimat in Cap. X. Epiſtolæ ad Romanos, rem edoctus à *Stephano Gauſſeno*, qui poſtea S. Theologiæ Profeſſor in Academia Salmurienſi fuit, vúltque verſum 17. tránsferri poſt 21. quòd ſit hæc totius orationis conclulio: Ἄρα ἡ πίστις ἐξ ἀκοῆς, &c. *Ergo fides ex auditu eſt.* At orationis ſeries non eò ſpectat, quò putat vir doctus, neque enim Paulus hoc probare nititur, quod nemo negabat, nemo negare poterat, *fidem*, nempe, eſſe *ex auditu*; ſed hoc ſe concedere ait, ideóque ἄρα vertendum eſt hoc in loco *certè*, ut jam dudum obſervavit *Hugo Grotius*; cujus adnotationes conſultas eſſe oportuit, ſi non à *Fabro*, qui fortè rariùs hujuſmodi libros inſpiciebat, ſaltem à *Gauſſeno*, qui Theologiæ operam eo tempore dabat.

9. Ex additamentis noſtris ad *H. Hammondi* Adnotationes in Novum Teſtamentum, huc transferemus conjecturam de loco obſcuro 1. Cor. V, 12. ubi poſtquàm Paulus dixit ſe non vetuiſſe quominùs Corinthii verſarentur familiariter cum Ethnicis, ſed tantùm cum iis qui Chriſto nomen cùm dediſſent, mo-

moribus eum abnegabant, ait : τί γάρ μοι καὶ τοὺς ἔξω κρίνειν ; οὐχὶ τοὺς ἔσω ὑμεῖς κρίνετε ; τοὺς δὲ ἔξω ὁ Θεὸς κρίνει καὶ ἐξαρεῖτε τὸν πονηρὸν ἐξ ὑμῶν αὐτῶν. *Quid enim mihi & eos qui foris ſunt judicare ? nonne eos qui intus ſunt vos judicatis ? qui verò ſunt foris Deus judicat ; & tolletis malum ex vobis ipſis.* Veterum Codicum, Tranſlationum, & Interpretum auctoritas, quæ varia nobis proponit, ipſáque adeò orationis ſeries ſatis oſtendunt eſſe aliquid hîc corruptum ; quod facillimè intelligent quicumque *Grotium* & *Hammondum*, ad hunc locum, conſulent. Nemo intellexerit hanc conſtructionem, τί μοι κρίνειν ; nam quod dicunt eſſe, *quid ad me attinet exteros judicare ?* id ſine exemplo ſimilis loquutionis adfirmant. Præterea conjunctio καὶ, quæ intercedit, duriſſimam facit orationem ; qua de cauſa deeſt in Codice Alexandrino, & omiſſa eſt à Syro & Latino Interpretibus. Attamen eſt temerè reſecta, potéſtque ad veſtigia veteris lectionis nos deducere, quæ hæc fuiſſe videtur : τί γάρ μοι καὶ ΤΟΙΣ ἔξω ; ΚΑΙ ΜΕΝΟΥΝΓΕ τοὺς ἔσω ὑμεῖς κρίνετε. τοὺς δὲ ἔξω ὁ Θεὸς κρίνει. καὶ ἐξαρεῖτε τὸν πονηρόν : *Quid enim mihi & iis qui foris ſunt ? At vos quidem judicate eos, qui ſunt intus ; eos verò, qui ſunt extra, Deus judicat ; & tolletis malum è vobis.* Primò, loquendi genus eſt Scriptoribus Sacris frequentiſſimum : *quid mihi & tibi* ; quod perinde eſt ac ſi dixeris : ſatage rerum tuarum, meas ipſe curabo, ut liquet ex Matth. VIII, 29. Joan. II, 4. Senſum hunc hîc eſſe oportet : meum non eſt

curare Ethnicorum mores, qui nondum Evangelio crediderunt. Deinde ex καὶ μενοῦν γε non difficulter factum κρῖναι οὐχὶ, quia in ſequentibus verbis bis occurrit verbum κρίνειν. Particula μενοῦν γε eſt particula adverſativa, quâ non infrequenter utitur Paulus. Vide Rom. IV, 20. X, 18. Phil. III, 8. Planiſſimus autem eſt ſenſus, cùm vulgatæ lectionis interrogatio duriſſima ſit, & ab hoc loco aliena: *annon vos judicatis de iis, qui intus ſunt*? Si dixiſſet Paulus: non meum eſt de iis, qui apud vos ſunt, judicium ferre, *annon vos de iis judicatis*? eſſet ſenſus aliquis, quamquam alienus ab hoc loco, & leniùs fluceret oratio; ſed, prout jacet, ſeries verborum impediriſſima eſt. Tertiò, quod ſequitur, τοὺς δὲ ἔξω, *de extraneis verò*, oſtendit antecedere debuiſſe, cùm hîc ſit manifeſta τοὺς ἔξω καὶ τοὺς ἔσω oppoſitio, M E N, ſeu QUIDEM; quod continetur in καὶ μενοῦν γε, nam μενοῦν idem eſt ac μὲν οὖν; imò verò ita ſcribendum eſſet, judice *H. Stephano*. Quartò, καὶ ἐξαρεῖτε conjungitur manifeſtò cum κρίνετε, *judicate & tolletis*. Verba interpoſita non ſunt, ut nonnulli volunt, parentheſi claudenda; quia membrum hoc: *de extraneis verò Deus judicat*, opponitur, ut dixi, antecedenti, non per parentheſin inſeritur.

10. *Tan. Faber* Ep. XXI. Secundæ Partis, exiſtimat in mendo cubare locum 1. Cor. C. VIII, 10. ἐὰν γάρ τις ἴδῃ σε, τὸν ἔχοντα γνῶσιν, ἐν εἰδωλείῳ κατακείμενον, οὐχὶ ἡ συνείδησις αὐτοῦ

αὐτὸ εἰδωλεῖον ὄντα ΟΙΚΟΔΟΜΗΘΗΣΕΤΑΙ εἰς τὸ εἰδωλόθυτα ἐσθίειν : *ſi quis enim viderit te, cognitione præditum, in Idoleo accumbere, nónne conſcientia ejus, qui infirmus eſt, ædificabitur ad edendum ea quæ ſunt Idolis mactata.* Scilicet, ut putat, *ædificare* alibi nuſquam legitur, niſi ubi de virtute ſermo eſt, ita ut *ædificare* quempiam ubique ſit eum in ſtudio virtutis confirmare. Hinc colligit à Paulo eam vocem hîc uſurpari non potuiſſe, ubi de vitio ſermo eſt; ideóque legit ὁδοποιηθήσεται, *in viam inducetur*, nam ὁδὸς quidem tam in deteriorem partem trahitur, quàm in meliorem.

11. Ingenioſam hanc eſſe conjecturam, ut ſunt pleræque omnes viri doctiſſimi, nemo negaverit; at priuſquàm locus mutandus cenſeatur, videndum quæ ſit propria, quæ tralatitia ſignificatio vocis οἰκοδομεῖν, tum quæ huic loco conveniat, ánve uſpiam ſimili ſenſu occurrat. Quod ubi fecero, liquebit locum hunc perperam ſuſpectum haberi. Primùm οἰκοδομεῖν, *ædificare*, propriè eſt jactis fundamentis ſtructuram imponere; unde factum ut tralaticio ſignificatu dicatur de animi profectu ad virtutem quod adtinet, poſſítque perinde dici de animi depravatione; adeò ut *ædificare aliquem*, ſignificet virtutes ejus, aut vitia augere. In propria vocis ſignificatione, aut in ejus ad alium ſignificatum tranſlatione, nihil eſt quod poſteriori uſui repugnet. Secundò, vocis hæc media ſignificatio, quâ tam de vitiorum, quàm de virtutum

tutum augmento, intelligitur, huic loco optimè convenit. Aliud enim non vult Paulus, nisi hominem infirmum & imperitum, auctoritate & exemplo doctioris, audaciam sumturum, & frequentius ac liberiùs sacris illis conviviis, quæ in Idoleis celebrabantur, interfuturum. Tertiò, verbum Hebraïcum בנה *banah*, hoc est, *οἰκοδομεῖν*, in conjugatione passiva de malis æquè ac de bonis occurrit, eo quem diximus sensu. Sic Malach. III, 14, 15. inducit Deus Israëlitas dicentes: *inane est Deum colere; quid emolumenti nobis fuit, quòd observaverimus id quod observari vult, & quòd coram Jehova Deo exercituum tristes incesserimus? Nunc verò beatos prædicamus superbos; imò facientes iniquitatem* נבנו nibnou, *ædificati sunt; imò tentaverunt Deum, & incolumes evaserunt.* LXX. Intt. *ἀτοικοδομῆνται ποιοῦντες ἄνομα*, hoc est, improbitas eorum aucta est rebus secundis, eò quòd, neglectis Dei præceptis, feliciores ipsis bonis fuerunt. Simili planè metaphora, & quidem in sequiorem partem, usus est *Plautus* in Trinummo Act. I. S. 2 vers. 95.

——— *dare te in manus*
Argentum amanti homini adolescenti, animi impoti,
Quî EX ÆDIFICARET suam inchoatam ignaviam?

& *Xenophon* Educ. Cyri Lib. VIII. c. VII, 3. de fratrum conjunctione loquuus: *ἐπὶ τοῦ-*

ταῦτα ἐνθὺς οἰκοδομεῖτε τὰ φιλικὰ ἔργα; *hisce inædificate fraternas actiones.* Hæc, nisi fallor, satis ostendunt stylum Pauli non postulare ut quidquam hîc mutetur.

12. Inter minùs necessarias emendationes eas etiam habemus, quæ inventæ sunt ut Scriptor, qui alioqui malè mentem non expresserat, elegantiùs tantùm, aut argutiùs loquatur; quis enim unquam Scriptor singulas periodos ita expolivit, meliùs ut numquam res exprimi posset? Quis etiam hodie tantùm sibi tribuat, ut judex priscæ elegantiæ haberi velit, ad cujus palatum omnia sint exigenda, &, si quæ displiceant, refingenda? Si quis usque adeò fatuus sit, ut reverâ sunt nonnulli, prudentioribus omnibus ludibrium debet. Exemplum insigne adferam è *Galeno*, unde constet sanioribus palatis intempestivas argutias semper displicuisse. Est locus Libri VI. Epidemiorum *Hippocratis*, text. II. ubi sic loquitur: ψυχῆς περίπατος φρονὶς ἀνθρώποισι: *animæ ambulatio cogitatio*, aut *meditatio hominibus*; hoc est, ut putabant plerique ejus Interpretes, quod ambulatio est corpori, id est, animo meditatio; seu mens exercetur meditatione, ut corpus ambulatione. Arguta sanè & elegans sententia, nec spernenda, si in *Sexti* Philosophi sententiis legeretur At eam, post *Dioscoridem* repudiavit *Galenus*, cujus hæc sunt verba è Comment. V. in eum librum p. 523. Tomi IX. Ed. Charterianæ: κακοζήλως δὲ τῆς ἑρμηνείας ἔσης, εἰκότως αὐτὴν ὁ Διοσκορίδης φυλατόμενος, οὐ περίπατον ἔγραψεν, ἀλλὰ

πρὸσ-

προσβὰς τὸν γραμμα περὶ παντὸς, ὥστε γινέσθαι τὴν λέξιν τοιάνδε· ψυχῆς περὶ παντὸς φροντὶς ἀνθρώποις, ἵν' ᾖ δηλούμενον ἐξ αὐτῆς, περὶ παντὸς τοῖς ἀνθρώποις ἀσκητέον ἐστὶ τὸν λογισμόν. αἱ γάρ τοι διανοήσεται ὀνομάζονται φροντίδες: *cùm autem adfectata ea enarratio ſit, meritò ab ea Dioſcorides ſibi cavens ſcripſit non* περίπατον, *ſed additâ* ν *litterâ,* περὶ πάντων, *de omnibus, ut ſit ejus ſenſus, hominibus exercendam ratiocinationem, nam mentis ratiocinationes* φροντίδες *adpellantur.* Quod probat exemplis ex *Ariſtophane* depromtis.

13 Igitur fixum & ratum nobis ſit oportet, nullam admittere emendationem; quaſi certam; quæ non ſit prorſus neceſſaria, hoc eſt, quam non res, non orationis ſeries, non ſtylus Scriptoris, qui emendatur, poſcat; ita ut tria illa ſimul mutationem efflagitent, aut certè duo, vel unum. Quæ ſi diligenter obſerventur, non facilè, niſi imperiti, aut legum ſpretores, qui imperitis deteriores ſunt, manum medicam ſanis locis admovebunt. Sarta tecta antiquiorum lectionum auctoritas, nemine eam temerè violante, ſic manebit.

14. Secunda Lex hæc erit: OMNIS EMENDATIO LINGUÆ INGENIO AUT SCRIPTORIS STYLO CONSENTANEA ESTO. Ad ſuperiorem Legem, diximus Scriptoris ſtylo efflagitari oportere emendationem; quam neque res ipſa, neque orationis ſeries commendant. Quæ Lex ſi æquiſſima eſt, quod in dubium revocari poſſe non

non videtur; ſequetur nihil reponi oportere, in oratione veterum Scriptorum, quod conſentaneum non ſit ingenio Linguæ, quâ uſi ſunt, aut ſingulari illorum ſtylo. Unde intelligere licet à nemine periculoſam hanc emendandi artem exerceri oportere, qui longam & diligentem operam non poſuerit, & in addiſcendis Linguis, & in cognoſcendis ſingulorum Scriptorum ſtylis; quod tamen non obſtitit quominùs multa temerè ſint mutata, aut mutatione digna judicata à viris doctiſſimis; at nimiâ ingenii ſui fiduciâ fretis.

15. Sic *Joſ. Scaliger* fruſtra voluit emendare Marc. IX, 49. πᾶς γὰρ πυρὶ ἁλισθήσεται, *omnis igne ſalietur*, quaſi legendum eſſet πᾶσα πυριὰ, quod reſpondeat voci Hebraïcæ אשה *iſſcheh*, quæ ſignificat *oblationem igne abſumendam.* Vox ea Græca non eſt, quod ei meritò viri doctiſſimi objecere. At fingi, inquit, potuit, ut exprimeretur Hebraïca. Atqui fingi neceſſe non erat, cùm uſitatiſſima vox, quâ Hebraïcæ tota vis adcuratè exprimeretur, non deeſſet; quam miror *Scaligero* memoriam, quâ pollebat tenaciſſimâ, illico non ſuppeditaſſe. Ἔμπυρον Græci, quaſi *ignitam*, ejuſmodi oblationem vocabant. Nihil dicemus de ſenſu loci, quem explicare conati ſumus in additamentis *H. Hammondi* adnotationum.

16. Ante aliquot annos lis nobis interceſſit cum viro docto *Joan. Harduino*, cui elegantem *Plinii* editionem debemus, de ejuſmodi emendatione. *Plinius* Hiſt. Nat. Lib. XXXV.

XXXV. c. 11. inter nobiles pictores, ita de Alcimacho loquitur: *Alcimachus Dioxippum* (pinxit) *qui pancratio Olympia, citra pulveris tactum* (*quod vocant aconiti*) *vicit. Cœnus Stemmata.* Verùm *Claud. Salmasius*, in Solinianis Exercitationibus, conjecit *Cœnus scammata*, sed emendationis suæ nullam rationem reddidit. *Joannes* verò *Harduinus* utramque lectionem repudiat, quòd neque pictoris nomen sit *Cœnus*, nec satis idoneum picturæ, quale hîc requiritur, argumentum *stemmata*, & multò minùs *scammata*. Legit ergo *coniti Nemeæa*, & bellè ludum ludo, victoriæ victoriam opponi censet. *Cum Olympiis*, inquit, *Nemeæa confert, & facili ac sine pulvere victoriæ alteram laboriosiùs comparatam.* Non dicam hanc emendationem nimiùm recedere à vestigiis veteris scripturæ; nec *coronas* quidem, seu *stemmata* esse aptum picturæ argumentum; *Cœnum* verò esse nomen Græcum, quo vocari potuerit pictor minùs celebris, qui corollarum tantùm pingendarum arte excelluerit, ac proinde ab aliis non sit memoratus. Quâ arte excelluit etiam Pausias, de quo *Plinius* Lib. XXXV. c. 11. *Amavit in juventa Glyceram municipem suam, inventricem coronarum, certandóque imitatione ejus, ad numerosissimam florum varietatem perduxit artem illam. Postremò pinxit illam sedentem cum corona, quæ è nobilissimis ejus tabula adpellata est* Stephanoplocos, *ab aliis* Stephanopolis &c. Non dicam, tam audacem conjecturam in contextum orationis recipi

ciri non debuiſſe. De ſola voce *coniti* loquar, quam Græcam eſſe negavi; quod & etiamnum pernego, nec *Harduinus* potuit probare.

17. Dixeramus rectè facturum fuiſſe virum doctum, ſi protuliſſet Scriptorem Græcum, qui dixiſſet κονιτὶ, nam quamvis utantur Græci voce ἀκονιτὶ, *ſine pulvere*, ideò non ſequi uſitatam fuiſſe ſimplicem κονιτί. Eodem ſenſu, dicunt Græci ἀνιδρωτὶ, *ſine ſudore*. ἀμαχητὶ, *ſine pugna*; ἀναιμακτι, *ſine ſanguine*; ſed nemo dixit, ἰδρωτὶ, μαχητὶ & αἱματὶ. Repoſuit ille exſtare hanc vocem in *Etymologico Magno*, ubi ratio originis vocis ἀκονιτὶ ita redditur: ἀπὸ τῦ κόνις κονιτὶ, καὶ ἀκονιτὶ, ἄνευ ἀγῶνος καὶ μάχης. Reſpondimus, ex eo loco *Etymologici*, colligere non poſſe virum eruditum κονιτὶ umquam in uſu fuiſſe. Solere, nimirum, Etymologos, ut rationem derivationis clariorem reddant, fingere alia vocabula, quæ numquam uſitata fuere. Satis habere eos, ſi modò ea vocabula, quæ ſunt veluti derivationis gradus, ſint analogica; quamvis non rarò etiam analogiæ parum conſentanea ſint. Rem eſſe notiſſimam omnibus, qui Etymologica tractarint. Protulimus etiam multa exempla vocum compoſitarum ex A privativo; quæ cùm ſint uſitatiſſimæ, nullas tamen habent Græci ſimplices uſitatas. Vide in *Etymologico* voces ἀάσχετος, ἀνάρσιος, ἀνίδη, ἀνύστακτος, ἄνοια, ἄπαστος, ἄσωτος, ἄσωτος, ἀτρικὴς, ἀχύτος, &c. quorum ſimplicia numquam uſitata fuerunt.

18. Satius multò fuiſſet, in Pliniano contextu, veterem lectionem retinere, cùm MSS. nulli proferantur, qui eam repudient; conjecturam verò in emendationibus modeſtè proponere. *Cœnus* potuit, ut dixi, eſſe Pictor, qui pingendis *ſtemmatibus*, ſeu coronis floreis, famam ſibi compararit; aut, ſi non fuit, feratur potiùs commenticius *Cœnus*, quàm novâ corruptione adulteretur Pliniana oratio.

19. Ut ad Criticum, à quo jam aliquot exempla παραδιορθώσεων ſumſi, redeam; locum ille *Lucretii*, jam corruptum, denuo corrumpere conatus eſt; non inſcitiâ quidem, aut quòd eum Poëtam non legiſſet ſtudioſè, quem notis egregiis illuſtravit; ſed feſtinatione fortaſſe aliquâ, aut nimiâ emendandi cupiditate. Quærit *Lucretius* Lib. VI. quare autumno frequentiora ſint tonitrua, & ita orditur, in vulgatis Codicibus:

Autumnóque magis ſtellis fulgentibus alta
Concutitur cœli domus undique, totáque tellus.

In animadverſionibus ad *Phædri* Lib. III. primùm emendare conatus eſt *Faber* hunc verſum, deinde etiam in Lucretianis; nam emendationes, quas eximias putabat, non uno in loco ſolebat proferre vir doctiſſimus. Quærit meritò à Lectore quid hoc ſit, *domus cœli & tellus concutitur ſtellis fulgentibus*? Nec minùs rectè reſpondet, præter ſonum

&

& ſublimitatem verborum, nihil quidquam frugis eſſe. Tum pro *ſtellis* legit *telis*, & *tela fulgentia* interpretatur fulmina. At in ea voce non eſt mendum, ſed in voce *alta*; pro qua, auctore ipſo *Lucretio*, legendum *apta*. Eſt à veteri verbo *apo*, vel *apio*, hoc eſt, adligo, vinculis comprehendo; de quo vide quæ collegit *Ger. Joan. Voſſius*, in Etymologico. *Lucretii* tantùm, & *Virgilii* loca proferemus. *Lucretius* ergo ita Lib. II.

Quod quoniam docui, pergam connectere rem,
quæ
Ex hoc apta fidem ducat.

Quem verſum paullò poſt repetit. Sic & Lib. V.

——— *Nil lædit veſte carere*
Purpurea, atque auro ſignisque ingentibus
apta.

Hoc eſt, cui adnexa ſunt, vel intexta ingentia ſigna. Alia loca vide in Indice Gifaniano. Sed de cœlo, hoc ipſum verbum adhibuerat *Ennius*, * qui id vocaverat *ſtellis ardentibus aptum*, quod tribus in locis imitatus eſt *Virgilius*:

Axem humero torquet ſtellis ardentibus
aptum.

* *Macrob. Lib. VI. c. I.*

Verſus eſt 482. Libri IV. Æneidos, qui & VI. & XI. repetitur. Dubium jam nullum eſſe poteſt, quin ita ſit legendum apud *Lucretium*, qui non dicit quidem quâ re concutiatur *domus cæli*; ſed tonitrua facilè omnes intelligi ſentiunt.

20. Emendabimus hîc locum *Lactantii* Inſt. Div. Lib. III. c. 17. depravatum ab imperitis, quòd Lactantiano ſtylo parum eſſent adſueti. Quiſquis eum Scriptorem edere cum aliqua laude volet, non minùs *Ciceronem* legat oportebit, & melioris ævi Scriptores, quàm ipſum *Lactantium*; eos enim perpetuò imitatur. Exemplum manifeſtum hîc dabimus, in vocula depravata à Theologis, qui *Lactantium* ediderunt, quòd boni viri parum eſſent purioris Latinitatis periti. Confutat *Lactantius* hanc ratiocinationem Epicuri: *Quando nos ſumus, mors non eſt; quando mors eſt, nos non ſumus. Mors ergo nihil ad nos.* Poſtquàm oſtendit *Lactantius* mortem non eſſe miſeram, ſed aditum ad mortem, qui propterea timetur, ita pergit: *Quid, quòd totum illud argumentum falſum eſt, quia non intereunt animæ? VERE, inquit, nam quod cum corpore naſcitur, cum corpore intereat neceſſe eſt.* Verba hæc poſtrema Epicuri, quomodo voce *verè* cum ſuperioribus connectantur, nemo intelligat. Itaque *Sixt. Betuleius* legit, *intercunt vero, inquit*; quod admittendum cenſet Oxonienſis editor. Addit Bodleïanum & Cottonianum Codices habere *verum*; quæ etiam lectio, eo judice, ſtare poteſt,

teſt, ſi intelligatur *Lactantius* reſponſionem hanc, ſub Epicuri perſona adornare, qui *verum* putavit animas interire. At hæc lectio Codicum, & conjectura *Betuleji* inanes ſunt. Legendum *verò*, quod Monachi, exſcriptores *Lactantii*, neſciverunt initio orationis poni, æquè ac poſt aliam vocem; quod exemplis *Ciceronis* & *Terentii* comprobari poteſt. Illud *verò* perinde eſt ac adfirmatio, ſeu *imò verò*, quod optimè convenit huic loco, ubi loquitur Epicurus. *Terentius* in Adelphis, Act. III. S. 4. verſ. 23.

—— *DE. An quidquam eſt ampliùs?*
HE. Verò *ampliùs.*

Cicero Tuſcul. Quæſt. Lib. II. cap. 11. M. *Fuiſti ſæpe credo, cùm Athenis eſſes, in Scholis Philoſophorum.* A. Verò *ac libenter quidem.* Idem de Divinat. Lib. I. c. 46. *L. Flaccum flaminem Martialem ego audivi, cùm diceret Cæciliam Metelli, cùm vellet ſororis ſuæ filiam in matrimonium collocare, exiſſe in quoddam ſacellum, ominis capiendi cauſâ, quod fieri more Veterum ſolebat. Cùm virgo ſtaret, & Cæcilia in ſella ſederet, neque diu ulla vox exſtitiſſet, puellam defatigatam petiiſſe à matertera, ut ſibi concederet paulliſper in ejus ſella requieſcere; illam autem dixiſſe:* verò, *mea puella, tibi concedo meas ſedes.*

21. Tertia Lex hæc eſt: RATIO DEPRAVATIONIS, SI FIERI POTEST, REDDITOR. Cùm, nimirum, vide-

videmus quî fieri potuerit ut locus depravaretur, aut quid Librarios aut Falsarios eò adducere potuerit, ut locum depravarent; faciliùs corruptum esse, & quæ emendatio adhiberi possit intelligimus. Contrà si intelligere nequeamus, quare in certum modum deformatus fuisset locus quispiam; nisi depravatio manifesta sit, vix eam cernimus, & de emendatione multò magis laboramus. Attamen eæ occurrunt interdum depravationes, quarum vix ulla ratio reddi potest. Harum exempla adtulimus Cap. XIII. corruptionum verò, quarum aliqua sequi, ut ita dicam, possumus vestigia, reliquis Capitibus, si à tertio numeres. Itaque vix opus est ut alia, ad suadendam hanc Legem, proferamus. Attamen duo quàm brevissimè proponemus.

22. Capite XII. §. 2. adduximus locum Ciceronis de Historia, in quo pro voce *veterum*, legendum esse *nostrarum* contendimus, nec mutamus sententiam; sed rationem, seu occasionem depravationis, cujus in animum non venerat, cùm illa ederentur, hîc trademus. Videtur primùm oscitans Librarius, pro *nostrarum* scripsisse *vestrarum*, ob soni & significationis adfinitatem, aut etiam ob similitudinem ductuum. Sic observavit *G. Sciopius*, in MSS. Codicibus Plauti, *nos*, *vos*, *vostrum* & *nostrum* sæpissimè misceri. Cùm verò vocis *vestrarum* nullus esset sensus, hoc in loco, Grammatici ex en fecisse videntur *veterum*, quod tam manifestò ineptum non est.

23. Egre-

23. Egregiè, ſi quid judico, probarunt doctiſſimi Critici *Joan. Frid. Gronovius* & *Joan. Georgius Grævius*, mendoſum eſſe locum *Ciceronis* Officiorum Lib. I. c. 1. ubi filium à Cratippo Peripatetico Philoſophiam diſcentem ita adloquitur: *Sed tamen noſtra leges, non multùm à Peripateticis diſſidentia; quoniam utrique & Socratici & Platonici eſſe volumus.* Legit *Gronovius*, *utrumque*; & *Grævius* præterea cenſet pro *Socratici*, ſcribendum *Stoïci.* Sed quomodo hæc irrepere potuerint menda non docent; quod hoc modo factum crediderim. Librarius primùm ſcripſerat: *utrumque* & STCI & PTCI * *eſſe volumus*, quæ compendia perperam alii intellexerunt; dein *utrumque* mutatum in *utrique*, quia mentem *Ciceronis* ita ceperunt, quaſi hoc vellet; & Peripateticos, quorum doctrinâ imbuebatur ejus filius à Cratippo; & Academicos, quos ipſe ſequi ſolebat, velle eſſe & Socratis & Platonis diſcipulos. Quod alienum tamen eſt ab hoc loco, ubi de ſe tantùm loquitur *Cicero*, ut rectè animadverterunt viri docti. Verùm ut pro *Socratici*, legendum eſſe *Stoïci*, meritò cenſet *Grævius*: ita & alterum compendium explicaverim *Peripatetici.* In hiſce enim libris, Cicero ubique eſt aut *Stoïcus*, aut *Peripateticus*; nuſquam Academicus, aut *Platonicus*, quod perinde habetur. Fatetur ipſe non multò pòſt, † *ſequi ſe, hoc quidem tempore, & in hac quæ-*

* *Exempla compendiariæ ſcripturæ vide Cap. XII.*
† *Ibid. Cap. II. Vide & Lib. III. c. 4.*

ſtione, *potiſſimùm Stoicos*, & *Panætium* Stoïcum paſſim laudat. Ideóque Stoïcos primos adpellavit. Tantùm abeſt ut præcepta ulla à ſuis Academicis deſumat, ut vereatur ne cui inconſtans videatur, quòd Dogmaticorum placita in hoc libro ſequeretur. * *Occurritur*, inquit, *nobis, & quidem à doctis & eruditis, quærentibus, ſatísne conſtanter facere videamur, qui, cùm percipi nihil poſſe dicamus, tamen & de aliis rebus diſſerere ſoleamus & hoc ipſo tempore præcepta officii perſequamur.* Nec aliter ei objectioni reſpondet *Cicero*, niſi ſe *quæ ſibi probabilia videantur, ſequi; quæ contrà, improbare*; hoc eſt, ſe hîc ſequi Stoïca dogmata, quod in rebus Ethicis probabiliora viderentur. Planiùs ipſe mentem ſuam interpretatur † alibi, ubi hæc verba leguntur: *Exit autem hæc formula Stoicorum rationi, diſciplinæque maximè conſentanea; quam quidem his libris propterea ſequimur, quod, quamquam à veteribus* Academicis, & *à* Peripateticis *veſtris, qui quondam iidem erant, quæ honeſta ſunt anteponuntur iis, quæ videntur utilia; tamen ſplendidiùs hæc ab iis diſſeruntur, à quibus quidquid honeſtum eſt, idem utile videtur: nec utile quidquam, quod non honeſtum; quàm ab iis quibus honeſtum aliquid non utile, aut utile non honeſtum. NOBIS autem noſtra Academia magnam licentiam dat, ut, quodcumque maximè probabile occurrat, id noſtro jure liceat defendere.* Itaque in hiſce li-

* *Lib. II. c. 7.*
† *Lib. III. c. 4.*

libris, *Cicero* non vult esse Academicus, quasi Academicorum singularem doctrinam tueatur; sed Stoïcus, nam Stoïca dogmata, cum bona Academiæ pace, hîc tradit.

24. Igitur cùm *Cicero* ait, *nostra leges*, non intelligenda sunt Academica, quæ nusquam in præceptis ejus comparent, & quæ dicere non potuisset *non multùm à Peripateticis dissidentia*, aut * *iis finitima*; sed *Stoica*, quæ in hoc libro sequitur, pro suo, ut putat, jure, propterea que sua ea vocat. *Antiocho* olim † *Ciceronis* familiari non immeritò Stoïci visi sunt cum Peripateticis re concinere, verbis disceptare; sed toto cœlo diversi erant ab Academicis. Cùm & Stoïci & Peripatetici certas atque æternas leges esse putarent, quibus Virtutis natura continetur; quod ubique in libris de Officiis ponit *Cicero*, quia nulla esse potest præceptio, nisi hoc statuatur; Academici contendebant hæc omnia pendere ex hominum institutis, quæ varia sunt. ‡ *Carneadis* notissima est disputatio de Justitia, quam Romæ habuit, cùm Legatus ad Senatum ab Athenienses missus esset. Ejus disputationis, ut docet *Lactantius*, hæc summa fuit: „ Jura sibi homines, pro utilitate, sanxisse; „ scilicet, varia, pro moribus, & apud eos- „ dem, pro temporibus, sæpe mutata; jus „ autem naturale esse nullum; omnes & ho- „ mines & alias animantes ad utilitates suas, „ naturâ ducente, ferri; proinde aut nullam „ esse Justitiam; aut, si sit aliqua, summam

 „ esse

* *Lib. II. c. 2.* † *Vid. Lib. I. De Nat. Deorum. C. 7.*
‡ *Institut. Divin. Lib. V. c. 16.*

„ eſſe ſtultitiam, quoniam ſibi noceret, alie-
„ nis commodis conſulens. His certè nulla eſt cum Ciceronianis adfinitas. Quæ paullò pluribus oſtendenda fuerunt, ut adpareret neceſſitas emendationis noſtræ, in loco Ciceroniano, neu quis exiſtimaret Academicorum doctrinam Peripateticæ finitimam eſſe.

25. Quartam hanc Legem, ut audaciæ Criticorum frænum injiciatur, ſanciendam eſſe cenſeo: NE ULLA EMENDATIO A LECTIONE VETERUM CODICUM NIMIUM RECEDITO. Quam legem niſi ſibi latam eſſe intelligant Critici, nihil non audebunt; nullus enim modus erit conjecturis, ſi voces vocibus ſubſtituantur diſſimillimæ. Loca multa varias voces, ac ſententias æquè admittunt; quæ erunt planè alienæ à mente Scriptorum, ſi nulla ratio habeatur veteris ſcripturæ. Huic Legi ſuffragatur *Galenus* proœmio Comment. I. ad Lib. VI. Epidemiorum, ubi, poſtquàm dixit *Hippocratis* Interpretes ejus verba interdum mutaſſe, ideóque plures, quos nominibus adpellat, ſe coactum fuiſſe legere, ita porrò infit, pag. 354. Tom. IX. Ed. Chart. εἰ μὲν ἓν μετὰ τὸ δηλῶσαι τὴν παλαιὰν γραφὴν ἔλεγον ἡμαρτῆσθαι τὴν λέξιν, εἰκὸς ἦν ἂν καὶ διὰ τοῦτο ἐπινοεῖν αὐτὰς τὴν Ἱπποκράτους γραφὴν εἶναι τὴν δέ τινα, ἂν ἀπιδιξάμην αὐτὰς, εἴ γε μετὰ τὴν ἐπανόρθωσιν, ἰώμην διδάσκοντάς τι χρήσιμόν τι ἅμα καὶ τῆς γνώμης ἐχόμενον τῆ παλαιᾷ: *Si illi quidem, indicatâ vetere ſcripturâ dicerent vitioſè ſcriptam*

tam esse vocem, par esset propterea excogitare quænam esset Hippocratis scriptura; eósque probarem, si post emendationem aliquid utile docerent & sententiæ veteris magistri consentaneum. Tum addit: ἐπεὶ δὲ ἐνίοτε καὶ ἄμφω σφάλλονται, πολὺ βέλτιον ἔδοξέ μοι φυλάττοντι τὴν ἀρχαῖαν γραφὴν, αἰεὶ μὲν σπουδάζειν ἐκείνην ἐξηγεῖσθαι, μὴ δυνηθέντι δέ ποτε τοῦτο πρᾶξαι, πιθανὴν τὴν ἐπανόρθωσιν αὐτῆς ποιεῖσθαι: *quoniam verò aliquando in utroque labuntur, satius multò mihi visum est servantem antiquam Lectionem, semper conari eam interpretari, si vero non possem hoc facere, probabili aliquâ eam castigatione emendare.* Idem vehementer reprehendit *Dioscoridem* & *Capitonem* Editores *Hippocratis*, quod veteres lectiones nimis facilè mutarent, Comment. III. in eumdem Librum, ad text. 33. Vide etiam Comment. IV. ad text. 21.

26. Exemplum insigne violatæ hujus Legis à viro docto protulimus §. 15. & sequentibus. En alterum * *Tan. Fabri*, qui corruptum censet locum *Ovidii*, vers. 25. & seqq. Eleg. IV. Lib. III. Tristium, ubi agit de præcepto Sapientum, quod ita exprimit:

Crede mihi, bene qui latuit bene vixit, &
intra
Fortunam debet quisque manere suam.

Tum hæc subjicit exempla:

Non foret Eumedes orbus, si filius ejus
Stultus

* *Lib. I. Ep. 37.*

Stultus Achilleos non adamaſſet equos;
Nec natum in flamma vidiſſet, in arbore natas,
CEPISSET genitor ſi Phaëthonta Merops.

Exiſtimat pro *cepiſſet*, legendum *flexiſſet*, id eſt, à ſententia deduxiſſet, à propoſito avertiſſet, detorſiſſet. Verùm ductus litterarum CEP & FLEX nimiùm differunt, & conſtat ex editione Heinſiana in MSS. legi *cepiſſet*. Ac ſanè ita poſtulat ſententia, hoc enim vult *Ovidius*, Meropem non ſatis amplâ dignitate ornatum viſum fuiſſe filio Phaëthonti, ſuperbiâ & ambitione perdito. Sic Alexandrum *non capiebat Macedonia*, imò ne *terrarum* quidem *orbis*. Cùm domuiſſet Bucephalum, ita eum adloquutus dicitur Philippus: * Ὦ παῖ, ζήτει σεαυτῷ βασιλείαν ἴσην. Μακεδονία γάρ σε οὐ χωρεῖ: *O fili, quære par tibi regnum, Macedonia enim te non capit.* Simili ſenſu de Clodio *Cicero*, in † Miloniana: *capere ejus amentiam civitas, Italia, provinciæ, regna non poterant.* Metaphora eſt à nimis anguſto vaſe deducta, fateórque eam aptiùs de locis uſurpari, quàm de hominibus; attamen *Ovidius* ea, paullò fortaſſe duriùs, uſus eſt; cùm loqueretur de patre, quo major ſibi videbatur filius. Sed non ſunt omnes paullò duriores Metaphoræ, etiam in aureæ ætatis Scriptoribus, pro mendis habendæ.

27. Idem

* *Plutarchus in Alexandro.* † *Cap. XXXII.*

27. Idem * Lib. I. de Arte Amatoria verſum, contra Codicum omnium conſenſum, mutare adgreſſus eſt, exiguâ ſimilitudinis litterarum ratione habitâ; at, niſi fallor, infeliciter. Docet *Ovidius* potiùs eſſe promittendum, quàm dandum, his verbis, verſ. 447.

Si dederis aliquid, poteris ratione relinqui;
Præteritum tulerit, perdiderítque nihil.

Poſteriore verſu quidquam ſignificari negat, & ita emendari jubet :

Nam pretium tulerit, reddiderítque nihil.

Verùm fallitur, hoc enim vult Poëta: cùm acceperit quidquid potes dare, te non ſine ratione relinquet, quia præteriti temporis dona acceperit, nec in futurum quidquam perdiderit; quando nihil erit quod des ampliùs, ut facilè intelliget.

At quod non dederis ſemper videare daturus,
Sic dominum ſterilis ſæpe fefellit ager.

Sequentia idem comprobant, quæ, ſi de re honeſta ſermo eſſet, pluribus perſequeremur.

28. Lib. II. ejuſdem Operis, ita legimus in editione Heinſiana, verſ. 109.

Sic licèt antiquo Nireus adamatus Homero,
Naiadúmque tener crimine raptus Hylas.

At

* *Lib. I. Ep. 52.*

At Criticus noſter * ſcribit *laudatus Homero*, quòd *Homerus* Nirea *laudare* quidem, ſed multò antiquiorem *amare* non potuerit. Verùm impropriè loqui potuit *Ovidius*, nec, ut tollatur ἀκυρολογία, à lectione Codicum uſque adeò abeundum eſt. Si omnes loquutiones minùs propriæ, aut minùs commodæ eſſent ex optimorum Scriptorum monumentis exterminandæ; innumeris propemodum locis, contra omnium Codicum fidem, vis eſſet adferenda. Nullus enim eſt Scriptor, qui non ſæpe potuerit aptiùs loqui, quàm loquutus eſt; ſeu incuriâ ita mentem expreſſerit, ſeu animo laboranti commodior alia, ut fit, loquutio non occurrerit.

29. Antea ſat multa exempla congeſſimus conjecturarum, quibus quàm minimâ mutatione locis obſcuris, aut manifeſtò depravatis medicina facta eſt. Eas autem omnium optimas & certiſſimas eſſe judicamus, ex quibus omnium minima mutatio facta eſt. Unum atque alterum exemplum hîc addemus. *Plauti* Caſinâ, Act. III. S. I, 1. nequiſſimus ſenex ita ſodalem non meliorem adloquitur:

Nunc amici, ámne inimici ſis imago, Alceſime,
Mihi ſciam; nunc ſpecimen ſpecitur, nunc certamen cernitur.

Manifeſtum eſt Stalinonis hanc eſſe mentem: tempus adveniſſe, rémque incidiſſe, ex quibus intellecturus erat an Alceſimus amicus ſibi reverâ eſſet, an verò fictus tantùm amicus.

* *Lib. 1. Ep. 54.*

cus. Sed *inimici imago* non eſt amicus fictus; nam ut diceretur *imago amici* qui ſe amicum fingeret, quamvis eſſet inimico animo: ita *imago inimici* vocaretur, qui ſimularet ſe inimicitias cum aliquo exercere, licèt ei amicitiâ conjunctus eſſet. *Imago inimici* opponitur vero inimico: ut *imago amici* vero amico. Legendum igitur puto:

Nunc amicúsne, ánve amici ſis imago, &c.

Hoc eſt, utrum verus ſis amicus, an fictus & externâ tantum ſpecie amicus. Homo ineptus, qui non intelligebat quid ſit *amici imago*, & credebat inimicum tantum opponi amico, mutavit *amici* in *inimici*.

30. Alterum exemplum dabimus ex Comico Græco. *Ariſtophanes* in Concionatricibus, ita inducit Praxagoram deſcribentem lucernam, in loco obſcuro lucentem. Sunt primi Comœdiæ verſus, in quibus duo ſunt menda; quæ tamen nullo negotio tolli poſſunt, & miror à *Tan. Fabro* non fuiſſe ſublata.

Ὦ λαμπρὸν ὄμμα τῦ τροχηλάτυ λύχνυ,
Κάλλις' ἐν ευσκόποισιν ἐξητημένον.

Vertit vir doctiſſimus: *O lucidum jubar lychni rotâ figulinâ elaborati, tenebroſis in locis adprimè expetitam.* Legit, nempe, εὐσκόποισι, ſed nullum exemplum profert ullius Scriptoris, qui uſus ſit ea voce, quam fruſtra in

Lexi-

Lexicis quæras. Deinde κάλλιστα ἐξητημένον Græcum non eſt, hoc ſenſu; quis enim umquam dixit κάλλιστα pro *adprimè*, aut σφόδρα? Retinenda eſt vox εὐσκόποισι, & vertendum, *in locis conſpicuis*; quia lucernæ ſuſpenduntur in edito quopiam loco, qui ex toto conclavi cerni queat, ut earum lux ubique ſpargatur. Tum ἀντὶ τοῦ ἐξητημένον legendum, ut viri docti viderunt, ξηρτημένον, *ſuſpenſum*. Sic ergo emendato, ut dicat Praxagora: *ô jubar pulcrè ſuſpenſum in editis locis.*

31. Pergit verò, his verbis:

Γονάς τε γὰρ σὰς κὴ τύχας δηλώσομεν.
Τρόχῳ γὰρ ἐλαθεὶς κεραμικῆς ῥύμης ἄπο,
Μυκτῆρσι λαμπρὰς ἡλίου τιμὰς ἔχεις.

Originem enim tuam, fortunásque exponemus, nam rotâ ductus, ô lychne, figuli labore, unoquoque in naſo ſplendidos ſolis honores habes. At quodnam hoc monſtrum eſt? Lucerna quæ *habet honores ſolis*; vel, ut vir doctiſſimus, ſolem imitatur *unó quoque in naſo*! An ergo *naſo* videbant olim Athenienſes? Lege μυχοῖσι, hoc eſt, *in abditis penetralibus*, in quibus lux ſolis non cernitur; qua voce utitur poſtea Comicus, ſed obſcœniore ſenſu. In ejuſmodi locis, quales erant fornices meretricum, lucerna *obtinet honores ſolis*, quia ejus vice fungitur. *Heſychius*, atque ex eo *Phavorinus*: Μυχοὶ, αἱ κατατύσεις, οἱ ἐνδότατοι

τοι

τοὶ καὶ ἀπόκρυφοι τόποι. Ejuſmodi erant κοιτῶνες, ſeu penetralia, in quibus cubabant Patres & Matres familias. *Homerus* Odyſſ. Γ. verſ. 402. de Neſtore:

Αὐτὸς δ' αὖ τι καθεῦδε μυχῷ δόμου ὑψηλοῖο,
Τὸ δ' ἄλοχος δέσποινα λέχος πόρσυνε καὶ εὐνήν:

Ipſe vero dormivit in receſſu domûs altæ, eíque uxor hera lectum præparaverat & cubile. Ad quæ verba, obſervat *Euſtathius Homerum* vocare τὴν ἐνδοτάτω θάλαμον καὶ μυχὸν δόμου, *interiorem partem thalamum & receſſum domûs. Odoardus* quidem *Biſetus*, μυκτῆρα interpretatur prominentiam lucernæ, cui imponitur ellychnium; ſed ſine exemplo. Præterea non ſatis adtendit hanc loquutionem τιμὰς ἔχειν ἠλίου, quæ perinde eſt ac *æquiparari ſoli*, vel eoſdem honores obtinere; quod non poteſt conjungi cum μυκτῆρσι, ſed optimè μυχοῖς convenit. Dura eſt & inamœna loquutio: *habeas in prominentiis ſplendidos honores ſolis*, an ergo ellychnia ardentia ſunt *honores ſolis*? Non puto. Nec dixeris lampadem διὰ τῶν μυκτήρων, hoc eſt, ellychniorum in prominentiis ardentium ope, ſolis honorem obtinere, & hoc eſſe quod ſignificatur voce μυκτῆρσι. Durum & obſcurum eſſet loquendi genus. Si Codices, ex quibus primùm editus eſt *Ariſtophanes*, habuiſſent μυχοῖσι, nemo

de mutando cogitaſſet, omnes illico rem intellexiſſent; ſed nemo non offendatur lectione receptâ, ſi paullò adtentiùs eam penſitet. Itaque lego μυχοῖσι, quidquid aliis videatur, nec tamen in ipſo contextu quidquam mutatum velim.

32. Hiſce ad illuſtrationem quartæ Legis congeſtis, ad quintam deveniendum eſt, quæ ita habet: MSS. CODD. NON SUSPECTI ALIIS PRÆFERUNTOR. Duo ſunt quæ MS. Codicem commendant, antiquitas & Librarii, à quo fuit deſcriptus, Criticíve, à quo emendatus, fides & peritia. Antiquiſſimi Codices ceteris meritò (niſi quid obſtet, de quo poſtea dicemus) præferuntur, cùm quòd ſcripti ſint temporibus, quibus plures erant Linguæ peritiores; tum etiam quòd minùs, imperitiâ vel malâ fide Librariorum, aut Criticorum, inquinati ſint. Ea enim proximè præteritis ſæculis, utrorúmque fuit inſcitia; ut ii ferè ſint corruptiſſimi Libri, qui per plurium manus ad nos pervenerunt: haud aliter ac aqua, per plures rivos derivata, fonte ipſo impurior eſt. Librarii verò & Critici fides & eruditio facilè adparent ex ipſis Manuſcriptis, ſi à viris non prorſus imperitis tractentur. Sunt enim multò emendatiores libri, qui eorum curâ deſcripti, atque emendati ſunt.

33. Igitur malè de re litteraria merentur, déque Lectoribus ſuis, qui antiquiſſimos Codices non ſequuntur, potiùs quàm recentiores. Cujus rei inſigne exemplum adtulimus ex

ex Cap. V, 1. Epiſt. Joannis, antea Cap. XV. 1. ubi verba de Teſtibus Cœleſtibus, quæ abſunt ex vetuſtiſſimis Codicibus, in pleriſque editionibus leguntur, & propugnantur à Theologis Criticæ imperitis, aut qui quærunt quod optant, in Libris, non quod iis ineſt.

34. Suſpectos tamen eſſe oportet Codices, qui nimiùm à ceteris omnibus recedunt, præſertim in locis, in quibus eſt aliqua difficultas; cùm mutandi rationes fuerunt, nullæ verò ſcribendi ea quæ in aliis MSS. Libris comparent. Exempli cauſâ, Codex ille Græco-Latinus * Novi Teſtamenti, qui *Th. Bezæ* fuit, aliſque ſimiles qui in Bibliothecis viſuntur, licèt antiquiſſimi, ſuſpecti ſint neceſſe eſt; quia ſunt in illis clara audaciorum mutationum veſtigia. Genealogiam Chriſti, ut unum hoc exemplum adferam, quæ eſt Matthæi Capite I. totam refinxerunt ii, à quibus primùm ſcripti ſunt, ex Luca, contra reliquos omnes Codices & Interpretes, qui eam apud Matthæum habent, qualem nos hodie. Nemo dubitare queat, quin imperiti & audaces homines Matthæum corruperint, ut eum in concordiam cum Luca redigerent; cùm nulla fuerit aliis ratio aliam fingendi genealogiam, apud Matthæum, ab ea quæ erat apud Lucam. Præterea paſſim illi Codices abeunt à ceteris, ut loquutiones ſint puriori Helleniſmo magis conſentaneæ, quod ſexcentis locis probare poſſemus. At nemo dixerit Græcos Libra-

* Pag. 307. & ſeqq.

rios ſtylum Apoſtolorum, nimis ἑλληνίζοντας, ſtudio compleſſe Hebraïſmis, quos ignorabant; ſed malè ſani Græculi potuerunt, ut auribus ſuorum conſulerent, Hebraïſmis Helleniſmos ſubſtituiſſe. Igitur hi aliſque Codices, in quibus frequentes ſunt ejuſmodi loquutiones, malas manus experti judicari à nobis debent.

35. Suſpecti quoque debent eſſe ii Codices, ſi qui ſint, qui certum in finem laudantur à viris de quorum fide non ſatis conſtat, præſertim ſi ſint manifeſta depravationis indicia. Dicitur * *Petrus Fagiardus Veleſius*, Marchio Hiſpanus, contuliſſe ſexdecim Codd. Græcos, quorum octo aiunt fuiſſe in Bibliotheca S. Laurentii, in Hiſpania. Illi autem ita conſentiunt cum Vulgata verſione Latina, ut in omnibus locis, in quibus à ceteris Codicibus recedit, ei adſtipulentur: imò verò habeant additamenta quædam, quæ videntur ex Latinis verſa. Sic Apoc. IX, 11. habet Vulgata: *habebant ſupra ſe Regem, Angelum Abyſſi, cui nomen Hebraïcè Abaddon, Græcè autem Apollyon*; quæ leguntur in omnibus Græcis Codicibus, ſed, in Latinorum gratiam, addidit: *Latinè habens nomen exterminans.* Quæ verſa ſunt Græcè, ῥωμαϊϛὶ ἔχων ὄνομα ἐξτέρμινανς. Si fuerint umquam in rerum natura ejuſmodi MSS. fuerunt ad Vulgatam Verſionem reficti; ſed veriſimillimum eſt hominem Hiſpanum, Latinæ Verſionis cauſâ, finxiſſe eas va-

* Joan. Mariana, *pro Ed. Vulgata C. XVII. Varias illas lectiones habet etiam* Lud. de la Cerda *Adverſ. Cap. XCI.*

varias lectiones, quæ nuſquam erant; cùm nemo, præter illum, eos Codices videre potuerit.

36. Huc pertinet quod quæri ſolet, de delectu variarum lectionum quæ in MSS. paris vetuſtatis & æquè emendatis, animadvertuntur. Sæpe enim variæ lectiones occurrunt, quæ omnes cum re ipſa, ſerie orationis, & ſtylo Scriptoris conſentiunt, ex quibus tamen una eligenda eſt. Si omnia ſint paria, non multùm quidem intereſt quæ eligatur; ſed ſi una ex iis obſcurior ſit, ceteræ clariores, tum verò credibile eſt obſcuriorem eſſe veram, alias gloſſemata, ut Cap. VII. oſtendimus. Similiter ſi quæ ſit lectio, quæ in uno Codice occurrat, difficultatémque tollat, quæ inſit loco, prout in ceteris omnibus Codicibus legitur, non illico eſt admittenda. Verendum enim eſt, ne emendatio ſit Librarii aut Critici, qui ex conjectura quod non adſequebatur mutaverit, aut quod mendum opinabatur ſuſtulerit. Hujuſmodi eſt lectio MS. Codicis, cujus meminit *T. Beza* ad Matth. C. I, 11. nam cùm omnes Libri & Interpretes habeant: Ἰωσίας δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰεχονίαν καὶ τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ, ἐπὶ τῆς μετοικεσίας Βαβυλῶνος, habet ille Codex: Ἰωσίας δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰακὶμ, Ἰακὶμ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰεχονίαν, καὶ τοὺς, &c. Quam lectionem veram & genuinam putabat *Theod. Beza*, ſi modò legamus: Ἰωσίας δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰακὶμ, καὶ τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ, Ἰακὶμ δὲ ἐγέννησε Ἰεχονίαν ἐπὶ τῆς, &c. quomodo ipſa hiſtoria poſtulat, & trium Teſſaradecadum numerus

expletur. Sed cùm nullus alius Codex, nullus vetus Interpres cum eo consentiat, multò verisimilius est hanc esse Critici conjecturam; quod & postea sensit ipse *Beza*, qui quod in prioribus editionibus in contextum admiserat, in posterioribus induxit.

27. Sexta lex erit: LOCO MSS. CODD. VETERUM CITATIONES, AC VETERES TRANSLATIONES, ADHIBITIS CERTIS CAUTIONIBUS, SUNTO. Si ex citationibus Veterum & priscis Interpretibus, constet locum quempiam aliter lectum fuisse, quàm hodie legitur; dubium esse nequit, quin ea sit varia lectio ceteris æquiparanda, aut etiam anteferenda, si meliùs rei, & stylo Scriptoris conveniat. Verùm ad testimoniorum citationes quod adtinet, duo sunt animadvertenda, nimirum, sæpe Veteres ex memoria loca recitare; quo fit ut synonyma synonymis facilè substituant, & in ordine verborum nonnihil mutent. Deinde eos sæpe sensum, potiùs quàm verba ipsa, proferre. Qua de re egimus in Dissertatione de Editione Novi Testamenti Millliana, quæ ei quæ in Hollandia prodiit præfixa est. Itaque varietas citationum non potest semper urgeri, quasi varietas lectionis, quæ esset in Codicibus, quibus Veteres utebantur. Ad Translationes verò quod spectat, cavendum ne conjecturas Interpretum, de sensu aut lectione locorum, varietate lectionis niti putemus. Passim sensum exprimunt conjiciendo, exiguámque verbo-

borum rationem habent; nec proinde ſemper colligere poſſumus eos aliter legiſſe quàm nos, quia aliter vertunt.

38. At quando ergo, inquies, licebit ex citationibus aut interpretibus variam lectionem certò colligere? Ex citatione liquebit aliter lectum fuiſſe, cùm is qui ea utitur ex verbis quæ protulit ita ratiocinatur, ut ex verbis aliter prolatis eadem conſectaria deduci non poſſint; aut cùm verba quàm maximè ad rem ſuam facientia prætermittit, ut alia ex eodem loco minùs firma producat. Exempli gratiâ, conſtat plurimos Patres, ut obſervarunt doctiſſimi quique Interpretes, non legiſſe quod in pleriſque Editionibus habetur de Teſtibus Cœleſtibus 1. Ep. Joan. Cap. V. quòd iis verbis, in diſceptationibus contra Arianos, numquam utantur, quamvis proferant quod de Teſtibus Terreſtribus habetur. Exempli cauſâ, *Gregorius Nazianzenus* Orat. XXXVI. reſpondens Arianis, qui negabant tres æquales Deos unum dici poſſe, non parum ſudat ut oſtendat quî ita loqui licuerit. * Tum profert locum de terreſtribus teſtibus, altero de cœleſtibus numquam utitur, quo tamen potuiſſet os Arianis obturare.

39. Idem de aliis Patribus obſervare licet. At *Cyprianum* objiciunt, qui in Libro, de Unitate Eccleſiæ, ita loquitur: *De Patre & Filio & Spiritu Sancto ſcriptum eſt, & hi tres unum ſunt.* In Epiſtola verò LXXIII. ad Jubajanum: *Si —— templum Dei factus eſt,*

* *Pag.* 603. *T.* 1.

quæro cujus Dei? Si Creatoris, non potuit qui in eum non credidit; ſi Chriſti, nec hujus poteſt fieri templum, qui negat Deum Chriſtum; ſi Spiritûs Sancti, cùm tres unum ſint, *quomodo Spiritus Sanctus placatus ei eſſe poteſt, qui aut Patris, aut Filii inimicus eſt?* Hinc nonnulli putant liquere *Cyprianum* legiſſe in exemplari ſuo, quemadmodum in editionibus hodiernis legimus. At * alii rectè animadvertere, credibile non eſſe lecta ea verba eſſe à *Cypriano*, nec tamen ab *Auguſtino* Arianis ævi ſui objecta. Certè nemo crediderit unum *Cyprianum* ea verba habuiſſe in ſuo exemplari; aut etiam alios, licèt ea legerint, numquam iis, in graviſſima controverſia, cui dirimendæ ſummopere inſervire poterant, uſos eſſe. Quid ergo de verbis *Cypriani* ſtatuemus? Nimirum, quod iidem viderunt, Carthaginienſem Epiſcopum aptaſſe Patri, Filio, & Spiritui Sancto verba verſûs octavi, & *hi tres unum ſunt*, † ſic enim in Vulgata Latina legimus. Certè ſolet *Cyprianus* ſententiam, quam putat ineſſe verbis Scripturæ, ſæpe proferre, eadem fiduciâ ac ſi verba ipſa recitaret. Alia legantur apud eos, qui tamen ut redimerent quod verè dixere hac de re, videntur ubique datâ operâ debacchari in eos, in quos ſolet hic locus Joannis fruſtra torqueri

40. Hiſce exemplis, è ſacris petitis, poſſemus adjicere alia è profanis Scriptoribus; quos

* Ric. Simonius *Cap. XVIII. Hiſt. Crit. N. T. de Textu.*

† *Non in Græcis Exemplaribus, ut perperam* Simonius; *eſt enim in illis* εἰς τὸ ἓν εἰσιν.

quos ſæpe licet ex veterum Grammaticorum citationibus emendare, quamquam non quibuſvis citationibus credendum eſt. Sed ſuperiora exempla rem, niſi fallor, in aperta luce collocant. Si quis tamen aveat pluribus comprobatam videre, adeat oportet *Paſcaſii Groſippi*, ſeu *Gaſparis Scioppii* paradoxa Litteraria Epiſt. VII, VIII, & IX. quæ digniſſimæ ſunt lectu. Ea tantùm hîc proferimus, quæ neceſſaria ſunt ſuadendis Legibus Criticis; quas promulgamus.

41. Ut ad Tranſlationes veniam, certum eſt eas ſæpe loco MSS. Codicum eſſe poſſe, ut probavit *Lud. Cappellus* in Critica Sacra, útque omnes conſentiunt, qui veteres Verſiones Novi Teſtamenti cum editionibus Græcis contulerunt. Verùm cavendum ne varias lectiones hauriamus ex locis, in quibus potiùs ſenſum, quàm verba exprimere voluerunt; hoc eſt, ex locis potiſſimùm difficilioribus. At ubi verba totidem verbis redita ſunt, & aliquid ampliùs aut minùs fuiſſe in interpretum Codicibus; cujus rei nos * antea jam exempla adtulimus, & plura congeſſimus in Indice in Pentateuchum, ad voces *Septuaginta Interpretes.*

42. Vix etiam dubitare licet an aliter legerit Interpres, cùm videmus eum diſſentire à lectione noſtra, ſed mutatâ litterulâ conſentire. Exemplum rem clariorem reddet. In Hebraïco exemplari Eſdræ Cap. X. 6. ſic legimus: *Et ſurrexit Eſdras ex anteriore parte Domûs Dei & abiit* (וילך vajjelech) *in concla-*

* *Cap. VIII. & XV.*

ve Jochananis, filii Eljaſibi, & abiit (וילך) *illuc, panem non comedit.* Notum autem eſt eum, qui tertium Eſdræ librum edidit Græcè, pleraque quæ habet ex Hebraïcis Eſdræ & Nehemiæ Codicibus ſumſiſſe. Habet verò ille, in hac hiſtoria, pro altero illo וילך & *ivit*, καὶ αὐλισθεὶς ἐκεῖ, & *commoratus illic*; unde perſpicuum eſt eum legiſſe וילן *vajjalon* quod verbum ſæpe LXX. Intt. vertunt αὐλίζεσθαι. Dubium mihi non videtur, quin hæc lectio Hebraïcâ commodior ſit.

43 Habemus etiam antiquiſſimas Epiſtolarum *Barnabæ* & *Ignatii* verſiones Latinas, quæ Græcis illuſtrandis non parum inſerviunt, ut liquidiùs conſtat ex editione Amſtelodamenſi anni 1698. Idem dicere poſſimus de verſione *Irenæi*, quam non ſine fructu cum Græcis conferunt paſſim viri docti.

44. Septima Lex, quam, quo eſt majoris momenti, eo frequentiùs perrupiſſe videntur Critici, hæc eſt: DE OMNIBUS IN NOTIS MONERE LICETO, AT NULLA, NISI MANIFESTA, AUT EX MSS. CODD. HAUSTA LECTIO, IN CONTEXTUM ORATIONIS INFERTOR. Nulla de re graviores leguntur querelæ, quàm de audacia Criticorum, qui conjecturas ſuas, pro Veterum Scriptorum verbis, contra fidem Codicum MSS. Lectoribus incautis obtrudunt. Ea ratione, fœdum in modum, *Sigiſm. Gelenius* tres egregios Scriptores *Plinium*, *Arnobium*, & *Ammianum Marcellinum* corrupit; quibus niſi opem tu-

tuliſſent viri doctiſſimi, & omnibus Reipublicæ Criticæ copiis inſtructi, Geleniana pro verbis eorum Scriptorum etiamnum legeremus. Si nemo *Plautum* curaſſet, præter *Davidem Pareum*, actum erat de facetiarum elegantiarumque patre; nam ille conjecturas alienas ac ſuas audacter ubique intruſit, pro iis quæ in veteribus Libris legebantur. Quam ob cauſam, meritò paſſim vapulat, in *Frid. Taubmanni* notis. Non deſunt qui queſti ſint à viro maximo *Joſ. Scaligero Manilium* malè habitum fuiſſe, quòd ubivis pro Manilianis verbis ſuas edi curaverit conjecturas. Nimiæ fortè quidem eæ ſunt querelæ, at ſine dubio præſtitiſſet virum ſummum parciùs ſuas emendationes in contextum intuliſſe. Rectiùs etiam feciſſet *Frid. Taubmannus*, qui Culicem & Cirim *Virgilii* edidit, cum ampliſſimis commentariis, ſi vetuſtiſſimam editionem, aut membranas potiùs ſequutus eſſet, quàm ejuſdem *Scaligeri* conjecturas. Plures Criticos concuulatæ hujus æquiſſimæ Legis accuſare poſſemus; ſed eos Studioſi, qui doctorum virorum labores evolvent, ſat citò cognoſcent.

45. Lex ipſa quàm neceſſaria ſit, ad impediendum ne Veterum Scripta contaminentur, nemo non videt. Si enim liceret in contextu quod diſplicet illico mutare, inſcitiâ, audaciâ, ac feſtinatione Criticorum, doctorum & indoctorum, vulnera paſſim graviſſima Veteribus inferrentur; & paullatim eò deveniremus, ut quid ab optimorum Scriptorum manu

nu eſſet, quid ab interpolatorum audacia, neſciremus. Attamen quia nulla major eſt tyrannis, quàm quæ non modò non patitur id fieri quod æquum cenſeas, ſed nequidem modeſtè dici; liceat Criticis in Notis ac Commentariis, quibus Veterum Scripta eunt illuſtratum, proponere quidquid libuerit; eâ tamen lege, ut Lectores peritiores fiſtulâ paſtoritiâ excipiant quæ, invitâ Criticâ, protulerint.

46. Ultima Lex, ad coërcendam Criticorum ſuperbiam & fiduciam nimiam, hæc ſancitor: CONJECTURÆ OMNES MODESTE PROPONUNTOR, SIN MINUS, DOCTIS LUDIBRIUM DEBENTO. Nihil frequentiùs occurrit in Scriptis Criticorum audaciorum, quàm ſuperba imperia, quibus emendare jubemur, ut iis videtur; aut quibus quaſi certa, explorata, indubitata, manifeſta, ſola vera obtruduntur, quæ poſtquàm probè expenſa ſunt, falſa, aut minimùm incerta ac dubia eſſe deprehenduntur. Quod tam ſæpe contingit, ut prudentiores ac modeſtiores Criticos factos eſſe oporteret, poſtquàm tam frequenter alios lapſos eſſe vident, cùm crederent ſe oracula propemodum proferre. Poſſemus nonnullos Recentiores hîc reos agere violatæ hujuſce Legis; & faceremus, ſi qua ſpes emendationis eſſet. Sed homines, qui nullo jure in alios invehuntur, in rabiem planè aguntur, cùm ſunt in errore deprehenſi. At numquam obſtare poterunt, quominùs certè rideantur à prudentioribus, quos eas pœnas de eorum jactantia & conviciis

ciis ſumere jus fásque ſemper fuit, eritque. Nos etiam, per totum hoc Opus, ſat multa ſupercilioſè prolata confutavimus.

47. Hæc ad ſuadendas Leges æquiſſimas dicenda habuimus, quibus innumera alia adjici potuiſſe nos non fugit; verùm quæ à nobis dicta ſunt vel imperitiſſimos in adſenſum trahere poſſunt, nedum ut paullò peritiores pluribus indigeant. Itaque ne mihi & aliis tædio ſim, manum de tabula tollo, exſpectaturus an Reipublicæ Litterariæ Populus Leges haſce juſſurus ſit, aut, ſeditioſo quopiam Tribuno intercedente, rejecturus; quod tamen vix opinor futurum. Ut enim nonnulla exempla à me adlata in dubium revocari queant; attamen Leges ipſæ ſupra invidiam poſitæ ſunt, cùm ex doctiſſimorum virorum ſententia ſcriptæ ſint, atque ex ipſa rerum natura manifeſtò petitæ.

III. Partis I. Sectionis Finis.

A R-

ARTIS CRITICÆ

PARS III.

SECTIO II.

De Locis & Scriptis ſpuriis à genuinis dignoſcendis.

CAPUT I.

De fraudibus, quibus inſerta Veteribus Scriptoribus loca, ſuppoſititque iis integri Libri, Veterum teſtimonia.

OSTENDIMUS ſuperioris Sectionis Cap. XV. homines Veri parum ſtudioſos in Veterum monumentis eas voces mutaſſe, aut deleviſſe, quæ ſibi diſplicerent, aut addidiſſe quæ viſa ſunt, ut Veteres illorum dogmatibus favere, aut certè ne adverſari viderentur. In hac verò Sectione, agemus de integris Periochis inſertis aut reſectis, datâ operâ, ab iisdem impoſtoribus, aut à Criticis malè feriatis; tum etiam de Libris, quibus illuſtria nomina præfixerunt, ut falle-

fallerent ementes, aut ut ſua dogmata ſtatuminarent; trademusque regulas ex quibus ſuppoſitæ Periochæ, ac Libri alieno nomine inſcripti agnoſci queant; quæ omnia exemplis aliquot firmabimus.

2. Verùm antequàm ad rem ipſam veniamus, Veterum loca proferemus, ex quibus intelligere licebit non recentiores demum Criticos in ejuſmodi corruptelas ac ſuppoſitiones eſſe invectos. Exſtant hac de re ſat graves, cùm apud veteres Ethnicos, tum apud Chriſtianos querelæ.

3. Cùm antiquiorum Scriptorum admiratio hominum animos ſubiiſſet, eorum libri cœperunt ab omnibus Antiquitatis ſtudioſis avidiùs emi & verſari; cúmque horum auctoritas, ad dirimendas controverſias, adhiberetur, magno ſtudio contendentes eam ad partes ſuas trahere conati ſunt. Hi fuere potiſſimi fontes, è quibus fluxere innumeræ corruptelæ, & ſuppoſitiones; quibus avaritia Librariorum & nequitia Falſariorum fucum minùs callidis fecerunt. Quod paullò pluribus perſequemur.

4. Cùm ergo Librarii animadverterent, nonnullorum Sctiptorum libros frequenter in officinis ſuis quæri, atque emi; duplici fraudis genere, lucri cauſâ, graſſabantur. Alterum erat, quo Scripta jam edita & nota, quaſi ex vetuſtioribus Codicibus, iisdémque amplioribus deſcripta, multò auctiora depromebant, & venum exponebant; poſtquàm in ea varia infarciri à nebulone curaverant. Tum verò & qui habebant Libros, ſuis Codici-

cibus quaſi mutilis ſpretis, eos iterum emebant; qui verò nondum emerant, ex editione locupletiore ſibi comparabant. Hinc autem non parvum lucrum redibat ad Librarios, qui primi ejuſmodi fraudem adhibebant; præſertim ſi celebrior eſſet Scriptor, quem ita interpolari curaverant, nec fraus illico pateret. Quod *Clementi* Romano, & *Ignatio* Antiocheno contigiſſe poſtea oſtendemus. Alterum fraudis genus erat, cùm Viro aut Scriptori celebri integrum opus tribuebant, ut cùm *Dionyſio* Areopagitæ tributi ſunt libri, qui ſub ejus nomine circumferuntur; quod & multis aliis à Chriſtianis præſertim factum eſſe, in ſequentibus, pluribus demonſtrabimus. Populi, nempe, cupidi ſciendi quid ſenſiſſent primi illi Chriſtiani, quídve iis contigiſſet, omnes Bibliothecarum angulos perſcrutabantur, omnes Librariorum officinas excutiebant, ut viderent an quidpiam eorum ſupereſſet; quod cùm animadverterent homines lucri cupidi, hiantes & credulos facilè deluſerunt, & incredibilem copiam librorum recens conſcriptorum antiquis Scriptoribus, fallente titulo, tribuerunt. Quod cùm dico factum à Chriſtianis, Judæos tamen, aut Ethnicos, quaſi culpæ hujuſ minimè adfines, abſolutos nolo; ſed de Chriſtianis potiſſimùm loquor, quia pluris intereſt ſcire quos finxerint, quàm quos alii adulterinos in lucem protulerint, & plures etiam à Chriſtianis falſis nominibus inſigniti ad nos pervenerunt. *Caſſiodorus*, qui ſæculi VI. initio vixit, Cap. VIII. Inſtit. Divin. Litter. non procul à prin-

principio nos docet adnotationes ſubtiliſſimas quidem ac breviſſimas in Epiſtolas Pauli, *ſed erroris tamen Pelagiani venenis infectas*, ſuo tempore, *in cunctorum manibus ita celebres habitas fuiſſe, ut eas à S. Gelaſio Papa urbis Romæ doctiſſimi viri ſtudio dicerent fuiſſe conſcriptas*; QUOD SOLENT, inquit, *facere, qui res vitioſas cupiunt glorioſi nominis auctoritate defendere.*

5. Poſteaquàm verò acres concertationes, inter Chriſtianos, oriri cœperunt, præſertim à Nicænæ Synodi temporibus; cùm diſſentientes Chriſtiani omni ope Antiquitatem in ſuas partes trahere niterentur, ut adverſarios quaſi novas res molitos infamarent; tum demum ſceleratis manibus adulterata ſunt priſcorum monumenta, & eorum nomina præfixa libris ea de cauſa fictis, ut partibus laborantibus ſubſidio eſſent. Sic additæ ſunt ingentes laciniæ Epiſtolis *Ignatii*, & fictæ *Conſtitutiones Apoſtolicæ*, quaſi ab Apoſtolis conditæ, & à *Clemente* Romano digeſtæ; de quibus poſtea dicemus. Eodem conſilio fictus ille *Prologus*, qui Epiſtolis Canonicis, *Hieronymi* nomine inſignitus, præfigitur, ut antea obſervavimus.

6. Fortè & errore factum; ut Libri quorum Scriptores ignorabantur, quòd nullius nomen eis eſſet additum, nonnullis tribuerentur, quorum nequaquam erant; ob ſimilitudinem ſtyli, vel ob imperitiam Librariorum, qui ſic numerum Operum virorum eruditorum auctum ibant. Hoc potiſſimùm factum in Scriptis Patrum iis ſæculis, quibus

Antiquitatis ſtudioſi, graſſante per omnia barbarie, pauciores erant, neque ullus Criticæ, ut decuit, operam dederat. Hinc videmus Scriptis Patrum, præſertim πολυγράφων, multa aliena adſuta. *Tertullianus*, *Cyprianus*, *Ambroſius*, *Hieronymus*, *Auguſtinus*, *Athanaſius*, *Chryſoſtomus*, aliſque jam dudum, ſine adpendicibus alienis, non prodeunt.

8. Re ipſâ breviter expoſitâ, jam ſunt Testimonia Veterum proferenda. *Galenus* Comment. I. in *Hippocratem* de Natura Hominis, ad text. 42. p. 127. T. III. *Ed. Charterianæ*: Πρὶν γὰρ τὸς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ τε καὶ Περγάμῳ γενέσθαι βασιλεῖς ἐπὶ κτήσει παλαιῶν βιβλίων φιλοτιμηθέντας, ἀδέπω ψευδῶς ἐπεγέγραπτο σύγγραμμα· λαμβάνειν δ' ἀρξαμένων μισθῶν τῶν νομίζόντων αὐτοῖς συγγράμματα παλαιό τινος ἀνδρὸς, ὅτως ἤδη πολλὰ ψευδῶς ἐπιγεάφοντες ἐκόμιζον: *antequàm enim Reges, qui erant Alexandriæ & Pergami, de poſſeſſione veterum librorum ſtudioſè contenderent, nondum ullum falſò inſcribebatur opus; ſed poſtquàm præmium accipere cœpiſſent, qui antiqui alicujus hominis ſcripta iis adferebant, ſic demum multa falſò inſcribentes adportabant.* Idem Præfat. Comment. II. p. 128. Ἐν τῷ κατὰ τὸς Ἀτταλικὸς τε καὶ Πτολεμαϊκὸς βασιλέας χρόνῳ, πρὸς ἀλλήλυς ἀντιφιλοτιμυμένυς περὶ κτήσεως βιβλίων, ἡ πρὶ τὰς ἐπιγραφάς τε καὶ διασκευὰς αὐτῶν ἤρξατο γίγνεσθαι ῥᾳδιυργίαι, τοῖς ἕνεκα τὸ λαβεῖν ἀργύριον ἀναφέρυσιν ὡς τὰς βασιλεῖς ἀνδρῶν ἐνδόξων συγγράμματα: *Tem-*

Temporibus Attalicorum Regum, qui de adquiſitione librorum inter ſe contendebant, cœpit fraus circa inſcriptiones, & diſpoſitiones librorum fieri ab iis, qui, pecuniæ cauſâ, ferebant ad Reges virorum illuſtrium Scripta. Si prorſus falſa non erat inſcriptio, ad partem tantùm voluminis pertinebat, quod eò cariùs vendebatur quò majus & auctius videbatur, ut teſtatur ibidem *Galenus*, ubi ait libro *Hippocratis* de natura hominis, additum eſſe alterum *Polybi* ejus diſcipuli, & quædam etiam interpoſita, quæ neutrius erant. poſt verba poſteriùs adlata, addit: μικρῶν. ὄντων ἀμφοτέρων τῶν βιβλίων, τοῦ περὶ φύσιος ἀνθρώπου καὶ τοῦ περὶ διαίτης ὑγιεινῆς, εὐκαταφρόνητον ἑκάτερον τοῦτο εἶναί τισι δόξας, διὰ τὴν σμικρότητα, συνέθηκεν εἰς ταὐτὸ ἄμφω καί τις ἴσως ἄλλος, ἢ καὶ αὐτὸς ὁ πρῶτος αὐτὰ συνθείς, παρενέθηκέ τινα μεταξὺ τῶν δύο: *cùm uterque liber parvus eſſet, & is qui eſt* de ſalubri victu, *quiſpiam vilem utrumque fore ratus, propter parvitatem, utrumque in unum conjunxit, & alius fortè quiſpiam, aut idem ille primus, qui eos conjunxerat, nonnulla duobus interpoſuit.* Quod habet de tempore ſuppoſitionis librorum non ita tamen intellexerim, quaſi crediderit *Galenus* numquam antea Libros, lucri cauſâ, nominibus alienis inſcriptos; ſed quia eo potiſſimùm tempore ingens copia ſuppoſititiorum librorum erupit, & fraudes poſtea frequentiores fuerunt. Nam ſæpe antea libri fuerant ſuppoſiti. ut multis exemplis conſtat. Vide hac de re *Joan. Wowerium* Polymathiæ

c. XVI, 6, & ſeqq. *Ammonius* in Categorias *Ariſtotelis*, Πτολεμαῖον τὸν Φιλάδελφον πάνυ ἐσπουδακέναι φασὶ περὶ τὰ Ἀριστοτελικὰ συγγράμματα, ὡς καὶ περὶ τὰ λοιπὰ, καὶ χρήματα διδόναι τοῖς προσφέρουσιν αὐτῷ βίβλους τῶν Φιλοσόφων. ὅθεν τινες χρηματίσασθαι βουλόμενοι ἐπιγράφοντες συγγράμματα τῷ τῶν Φιλοσόφων ὀνόματι προσῆγον: *Aiunt Ptolemæum Philadelphum magno ſtudio flagraſſe habendi Scripta Ariſtotelis, ut & cetera, & pecunias dediſſe adferentibus ad ſe libros Philoſophi. Unde quidam, diteſcere cupientes, inſcriptos libros Philoſophi nomine adtulerunt.* *Diogenes Laërtius* de Æſchine, Lib. II. §. 60. διεβάλλετο ὑπ' Αἰσχίνης καὶ μάλιστ' ὑπὸ Μενεδήμου τοῦ Ἐρετριέως, ὡς τοὺς πλείστους διαλόγους, ὄντας Σωκράτους ὑποβάλλοιτο, λαμβάνων παρὰ Ξανθίππης: *calumniis differebatur Æſchines, potiſſimùm à Menedemo Eretrienſi, quaſi complures dialogos, qui Socratis eſſent, à Xanthippa acceptos pro ſuis ſuppoſuiſſet.* Subjicit verò *Diogenes*: ὧν οἱ μὲν καλούμενοι ἀκέφαλοι σφόδρ' εἰσὶν ἐκλελυμένοι, καὶ οὐκ ἐπιφαίνοντες τὴν Σωκρατικὴν αὐτοπάθειαν, οὓς καὶ Πεισίστρατος ὁ Ἐφέσιος ἔλεγε μὴ εἶναι Αἰσχίνου. καὶ τοὐπὶ ὧν τοὺς πλείστους Περσαῖος φησὶ Πασιφῶντος εἶναι τοῦ Ἐρετρικοῦ, εἰς τοὺς Αἰσχίνου δ' καταλέξαι. ἀλλὰ καὶ τὸν Ἀντισθένους, τόν τε μικρὸν Κῦρον, καὶ τὸν Ἡρακλέα τὸν ἑλόντα, καὶ Ἀλκιβιάδην, καὶ τοὺς τῶν ἄλλων δ' ἐσκιωρῆσθαι: *ex quibus qui dicuntur principio carentes ſunt remiſſi, nec Socraticam vehementiam præferentes; quos & Æſchinis eſſe Piſiſtratus Epheſius negabat. Sed & pleroſque ſeptem illorum Perſæus ait Paſiphontis eſſe Eretrienſis, atque ab*

eo Æſchinis inſertos libris; eumdémque Antiſthenis parvum Cyrum, & Herculem minorem, Alcibiadem aliorúmque libros ſuppoſuiſſe. Tres, qui ſuperſunt, & fragmentum quarti nuper edidimus.

9. Sic viri ingenio & eruditione ſua abuſi nervos omnes intendebant, ut ita ſtylum & doctrinam exprimerent eorum, quibus libros ſupponebant, vix ut ſuppoſititii fœtus à veris ſecerni poſſent. *Livius*, Lib. XXVIII. c. 56. ubi de die dicta P. Scipioni: *Nec inter Scriptores*, inquit, *diſcrepat ſolùm, ſed orationes quoque, ſi modò ipſorum ſunt quæ feruntur, P. Scipionis & T. Gracchi abhorrent inter ſe.* *Suetonius* in Cæſare Cap. LV. *Orationes aliquas reliquit, inter quas temerè quædam feruntur, ut pro Q. Metello, quam non immeritò Auguſtus exiſtimabat magis ab actuariis exceptam, malè ſubſequentibus verba dicentis, quàm ab ipſo editam. Nam in quibusdam exemplaribus invenio, ne inſcriptam quidem* pro Metello, *ſed*, quam ſcripſit Metello; *cùm ex perſona Cæſaris ſermo ſit, Metellum, ſéque adverſùs communium obtrectatorum criminationes purgantis. Apud Milites quoque, in Hiſpania, idem Auguſtus orationem eſſe vix ipſius putat; quæ tamen duplex fertur; una, quaſi priore habita prælio: altera, poſteriore, quo Aſinius Pollio ne tempus quidem concionandi habuiſſe eum dicit, ſubitâ hoſtium incurſione.* Scilicet, homines malè diſerti, ut eloquentiam ſuam venditarent, ſcripſerant orationes, quibus expreſſerant

quod dicere debuiſſe videbantur ſummi illi viri, quod perſæpe factum, ut poſtea videbimus.

10 Scio poſſe dici plurima exercendi ſtyli gratiâ eſſe conficta, & veluti ludente ingenio elaborata; at quod illi ludentes fecerunt, id ſerium poſteros in errorem conjecit. Præfixum nomen *Salomonis* Libro *Sapientiæ* plurimos fefellit & etiamnum fallit, quamvis ab *Hieronymo* monitos. Hæc ſunt hujus verba, ex præfatione in Libros Salomonis: *Fertur* ἐν παραρίτοις *Jeſu filii Sirach liber*, & *alius* ψευδεπίγραφος, *qui* Sapientia Salomonis *inſcribitur. Quorum priorem Hebraicum reperi*, *non* Eccleſiaſticum, *ut apud Latinos*, *ſed* Parabolas (משלים mſchalim) *prænotatum*, *cui juncti erant Eccleſiaſtes & Canticum Canticorum*; *ut ſimilitudinem Salomonis non ſolùm librorum numero*, *ſed etiam materiarum genere*, *coæquaret. Secundus apud Hebræos*, *nuſquam eſt*, *quia* (lego *quin*) & *ipſe ſtylus Græcam eloquentiam redolet*, & *nonnulli Scriptorum veterum hunc eſſe Judæi Philonis adfirmant.* Verum de hoc Libro poſtea pluribus agemus.

11. Idem à Pſeudo-Chriſtianis, ad quamcumque familiam pertinuerint, ſæpe factum teſtantur Patres. *Auguſtinus* in Ep. XLVIII. ex vetere diſtinctione, XCIII. ex nova, ad Vincentium, ait quoſdam credidiſſe, quamvis falſò, at ex more ſæculi ſui, fictas Epiſtolas *Cypriani* de iteratione Baptiſmi. * *Non de-*

* *Num.* 38. *in Ed. Pariſ. Benedict.*

deſunt, inquit, *qui hoc Cyprianum prorſus non ſenſiſſe contendant, ſed ſub ejus nomine à præſumtoribus, atque mendacibus fuiſſe confictum. Neque enim*, ſubjicit Auguſtinus, *ſic potuit integritas, atque notitia litterarum unius quamlibet illuſtris Epiſcopi cuſtodiri, quemadmodum Scriptura Canonica, tot Linguarum litteris, & ordine & ſucceſſione celebrationis Eccleſiaſticæ cuſtoditur; contra quam tamen non defuerunt, qui, ſub nominibus Apoſtolorum, multa confingerent.*

12. Fatetur quidem *Auguſtinus* illam ſuſpicionem infirmam eſſe; at nitebatur conſuetudine illorum ſæculorum, quibus innumera ficta fuerant. *Nos tamen*, inquit, *duas ob res non negamus illud ſenſiſſe Cyprianum, quòd & ſtylus ejus quamdam propriam faciem, quâ poſſit agnoſci; & quòd ibi magis contra vos* (Donatiſtas) *noſtra cauſa monſtratur invictior*, &c. Altera harum rationum petita eſt ex utilitate, quam *Auguſtinus* putabat capere ſe poſſe ex Epiſtolis illis *Cypriani*, in diſceptatione cum Donatiſtis; altera verò Critica, quæ ſola firma eſt. Nec dubito quin, ſi hæc poſterior ratio defuiſſet, *Auguſtinus* planè negaturus fuiſſet haſce Epiſtolas eſſe *Cypriani*, plauſibili illa ratione, è Falſariis ſumtâ, fretus; nam quamvis diſſimulet, vehementer ejus cauſæ, ad iterationem baptiſmi quod adtinet, adverſabantur. Subdit verbis adlatis: *Fruſtra quidem, quia illa ſic commendata, ſic celebrata, ſic nota eſt; verùm quid poſſit adverſùs litteras, non canoni-*

câ auctoritate fundatas, etiam hinc demonstravit impiæ conatus audaciæ, quòd & adversùs eas, quæ tantâ notitiæ mole firmatæ sunt, se se erigere non prætermisit. Ex hisce colligere licet vulgò persuasum fuisse, non sine diligenti examine, Veterum Scripta, aut potiùs quæ eorum nomine venditantur admittenda esse; quod tamen plerique, aut adfectibus, aut ἀκρισίᾳ præpediti, non faciebant. Similem alterum locum *Augustini* addemus, ex Lib. XXXIII. contra Faustum Cap. 6. ubi postquàm dixit constare ex perpetuo consensu Christianorum libros Apostolicos eorum esse, quorum nomina præferunt: *Quasi verò*, inquit, *& in litteris sæcularibus non fuerint certissimi auctores, sub quorum nominibus postea multa prolata sunt & ideò repudiata, quia vel ab his, quæ ipsorum esse constaret, minimè congruerent; vel eo tempore, quo illi scripserunt, nequaquam innotescere, & per ipsos vel familiarissimos eorum in posteros prodi commendaríque meruerunt.* Alia habet egregia, eodem spectantia, quæ deinde à nobis adferentur.

13. *Origenes* in * Ep. ad Alexandrinos amicós, ita queritur, de Scriptorum súorum, vivente se, adulteratione: *Quidam auctor hæreseos, cùm sub præsentia multorum habita inter nos fuisset disputatio, descriptum accipiens, ab his qui descripserant, codicem, quæ voluit addi-*

* *Apud Rufinum de Adult. Script. Origenis.*

didit, & quæ voluit abſtulit, & quod ei viſum eſt permutavit. Cùm conveniſſem illum ipſum, qui adulteraverat librum, quare hoc feciſſet, velut ſatisfaciens mihi reſpondit: quoniam magis ornare volui diſputationem ipſam, atque purgare (id eſt, errata emendare.) *Videte quali purgatione diſputationem noſtram purgavit. Tali, nempe, quali purgatione Marcion purgavit Evangelia, vel Apoſtolum; vel quali ſucceſſor ejus, poſt ipſum, Apelles. Nam ſicut illi ſubverterunt Scripturarum veritatem: ſic & iſte, ſublatis quæ verè dicta ſunt, ob noſtri criminationem, inſeruit quæ falſa ſunt.* Quin & integros libros ſuo nomine fictos queritur, in eadem Epiſtola. *In Epheſo cùm me vidiſſet quidam Hæreticus, & congredi noluiſſet, neque omnino os ſuum aperuiſſet apud me —— poſtea nomine meo & ſuo, conſcripſit qualem voluit diſputationem, & miſit ad diſcipulos ſuos, ut ego quidem cognovi, ad eos qui Romæ erant; ſed non dubito quin & ad alios, qui per diverſa ſunt.*

14. *Rufinus* ipſe latiùs hoc perſequitur, in Ep. ad Macarium de adulteratione Librorum *Origenis*; atque hinc probat adulteratos fuiſſe illos, quòd paſſim, etiam in eodem opere, ſibi contradiceret; quod homini non ſtulto, adeóque erudito contingere potuiſſe negabat. *Quæcumque*, inquit, *nobilium tractatorum veterum invenerunt de his, quæ ad gloriam Dei pertinent, plenè & fideliter diſputaſſe; ita ut ex lectione eorum unuſquiſque fidelium proficere poſſit & inſtrui, non pepercerunt Scriptis eorum*

rum venenatum virus infundere, ſivè interpolando quæ dixerant, ſive quæ non dixerant inſerendo; quò faciliùs, videlicet, ſub nomine doctiſſimi cujuſque & nobilis inter Scriptores Eccleſiaſticos viri, hæreſis ſuæ adſtrueretur adſertio; ex eo quòd ita ſenſiſſe etiam aliqui de claris viris & Catholicis viderentur. Horum manifeſtiſſimas, inter Græcos Scriptores Eccleſiaſticos, probationes texemus; & quamvis quamplurimi ſint ex Veteribus, in quorum Libris hujuſmodi deprehenditur adulterium, tamen paucorum ſufficit adhibere teſtimonia, ex quibus faciliùs quid etiam Origenis Libris acciderit agnoſcatur. Clemens Romanus *Apoſtolorum diſcipulus, qui Romanæ Eccleſiæ, poſt Apoſtolos, & Epiſcopus & Martyr præfuit, Libros edidit, qui adpellantur* ἀναγνωρισμὸς, *id eſt, recognitio; in quibus cùm ex perſona Petri doctrina quaſi verè Apoſtolica in quamplurimis exponatur, in aliquibus ita Eunomii dogma ſcribitur, ut nihil aliud, quàm ipſe Eunomius, diſputare credatur, filium Dei creatum, ex nullis exſtantibus adſeverans*, &c. Clemens *quoque alius*, Alexandrinus *Presbyter & Magiſter Eccleſiæ illius, in omnibus pænè Libris ſuis, Trinitatis gloriam, atque æternitatem unam eamdémque deſignat; & interdum invenimus aliqua, in libris ejus, Capitula, in quibus filium Dei creaturam dicit. Numquid credibile eſt de tanto viro, tam in omnibus Catholico, tam erudito, ut vel ſibi contraria ſenſerit, vel ea quæ de Deo, non dicam credere, ſed vel audire quidem impium eſt, ſcripta*

ta reliquerit? Poſſet ſanè fieri ut Ariani, nonnullis in locis, *Clementem* interpolaſſent; ſed omnia loca, quæ diſplicebant *Rufino*, delere propterea noluerim; cùm certum ſit Patres, qui ante Nicænam Synodum vixerunt, multis loquutionibus uſos, à quibus ii, quibus controverſiæ erant cum Arianis, abſtinebant. Præterea non mirum eſſet ſi Patres, in re ardua, ſibi non ſemper conſtitiſſent, aut ſibi conſtare viſi non eſſent *Rufino* Critico minimè perſpicaci. Hoc liquet ex ejus judicio de libro recognitionum, quas fatuè *Clementi* Romano tribuit, & interpolavit ac mutilavit, ut hominis rectè ſentientis eſſe viderentur, cùm eſſent opus Impoſtoris. Alius Epiſcopus Romanus queſtus eſt id vivo ſibi à quodam Monacho Græco, cui *Andreæ* nomen fuit, factum eſſe. Is eſt *Gregorius* Magnus, qui Lib. IX. Epiſt. LXIX. ad Euſebium Epiſcopum Theſſalonicenſem: *inter diverſa*, inquit, *mala aliquos etiam ſermones ſcripſit, atque eos ex noſtro nomine titulavit, & ſuſpecti ſumus ne eos alicubi transmiſerit. Ideò fraternitas veſtra ſollicitudinem gerat, & ſi quid tale repererit, eos & exſcindi, & omnino faciat aboleri, ut quod imperitus litterarum, & Scripturæ divinæ neſcius noſtro, ſicut diximus, nomine prænotavit, quorumdam animos non poſſit inficere.*

16. Tum verò, de tertio, ita pergit *Rufinus*: Dionyſius *quoque* Alexandrinus *Epiſcopus eruditiſſimus, adſertor Eccleſiaſticæ fidei, cùm in quamplurimis in tantum unitatem, atque*

que æqualitatem Trinitatis defendat, ut imperitioribus quibuſque etiam ſecundum Sabellium ſenſiſſe videatur; in his tamen Libris ſuis, quos adverſùs Sabellii Hæreſin ſcribit, talia inveniuntur inſerta, ut frequenter Ariani ipſius auctoritate ſe defendere conentur. Propter quod & Sanctus Epiſcopus Athanaſius compulſus eſt Apologeticum pro libris ipſis ſcribere; pro eo quòd certus erat non illum diverſè potuiſſe ſentire, ſibíque ipſi contraria ſcribere, ſed quòd inſerta hæc à malevolis noſſet Idem dixerim de *Dionyſio*, quod de *Clemente* modò dicebam; nec certè *Athanaſius* Scripta ejus adulterata ait, ſed perperam intellecta.

17. Nunc ut ad *Origenem* redeam, nolim negare umquam ejus Scripta ab Hæreticis fuiſſe adulterata, cùm præſertim id nos ipſe doceat. De eo dixerim, quod *Vincentius Lirinenſis*, * cujus hæc ſunt verba: *Sed dicat aliquis corruptos eſſe Origenis libros. Non reſiſto; quin potius & malo: nam id à quibuſdam & traditum & ſcriptum eſt, non Catholicis tantum, ſed etiam Hæreticis.* Verùm nequaquam conceſſerim *Rufino Origenem* de re, quam non ſatis intelligebat, loquentem, ſemper conſentanea eſſe loquutum. Quis enim hominem, qui tot volumina dictavit, titubaſſe aliquando miretur? Poſſemus certè non unum exemplum ejus rei proferre, non ex *Origene* modò, ſed ex *Rufino* ejus emendatore. Præterea à *Rufino* non intellectum fuiſſe *Origenem* ſi dixero, nihil dixero quod Eruditi facilè

* *Adverſus Hareſ. Cap. XXIII.*

lè non conceſſerint ; cùm in iis, quæ ex * *Euſebio* vertit, tot imperitiæ ſpecimina ediderit.

18. Similia habet, in Præfatione in libros περὶ Ἀρχῶν, iis, quæ antea de eo dicentem audivimus, quibus poſitis ita pergit : *Sicubi nos in libris ejus aliquid contra id invenimus, quod ab ipſo in ceteris locis piè de Trinitate fuerat definitum, velut adulteratum hoc & alienum, aut prætermiſimus, aut ſecundum eam regulam protulimus, quam ab ipſo frequenter invenimus adfirmatam.* Ut dolendum eſt eos libros ad nos Græcè non perveniſſe : ita eſt quod gaudeamus *Clementem Alexandrinum* à *Rufino* verſum non fuiſſe ; nam fortè deſidiâ Monachorum haberemus verſionem dumtaxat, pro Archetypo, in qua *Clemens* id diceret quod *Rufino* viſum eſſet ab eo dici oportuiſſe, non quod nunc dicit. Meritò certe † viri doctiſſimi queſti ſunt „ non alium quem„ quam *Origeni* tantùm perfidiâ ſuâ, & te„ meritate nocuiſſe, quàm *Rufinum* ipſum ; „ quippe qui ejus Scripta interpretans, ita „ additamentis & detractionibus vexavit & „ corrupit, ut *Origenem* in *Origene* deſi„ deres. „

19. Ideò *Hieronymus*, in Epiſtola ad Pammachium & Oceanum de erroribus *Origenis*, depravatum negat *Origenem* ; ſed cùm ille nimius ſit & laudator, & caſtigator, per omnia illi

* *Vide Præfationem* Henr. Valeſii *in Euſebium, ad Clerum Gallicanum, &* P. Dan. Huetium *in Origenianis paſſim.*

† P. Dan. Huetius *in Origenianis* |*Lib. I. C.* 1. §. 3.

illi credere ſatis tutò non poſſumus. Solebat homo vehemens dicere non quod, poſt adcuratum examen, verum compererat, & quod ſine adfectu dicere licebat; ſed quod cauſa poſtulabat, ac vincendi ſtudium dictabat. Sed neſcio an tolerabilior ſit *Rufinus*, qui præfationi in libros *Origenis* de Principiis à ſe verſos eâ, quam diximus, fide hanc horrendi carminis adjurationem ſubjicit: *Omnem qui hos libros vel deſcripturus eſt, vel lecturus, in conſpectu Dei Patris, & Filii & Spiritûs Sancti, conteſtor, atque convenio per futuri regni fidem, per reſurrectionis ex mortuis Sacramentum, per illum qui præparatus eſt Diabolo & Angelis ſuis æternum ignem, ſi non illum locum æternâ hereditate poſſideat, ubi eſt fletus & ſtridor dentium, & ubi ignis eorum non exſtinguetur, & vermis eorum non morietur; ne quis addat aliquid huic ſcripturæ, ne auferat, ne inſerat, ne immutet; ſed conferat cum exemplaribus unde ſcripſerit, & emendet ad litteram & diſtinguat, & inemendatum, vel non diſtinctum codicem non habeat; ne ſenſuum difficultas, ſi diſtinctus Codex non ſit, majores obſcuritates legentibus generet.* Si æquum cenſebat hoc ſibi concedi, nec judicio Lectoris ſua emendanda permittebat; oportuiſſet ipſum eadem æquitate uſum fuiſſe, erga eum quem interpretabatur. Sed; ſi *Hieronymo* credimus, ſolitus erat nefariis hujuſmodi artibus uti *Rufinus*, qui librum *Sexti* Pythagorei *Xyſto* Epiſcopo Romano Latinè converſum tribuit. Sic Hieronymus Lib. IV. in Jerémiam ſeu ad Cap. XXI: *Miſerabilis Grunnius, qui ad calum-*

lumniandos Sanctos viros aperuit os ſuum, linguámque ſuam docuit mendacium, Sexti Pythagorei hominis gentiliſſimi unum librum interpretatus eſt in Latinum, diviſítque eum in duo volumina, & ſub nomine Martyris Xyſti, urbis Romanæ Epiſcopi, auſus eſt edere; in quibus nulla Chriſti, nulla Spiritûs Sancti, nulla Dei Patris, nulla Patriarcharum, Prophetarum & Apoſtolorum fit mentio, & hunc libellum, ſolitâ temeritate & inſaniâ, Annulum nominavit; qui per multas provincias legitur, & maximè ab his, qui ἀπάθειαν & impeccantiam prædicant.

20. Hiſce Veteribus nihil vetat nos addere verba hominis, cui recentiora nimiùm præ veteribus ſordebant. Is eſt *Joannes Fellus*, Epiſcopus Oxonienſis, qui, in Præfatione in ſuam Editionem *Cypriani*, rectè animadvertit „ noſſe Eruditos in quantum rei litterariæ „ damnum ceſſerint ſuppoſititia ſcripta, mag„ nis inſignita nominibus, fraude ad Libra„ riorum compendium inſtitutâ. Hinc com„ paratum eſſe, ut ſtatuæ aureæ non modò „ pedes lutei, ſed & vivo corpori putridum „ cadaver ſubinde jungatur. In Ethnicis lit„ teris hoc quidem faciliùs ferendum, non „ magni enim referre, ſi oratio una aut alte„ ra ſemibarbara *Ciceroni* aut *Salluſtio*, vel „ futile carmen *Virgilio* & *Ovidio* tribuantur. „ Sed cùm in pietatis negotio & SS. Patrum „ Scriptis, hoc intervenerit, dici vix poſſe „ quanti malum iſtud ſteterit. Ex noxa hac „ non modò hæretica dogmata, decus ſibi &

„ ho-

„ honeſtamentum quærere; ſed fidem & au-
„ ctoritatem, quibus ſacra illa monumenta uni-
„ cè pollent, languere inde & evaneſcere; &
„ poſtquàm fucum in aliquibus detexit Le-
„ ctor, de aliis eum dubitare, & demum om-
„ nia deſpicere. Nec ex nupero maleficio
„ hæc paſſum eſſe *Cyprianum*, cui ſæculo
„ quarto imputabantur Novatiani hæreti-
„ ci Scripta. *Cypriani* ψευδεπίγραφον hære-
„ ſeos librum vocare *Hieronymum*, ejús-
„ que etiam meminiſſe illi ſupparem *Kufi-*
„ *num*. „

21. Quæ cùm ita ſint, ipſi impoſtores invehebantur in eos, qui libros alienos Scriptoribus ſupponebant, cujus rei duo inſignia habemus exempla. Collector Canonum Apoſtolicorum, qui eos ab Apoſtolis ipſis conſcriptos credulis perſuadere voluit, & reverâ perſuaſit, Canonem profert dignum profectò Apoſtolis, qui eſt LX. numero, ſed indignum qui à Falſario ederetur: Εἴ τις τὰ ψευδεπίγραφα τὸν ἀσεβῶν βιβλία ὡς ἅγια ἐπὶ τῆς Ἐκκλησίας δημοσιεύει, ἐπὶ λύμῃ τοῦ λαοῦ καὶ τοῦ κλήρου, καθαιρείσθω: *Si quis falſò inſcriptos impiorum libros, tamquam ſanctos, in Eccleſia edit, ad populi & Cleri perniciem, exauctoretur.* Ad quem Canonem vide, ſi lubet, *Balſamonem* & *Zonaram*, qui oſtendunt non infrequens fuiſſe hoc Falſariorum peccatum.

22. Alterum exemplum ſuppeditat Scriptor Conſtitutionum Apoſtolicarum, Lib. VI. cap. 16. apud quem ſic loquuntur perſonati Apö-

Apostoli, de libris falsò inscriptis: Ταῦτα πάντα ἐπεστείλαμεν ὑμῖν, ἵνα εἰδέναι ἔχοιτε τὴν ἡμετέραν γνώμην, οἵα τίς ἐστι, καὶ τὰ ἐπ' ὀνόματι ἡμῶν παρὰ τῶν ἀσεβῶν κεκατινδέντα βιβλία μὴ παραδέχεσθαι: *hæc omnia scripsimus vobis, ut possetis scire nostram sententiam, neve nomine nostro confirmatos ab impiis libros admitteretis.* Quæ verba cùm non malè convenirent Apostolis, intoleranda sunt; in ore impostoris; sed ostendunt quanta esset, illo ævo, Græculorum nequitia. Pergunt commenticii Apostoli: δ γὰρ ὀνόμασι χρῆ ὑμᾶς προσέχειν τῶν Ἀποστόλων, ἀλλὰ τῇ φύσει τῶν πραγμάτων, καὶ τῇ γνώμῃ τῇ ἀδιαστρόφῳ, οἴδαμεν γὰρ ὅτι οἱ περὶ Σίμωνα καὶ Κλεόβιον ἰωδη συντάξαντες βιβλία ἐπ' ὀνόματι Χριστοῦ καὶ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, περιφέρουσιν εἰς ἀπάτην ὑμῶν τῶν περιλοίπων Χριστὸν καὶ ἡμᾶς τοὺς αὐτοῦ δούλους: *neque enim nomina vos oportet attendere Apostolorum, sed naturam rerum & immutabilem sententiam. Scimus enim Simonem & Cleobium venenatos libros, conscriptos nomine Christi & discipulorum ejus, circumferre, ut vos decipiant qui amatis Christum & nos ejus discipulos.* Deinde monent Christianos, de libris ante sua tempora fictis; à Judæis, nimirum, qui nominibus Patriarcharum, imò & Angelorum, fucum facere imperitis nitebantur. Καὶ ἐν τοῖς παλαιοῖς δέ τινες συνέγραψαν βιβλία ἀπόκρυφα Μωσέως, καὶ Ἐνὼχ, καὶ Ἀδὰμ, Ἡσαΐου τε καὶ Δαβὶδ, καὶ Ἠλίου, καὶ τῶν τριῶν πατριαρχῶν, Φθοροποιὰ, καὶ τῆς ἀληθείας ἐχθρά. τοιαῦτα καὶ τῶν ἐποίησαν οἱ δυσώνυμοι, διαβάλλοντες δημιουργίαν, γάμον, πρόνοιαν,

 finem

γενεαλογίαν, νόμον, προφήτας. Βάρβαρά τινα ὀνόματα ἐγγράφοντες, καὶ ἃ αὐτοὶ φασιν, Ἀγγέλων, τὰ δ' ἀληθῆ εἰπεῖν Δαιμόνων ὄντα καὶ αὐτοῖς ὑπηχθέντα: *Nonnulli inter Veteres scripserunt libros apocryphos Mosis, Enochi, Adami, Esaiæ, Davidis, Eliæ, & trium Patriarcharum pestiferos, & repugnantes veritati. Consimiles libros nunc quoque ediderunt inauspicati homines, calumniantes creationem, nuptias, providentiam, procreationem liberorum, legem, prophetas; adscribentes barbara quædam nomina, &, ut ipsi dicunt, Angelorum, ut verum autem aperiamus, Dæmonum, illos adflantium.* Nihil potuit gravius dici ab homine veri amantissimo, & suppositionis omnis inimicissimo Scriptore. De libris, quos memorat, consulendus *Joan. Bapt. Cotelerius*, ad eum locum.

23 Cùm in Constitutionibus Apostolicis varia sint, quæ manifestò Arianismum sapiunt, existimarunt Patres Sextæ Synodi, in Trullo habitæ, adulteratas fuisse; sic enim in secundo Canone de illis habent: ὡς τινα πεπλανημένα ὑπὸ τῶν ἑτεροδόξων, ἐπὶ λύμῃ δὲ ἐκκλησίας, νόθα τινὰ καὶ ξένα τῆς εὐσεβείας παρεντεθῆναι: *quibus olim ab Heterodoxis, in perniciem Ecclesiæ, spuria quædam & aliena à pietate inserta sunt.* Videntur potissimùm ea spectare, quæ favent Arianorum sententiæ; sed profectò ea à nemine inserta sunt, nisi ab ipso auctore, qui in illis partibus fuit. Miranda est aut ἀφέλεια, aut mala fides Patrum illorum, qui Canones LXXXV quasi Apostolicos admi-

sunt,

tunt, & ita loquuntur de hisce Constitutionibus, quasi revera essent *Clementis*. Ideò *Photius*, * insuper habitâ auctoritate Synodi, eas & κακοσυλλεξίας: & Αἱρεσιάρχῃ incusat.

24. Ex hisce intelligere est quæ sit Criticæ utilitas, sine qua innumera ficta monumenta, eáque erroribus referta, quasi Apostolica, etiamnum amplecteremur; & quam cum neglexissent multi Patres, sine discrimine, vera falsis miscuerunt; recentiáque, pro veteribus, imperitis venditarunt. Quo factum denique ut mirum in modum deformaretur Religio Christiana, fraudibus nequissimorum hominum; quas vix tandem, præterito sæculo, & hoc nostro, Critica retexit. Plura ejusmodi fraudum exempla cùm vetera, tum recentiora qui avebit, adeat *Joann. Dallæum*, de Vero Usu Patrum Lib. I. cap. 3. & 4. Sed & viri docti *Ernest. Grabius* in Spicilegio Patrum trium primorum sæculorum, & *Joan. Albertus Fabricius*, in Codice Apocrypho Novi Testamenti, multa suppositicia Scripta collegerunt.

* *In Bibl. Cod. CXII.*

CAPUT II.

De indiciis, ex quibus colligere licet Librum esse ſuppoſiticium, aut interpolatum I. & II. Indicium.

1. SI vellem dumtaxat catalogum contexere Librorum ſuppoſiticiorum, præſertim à Pſeudo-Chriſtianis, obitérque addere quid viri docti, olim & nuper, de iis judicarint, ingens à me conflaretur volumen. Sed * actum agerem, nec Lectores Artis Criticæ ſtudioſos multò doctiores, de ratione dignoſcendarum fraudium, dimitterem; quod unum tamen, hoc in loco, à me poſtulari jure poteſt. Igitur inſtituti mei memor hîc potiùs tradam quibus indiciis falſa à veris, mutila ab integris, interpolata à ſinceris ſecerni queant. Quidquid hac de re ſummatim ſtatui poteſt ad decem Aphoriſmos referam, quibus ſingulis interpretationem, & exempla ferè ex Veteribus hauſta ſubjiciam; quorum tamen judicia, per omnia, præſtare nolim. Sed cùm pleraque recta ſint, hinc intelligent Lectores quodnam fuerit Veterum acumen Criticum; quando liberè, ac ſine adfectu judicio ſuo uſi ſunt; tum etiam, ſi qua in re lapſi ſint, à ſimilibus peccatis ſibi poterunt cavere. Nam neſcio quomodo magis adficimur, & rectè fa-

* *Rob. Cocus, And. Rivetus, Guil. Cavens, &c. hoc præſtiterunt.*

factis & delictis magnorum virorum ; Veteres autem pleroſque, quaſi aurei generis neſcio quas reliquias, veneramur.

2. Primus Aphoriſmus hic erit: *Suppoſititii quidem Libri indicium eſt, ſi in veteribus Codicibus alii tribuatur, cùm nulla ratio eſt cur ejus habeatur, cujus nomen in editionibus præfert; interpolati verò, ſi ſit in veteribus Codicibus, ſine additamento quod in recentioribus invenietur.* Cùm plerique tituli petiti ſint ex MSS. Codicibus, non mirum eſt antiquiores præferri recentioribus, ſi modò nihil ſit quod obſtet. At ſi Codices ſint paris antiquitatis & fidei, tum verò legitima de inſcriptione dubitatio oritur.

3. *Photius*, in Bibliotheca, Cod. XLVIII. poſtquàm dixit librum περὶ τῦ παντὸς *de universo*, tribui *Joſepho* Judæo, addit: εὗρον ⸗ ἐν παραγραφαῖς ὅτι ἐκ ἐστὶν ὁ λόγ⸗ Ἰωσήπυ, ἀλλὰ Γαΐυ τινὸς πρεσβυτέρυ, ἐν Ῥώμῃ διατριβόντ⸗, ὃν φασι συνταξαι κ᾽ τὸν Λαβύρινθον. ὃ κ᾽ διάλογ⸗ φέρεται πρὸς Πρόκλον τινὰ ὑπέρμαχον τῆς τῶν Montanisῶν αἱρέσεως: *inveni verò in* * *adnotatis librum non eſſe Joſephi, ſed Caji cujuſdam, Presbyteri qui Romæ agebat, & quem aiunt conſcripſiſſe Labyrinthum; cujus etiam exſtat dialogus adverſus Proclum quemdam, hæreſis Montaniſtarum defenſorem.* Quâ ratione autem factum hoc fuerit, docet in ſequentibus verbis, quæ eò digniora notatu ſunt, quò plura ψευδεπίγραφα ex eodem fonte ma-

* *Ad initium, aut ad calcem, aut alicubi ad oram libri.*

narunt. Ἀνεπιγράφῳ ᾗ καταλιφθῇ λόγῳ, φασὶ τὰς μὲν Ἰωσήπου ἐπιγράψαι, τὰς ᾗ Ἰουστίνου τοῦ μάρτυρος, ἄλλας ᾗ Εἰρηναίου. ὥσπερ καὶ τὸν Λαβύρινθόν τινας ἐπέγραψαν Ὠριγένους. ἐπεὶ Γαΐου ἐστὶ πόνημα, τῇ ἀληθείᾳ αὐτὸ συνταταχότος τὸν Λαβύρινθον. ὡς καὶ αὐτὸς ἐν τῷ τέλει τοῦ Λαβυρίνθου διεμαρτύρατο ἑαυτοῦ εἶν. ὁ τὸν περὶ τοῦ παντὸς ἐπίσης λόγον. εἰ δ' ἕτερος καὶ ἐκ ἑτέρας ἦν, ἕτοιμος μὲν γέγονεν ὠφελῶν: *Cùm enim sine titulo liber relictus esset, aiunt alios Josephi nomen inscripsisse, alios Justini martyris, alios Irenæi, quemadmodum & Labyrintho nomen Origenis præscripserunt; quoniam Caji est opus, qui revera Labyrinthum conscripsit; quomodo etiam ille in fine Labyrinthi testatus est, suum esse Librum de natura Universi, Verùm hicne liber sit, an alius, nondum mihi liquet.* At liquet saltem non esse *Josephi*, quandoquidem Christianus fuit ejus libelli Scriptor, ut constat ex iis quæ de eo habet *Photius*. *Cajum* quidem, inter Scriptores Ecclesiasticos; memorant * *Eusebius* & † *Hieronymus*; sed nullius ejus Operis meminerunt, nisi disceptationis cum Proclo.

4. Varia inscriptio, quæ erat præfixa *Recognitionibus Clementis*, ut de re ipsâ nihil dicam, clarè ostendebat impostores satis sibi non constitisse. Ita ea de re idem *Photius*, Cod. CXIII. τὴν προσφώνησιν ὡς ἐν ἐπιστολῇ οὖσαν, πρὸς Ἰάκωβον τὸν ἀδελφόθεον ποιῆται. ἐν ᾗ αἵ τε λιτάνιαι τοῦ Ἀποστόλου Πέτρου παρέξεις, καὶ αἱ πρὸς

* *Hist. Eccles. Lib. VI. c. 20.* † *In Catalogo.*

πρὸς Σιμῶνα τὸν Μάγον διαλέξεις, καὶ ἔτι ὁ ἀναγνωρισμὸς Κλήμεντος καὶ τῶν πατρὸς, καὶ τῶν ἄλλων ἀδελφῶν. διὸ καὶ ἔν τισι τῶν βιβλίων ἡ ἐπιγραφὴ, Κλήμεντος τοῦ Ῥωμαίου ἀναγνωρισμὸς, ἐπιγράφεται. ἐν ἄλλοις δὲ, ὡς ἔφημεν, ἐπιστολὴ προτάττεται, ὡς πρὸς τὸν ἀδελφόθεον Ἰάκωβον: *dedicatio fit veluti in Epistolæ formam, ad Jacobum fratrem Dei. In hoc sunt quæ dicuntur* Acta Petri & cum Simone Mago colloquia, *præterea*que Recognitio Clementis, ejúsque patris & aliorum fratrum. *Quamobrem, in quibusdam libris hæc inscriptio est*: Clementis Romani recognitio. *In aliis tamen, uti diximus, Epistola præfigitur, quasi ad Jacobum Dei fratrem.* Sed præterea, in ipsa illa conficta Epistola, magna fuit varietas. Καὶ αὕτη δὲ, ait *Photius*, οὐχ ἡ αὐτὴ, ἀλλ' ὡς ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ προσώπου προσυπογραφεῖσα. ἀλλ' ἐστὶ μὲν τινων βιβλίων ὡς ἀπὸ Πέτρου τοῦ Ἀποστόλου πρὸς Ἰάκωβον ἀπεσταλμένη, ἐφ' ἑτέρων δὲ ὡς ἀπὸ Κλήμεντος πρὸς Ἰάκωβον, ἄλλη καὶ ἄλλη καθὼς προείπομεν. καὶ ἡ μὲν δηλοῖ Πέτρον τὰς οἰκείας συγγράψαι πράξεις, καὶ πρὸς Ἰάκωβον αἰτησάμενον ταύτας ἀποσταλῆναι. ἡ δὲ διαλαμβάνει ὡς Κλήμης ταύτας κατὰ πρόσταγμα Πέτρου συγγράψαι, κἀκεῖθεν πρὸς τὸν ἀγῶνα μεταστάντος, ἀποσταλῆναι Κλήμεντος πρὸς Ἰάκωβον: & *hæc* (Epistola) *neque eadem, neque ab eodem profecta, sed in libris nonnullis, veluti à Petro Apostolo ad Jacobum missa; in aliis rursus tamquam à Clemente ad Jacobum, alia atque alia, ut modò diximus. Harum prior ostendit ipsum Petrum res à se gestas conscripsisse & ad Jacobum eas petentem misisse. Altera vero refert Cle-*

mentem, Petri jussu, easdem res gestas litteris proditas, postquàm ille jam ad immortalem migrasset vitam, Jacobo transmisisse. Non mirum est mendaces Librarios, aut alios, quicumque fuerint, non unam fallendi viam iniviſſe.

5. Non modò ex * *Eusebio* & † *Hieronymo* discere licet à *Clemente* Alexandrino scriptum librum, cui titulus erat: *quis dives servetur*, sed etiam à *Photio*, qui Cod. CXI. testatur se vidisse veteres Codices, in quibus septem primis Libris Stromateon subjicitur is libellus: μέχρι τοῦ ἑβδόμου, inquit, τὴν αὐτὴν ἔχουσιν ἐπιγραφὴν καὶ ἰσταῖοι τυγχάνουσιν ἐν ἅπασι τοῖς βιβλίοις. ὁ μέν τοι ὄγδοος διάφορός τέ ἐστι καὶ τῇ ἐπιγραφῇ καὶ τῷ ἰδάφει, ἔν τισι γὰρ, τίς ὁ σωζόμενος πλούσιος, ἐπιγράφεται, καὶ ἄρχεται ἅτως, οἱ μὲν τὰς ἐγκωμιαστικὰς λέγους, καὶ τὰ ἑξῆς: *usque ad septimum eamdem habent inscriptionem, iidemque prorsus sunt in omnibus Codicibus. Verùm octavus cùm inscriptione, tum rei subjectæ materiâ, variat. In quibusdam enim inscribitur*: Quis dives servetur, & *incipit*: *qui laudatorias orationes*, &c Addit in aliis exemplaribus, Librum VIII esse qualem eum in nostris legimus. Itaque malè memoratus libellus editus fuerat à *Mich. Geislero*, sub *Origenis* nomine, cum ejus Commentario in Jeremiam, atque à *Franc. Combefisio* in Auctario

* *Hist. Eccles. Lib. VI. c. 13.*

† *In Catalogo.*

ſtario Patrum, inter recentiores Scriptores. Rectè verò ſeorſim emiſſus, & auctori ſuo reſtitutus eſt, à viris doctis, in § Editione Oxonienſi. At Librarii Germani, qui ante aliquot annos Patres Græcos ex Pariſienſibus Editionibus, mendis dumtaxat auctiores, turpiter recudere adgreſſi, *Clementem* Alexandrinum, ſine illo augmento, negligentiſſimè excuderunt.

6. Ex ineptis verſibus, præfixis aliquot MSS. Codicibus vitarum excellentium virorum *Corn. Nepotis*, nata erat abſurda opinio, quæ XVI ſæculo nonnullos eruditos viros fefellit. Exiſtimabant, ſcilicet, eas vitas ſcriptas fuiſſe tempore Theodoſii, à neſcio quo *Æmilio Probo*, homine Librario, qui, intolerandâ καταχρήσει, ſe vocat *auctorem* libri, quem tantùm exſcripſerat, in hiſce verſibus:

Vade liber noſter, fato meliore, memento,
Cum leget hæc Dominus, te ſciat eſſe meum.
Ne timeas fulvo ſtrictos diademate crines,
Ridentes blandum vel pietate oculos.
† *Communis cunctis, hominem ſe regna tenere,*
Sed meminit, vincit hinc magis ille homines.
Ornentur ſteriles, facilis tectura libelli
Theudoſio, & doctis carmina nuda placent.

§ *Anno* 1682. *in* 12. † *Imitatur locum* Corn. Nepotis, *de quo diximus Sect. I. Cap. VII. §. 7.*

Si rogat auctorem, *paullatim detege noſtrum*
Tunc Domino nomen; me ſciat eſſe Pro-
bum.
Corpore in hoc manus eſt genetricis, avíque,
meáque,
Felices Domini quæ meruere manus!

Atqui non modò ex re conſtat, ſed† etiam ex aliis Codicibus, hoc Opus eſſe *Corn. Nepotis.*

7. Variè interpolatum fuiſſe unum eumdémque Scriptorem nos docet *Ignatii* Antiocheni exemplum. Oſtendit vir doctiſſimus § *Joan. Pearſonius*, Epiſcopus Ceſtrienſis, quatuor fuiſſe diverſas ejus Epiſtolarum editiones. Prima fuit germana, qualis edita eſt ex Codice Medicæo ab *Iſaaco Voſſio.* In ea fuere dumtaxat Epiſtolæ ſeptem, quas ediderat *Polycarpus*, & Epiſtolæ ſuæ ad Philippenſes ſubjecerat. Hanc antiquiſſimi quique Patres verſaverant, ut ex eorum citationibus, & encomiis liquet. Haſce ſeptem Epiſtolas, nondum interpolatas, Latinè vertit Interpres vetus à *Jac. Uſſerio* editus. Secunda editio fuit earumdem ſeptem Epiſtolarum, ſed à quopiam interpolatarum, ut multis oſtendit *Uſſerius*, ex citationibus Veterum, qui earum meminerunt, & collatione veteris Interpretis Latini, Capp. III. & IV. Prolegoménon in *Ignatium.* Tertia verò in Editione, præter

† *Vide* G. J. Voſſium *de Hiſt. Latinis.*

§ *Capite VI. Proleg. Vindiciarum S. Ignatii.*

ter ſeptem memoratas Epiſtolas nequaquam interpolatas, & *Euſebio*, *Hieronymóque* notas, additæ ſunt quatuor aliæ Epiſtolæ antiquioribus ignotæ, ſed à recentioribus nonnullis laudatæ. Ejuſmodi eſt editio in Codice Græco Medicæo, & in Interpretatione Latina vetere, quam primus edidit *Uſſerius*, iterúmque cum Græcis excudi curavit *Voſſius*. Quarta denique editio conſtat ſeptem veteribus Epiſtolis interpolatis, & quinque fictis; additâ, nimirum, Epiſtolâ ſuppoſiticiâ ad Philippenſes.

8. Scio à viris doctiſſimis motam eſſe controverſiam, περὶ τῶν γνησίων, etiam illis ſeptem Epiſtolis, quas genuinas diximus; ſed, noſtro judicio, eos ita confutavit *Pearſonius*, ut non pertinaces ad ſilentium adegerit. Verùm homines, ceteroquin acutiſſimi, ideò errarant, quòd Apoſtolorum ſucceſſores animo priùs ſibi effinxiſſent, quales eos oportuiſſe eſſe exiſtimabant; deinde, cùm eorum Scripta legerent, nec animo conceptam imaginem in iis viderent, ſpémque ſuam deluſam animadverterent, non potuerint à ſe impetrare, ut illa Apoſtolicorum virorum monumenta eſſe crederent. At eâ viâ non pervenitur ad hominum cognitionem, quæ eſt ex ipſis haurienda, non ex legibus, ad quas dicta & facta ſua exigere debuiſſent; quas perpauci olim & hodie, Scriptis & moribus ſuis, expreſſerunt. Verùm hac de re, iterum aliquid dicemus.

9. Secundus noſter Aphoriſmus hic eſt: *Si quæ à Veteribus ex Libro quopiam olim prola-*

ta ſunt, ea nunc in Libro, eadem inſcriptione inſignito, deſiderantur; aut alius eſt, aut mutilus. Si aliter legantur, ſuſpectus ſit oportet. Si omnia inveniantur, ſine mutatione, genuinus eſt; niſi aliæ ſint ſuſpicandi rationes. Hic Aphoriſmus tria complectitur, quorum primum eſt manifeſtum. Veteres enim, qui ætati Scriptoris propiores erant, meritò ſtatuuntur uſi eſſe optimis Codicibus; nam qui cenſeri poſſunt emendatiſſimi Codices, niſi qui vivo Scriptore, aut minimùm paullò poſt ejus tempora exarati? Igitur ſi quid deſit Libris, qui veteri Scriptori tribuuntur, quod à Scriptoribus ætate ei proximis laudatum ſit; Libri jure mutili videntur, aut ficti. Sic meritò viri docti exiſtimant *Donati* commentarium in *Terentium*, non eſſe integrum; cùm ob alias rationes, tum quia inſignis locus, ab *Hieronymo* laudatus, in eo nuſquam comparet. Sic ille in Eccleſ. Cap. I. *Comicus ait:* nihil eſt dictum, quod non ſit dictum priùs; *unde & præceptor meus Donatus, cùm ipſum verſiculum exponeret*, pereant, *inquit*, qui ante nos noſtra dixerunt. Cenſent iidem * *Servii* commentarios in Virgilium, non ampliùs exſtare, ſed quos habemus eſſe excerpta fraterculorum, qui innumera eis inepta & indocta admiſcuerunt, quod res ipſa docet. Tempore *Lupi* Abbatis Ferrerienſis, ampliores eos fuiſſe conſtat, ex ejus Epiſtolis; in quibus Serviana nonnulla proferuntur, quæ nunc ampliùs non comparent.

10. Si

* *Tan. Faber Epiſt. Lib. I. Ep. 50.*

10. Si aliunde non constaret Consolationem *Ciceronis* ejus non esse, hoc unum fictam argueret, quòd insignia aliquot legantur ex ea fragmenta, apud * *Lactantium*; quorum nec vola, quod aiunt, nec vestigium in hodierna Consolatione. Miror *Car. Sigonium*, virum doctissimum, è cujus officina prodiisse is liber dicitur, ignorasse tanta ejus operis fragmenta exstare; nam procul dubio inseruisset, si sciviſſet. At bene est; quòd vel hinc fraus ejus, minimè certè condonanda, adpareat; neque enim fortè deesset alioqui febriculosus Criticus, qui ejus γνησιότητα defendere sustineret.

11. Sæculo XVI & XVII. initio, cùm interpolatæ dumtaxat exstarent *Ignatii* Epistolæ, meritò suspectæ haberi poterant; quòd loca ex iis ab *Athanasio*, *Gelasio* Cyziceno, & *Theodoreto* prolata aliter planè legerentur in Editionibus, cùm Græcis, tum Latinis. Quod res ipsa confirmavit, postquàm Epistolæ non interpolatæ in lucem prodierunt, ut pluribus ostendit *Jac. Usserius* Capp. III. & IV. Deerat etiam in illis Editionibus locus, ex Epistola ad *Smyrnæos*, à *Theodorito* productus, qui mutilas eas esse ostendebat.

12. At qui ediderunt *Barnabæ* Epistolam Catholicam, & *Clementis* Epistolam I. ad Corinthios, meritò collegerunt ex Veterum citationibus, quæ in utraque integræ exstant: has

* *Vide quæ de ea habeat* J. Lipsius. *Oper. T. I. Ed. Moreti p.* 411.

has ipsas esse Epistolas quas viderant Veteres. Adeat qui hoc nescier judicia virorum doctorum, & testimonia Veterum de duabus illis Epistolis, in Editione Amstelodamensi. Verùm, hoc non obstat quominùs auctæ esse potuerint, cùm augmenta nihil ex iis, quæ olim iis inerant, detrahant, sed aliena tantùm addant. Interpolationis Epistolæ *Barnabæ* exemplum protuli antea, & de *Clementæ* infrà Cap. V. agemus.

13. Similiter *Galenus* olim ostendit librum *de Natura hominis*, *Hippocratis* esse, eò quòd nomine *Hippocratis*, *Plato*, qui non multò post *Hippocratem* vixerat, in *Phædro*, dogmata ex eo libro quasi *Hippocratis*, protulisset. Hoc habet in Proœmio Comment. I. in Librum memoratum p. 95. Tom. IX. Edit. Charterianæ. Similia repetit eodem libro ad text. 42. p. 126. & seqq. prolatisque Socratis, *Hippocratis* sententiam laudantis, verbis: ταῦτα, inquit, Πλάτων ὁ τοιοῦτος γράψαιτο, ἐπιδείξάτω τις ἡμῖν ἐν τῷ βιβλίῳ τῷ Ἱπποκράτους ἑτέρῳ παρὰ τὸ περὶ φύσιος ἀνθρώπου τὴν μέθοδον ταύτην ἐξεῦρεῖν. ἢ εἴπερ ἐκ ἔχει, ῥᾳδίως ζητείτω Πλάτωνος ἀξιοπιστότερον μάρτυρα τοῦ γνήσιον εἶναι τὸ βιβλίον τοῦτο· οὐ γὰρ ἄλλως καὶ τοῖς χρόνοις ἐγγυτάτω γέγονεν τοῖς Ἱπποκράτους μαθηταῖς, ὥν εἴ τινος ἦν τὸ βιβλίον ἐπεγέγραπτο ἂν τοῦ γράψαντος ὀνόματα: *Cùm hæc Plato sic scripserit, ostendat aliquis nobis, in quo Hippocratis libro alio, quàm qui* de natura hominis *inscribitur, methodum hanc sit inuenire; aut si non possit, nul-*

nullum quærat fide digniorem Platone teſtem, quò conſtet hunc librum eſſe germanum. Nam, præter alia, Plato fuit temporibus, quæ proxima fuere Hippocratis diſcipulis; quorum ſi cujus liber eſſet, ipſum Scriptoris nomen fuiſſet inſcriptum. Nam putabat *Galenus*, à *Ptolemæorum* potiſſimùm temporibus, aliena nomina fuiſſe alienis fœtibus præfixa, diu poſt *Platonis* ætatem. Potuiſſet etiam dicere eum Philoſophum planè æqualem fuiſſe primis *Hippocratis* Diſcipulis; unde majus pondus teſtimonio ejus acceſſiſſet.

14 Nullum certius indicium eſſe poteſt γνησιότητος, quando in ipſa re nihil repugnat, quàm judicium Antiquitatis ab ipſo Scriptoris ævo, per aliquot ſæcula, ſibi conſtans. Rectè *Auguſtinus* Lib. XXXIII. contra Fauſtum, Cap. VI. de genuinis libris *Hippocratis*, ex quibus falſos dignoſci dixerat: *Hos autem libros quibus illi, qui de transverſo proferuntur, comparati reſpuuntur, unde conſtat eſſe Hippocratis, unde, ſi quis hoc neget, nec ſaltem refellitur, ſed ridetur; niſi quia ſic eos ab ipſo Hippocratis tempore, uſque ad hoc tempus, & deinceps ſucceſſionis ſeries commendavit, ut hinc dubitare dementis ſit?* Platonis, Ariſtotelis, Ciceronis, Varronis, *aliorúmque ejuſmodi auctorum libros, unde noverunt homines quòd ipſorum ſint, niſi eadem temporum ſibimet ſuccedentium conteſtatione continuâ? Multi multa de litteris Eccleſiaſticis conſcripſerunt, nun quidem auctoritate Canonica, ſed aliquo adjuvandi ſtudio, ſive diſcendi.*

di. Unde conſtat quid cujus ſit, niſi quia his temporibus, quibus ea quiſque ſcripſit, quibus potuit inſinuavit, atque edidit, & inde in alios atque alios continuatâ notitiâ latiúsque firmata ad poſteros, etiam uſque ad noſtra tempora pervenerunt? &c. quæ apud ipſum legas.

CAPUT III.

Indicia III. & IV. Suppoſitionis, vel Interpolationis.

1. OSTENDIMUS, ex antiquis Libris, Veterúmque citationibus, ſæpe nos intelligere poſſe, utrùm monumenta quæ ad nos pervenerunt genuina ſint, an ſpuria, ſinceráne an interpolata; exemplísque duos, hac de re, Aphoriſmos à nobis prolatos confirmavimus. At duo alia nobis Veteres ſuppeditant indicia, ex quibus Libros ſuppoſititios agnoſcere poſſimus; quæ ſi ubique non obtineant, at ut plurimùm certa ſunt. Prius ita tertio noſtro Aphoriſmo expreſſimus: *Scripta quorum nulla mentio in priſcis Catalogis, quæ nec memorata ſunt ab ullo Scriptore ſequentium proximè ſæculorum, ut plurimùm aut ficta judicanda ſunt, aut minimùm ſuſpecta habenda.*

2. Habemus, exempli gratiâ, apud *Diogenem Laërtium*, ad calcem vitarum ſingulorum

tum Philoſophorum, Catalogos Librorum, qui illi ex multijuge lectione innotuerant. Alii etiam Scriptores eorum libros, prout res poſtulat, laudant; horúmque citationibus ſupplerunt viri docti, & præſertim quidem *Æg. Menagius*, *Diogenis* Catalogos. Cùm igitur nuſquam occurrit mentio Libri, nomine Philoſophi inſigniti, falſa ſit inſcriptio, aut minimùm ſuſpecta fiat neceſſe eſt; quia credibile non eſt Librum, inſignis præſertim Philoſophi, potuiſſe non modò fugere diligentiam *Diogenis*; ſed etiam ita ſperni, ut nuſquam citaretur ab iis, qui frequenter de eo Philoſopho verba fecerunt, nec rarò aliorum ejus operum meminerunt. Cùm multæ Comœdiæ olim ferrentur, ſub nomine *Plauti*, ne minùs periti fallerentur indicibus, viri docti Catalogos genuinarum ſcripſerant. Erant, ut docet *A. Gellius* Lib. III. c. 3. Catalogi *Ælii*, *Sedigiti*, *Claudii*, *Aurelii*, *Accii*, *Manilii* & *Varronis*, ſuper hiſce fabulis.

3. *Diogenes* * duo tantùm ſcripta à *Socrate* Sophroniſci filio, melioris Philoſophiæ parente, memorat, *Pæana*, & *fabulam Æſopicam*, quorum initia refert. Ac ſanè horum meminit etiam *Plato*, in Phædone. Hæc autem brevia, nec elegantia admodum carmina tanti non erant, ut propterea inter Scriptores memoraretur *Socrates*. Quo factum ut eum *Cicero* † quidquam ſcripſiſſe negarit: *Ejus ingenium*, inquit, *variosque ſermones immortalitati Scriptis ſuis Plato*

* *Lib. II. §. 42.* † *Lib. III. de Oratore.*

tradidit, *cùm ipſe litteram* Socrates *nullam reliquiſſet*. Similia habet *Plutarchus*, de Fortuna Alexandri. Igitur, quamvis ipſe ſtylus non oſtenderet * Epiſtolas, Socratis nomine præſcriptas, Rhetoris eſſe recentioris, ſilentium Veterum eas fictas eſſe clamaret; cùm dubium non ſit quin, ſi quid exſtitiſſet Philoſophorum nobiliſſimi, id diligenter ab ejus diſcipulis ſervatum eſſet, & ſtudioſè poſteritati commendatum. Horum Scripta, cùm ſummam ejus admirationem ubique ſpirent, numquam commiſiſſent ut viri reliquias indictas dimitterent. Quin ejus ſermones poſteris transdere *Plato*, *Xenophon*, & *Æſchines*, viri ſummi, certatim conati ſunt, nedum ut Scripta ejus negligerent. Sunt & aliæ, aliorum Philoſophorum, Epiſtolæ ſuſpectæ; ſed non teximus Catalogum ſuſpectorum, aut falſorum. Pauca dumtaxat exempla, ad illuſtrationem axiomatis noſtri, congerimus.

10. Fuerunt etiam viri docti, qui ipſi tradiderint quæ ſcripſerant, ne ab impoſtoribus ſibi aliena tribuerentur, aut ſua aliis. Sic *Diodorus* Siculus, initio Hiſtoriæ, poſtquàm inſtituti ſui rationem expoſuit, dixſtque ſe XL. libris hiſtoriam ć l ↄ CXXXVIII. annorum complexum, ſubjicit: Ταῦτα μὲν ἂν ἀκριβῶς προδιαιρεσάμεθα, βυλόμενοι τὸν μὲν ἀναγινώσκοντας εἰς ἔννοιαν ἀγαγεῖν τ᾽ ὅλης πραγματείας. τὸν ὃ διασκευάζειν εὐπόρους τὰς βίβλους ἀποτρέψαι

* *In Collect. Epiſtolarum Græc. & ſeorſim editæ ſunt.*

προτρίψαι τὸ λυμαίνεσθαι τὰς ἀλλοτρίας πραγματείας : *Hæc itaque initio adcuratè definimus : dum legentes in notitiam totius inſtituti deducere, eósque qui libros interpolare ſolent, ne alienos labores corrumpant, dehortari cupimus.* At utinam aliquâ arte potuiſſet impedire, ne tot ejus libri integri interciderent ! Ideò etiam *Galenus* ſcripſit περὶ τῶν ἰδίων βιβλίων, *de ſuis libris*, quòd pro ipſius libris venderentur, qui non erant, librósque ejus alii ſibi vindicaſſent & pro arbitrio interpolaſſent, ut in Proœmio docet. Sed & aliorum Scriptorum Catalogos multi ſcripſerunt, quorum nomina collegit *Joan. Howerius*, Tract. de Polymathia C. XVI.

11. Ad Scriptores Eccleſiaſticos quod adtinet, *Euſebius* eorum, qui ante ipſum floruerant, Scripta diligenter in Hiſtoria Eccleſiaſtica recenſet; *Hieronymúsque* eorum Catalogum, datâ operâ, ſcripſit, in quo Scripta *Euſebio* recentiora addidit. *Gennadius* verò Maſſilienſis, qui floruit circa finem ſæculi V, ſimiliter *Hieronymo* recentiora ad ſua uſque tempora deduxit. *Photius* etiam, in ſua Bibliotheca, multorum Opera receuſet, judiciúmque ſuum de iis interponit. De recentioribus nihil dicam, quia ſatis eſt, ad inſtitutum meum quod adtinet, antiquiores adpellaſſe. Cùm verò multos Scriptores Eccleſiaſticos præterea habeamus, qui ſubinde ſuperiorum ætatum Scripta laudant, vix inſignioris Scriptoris liber ullus diligentiam eorum, qui datâ operâ hanc rem egerunt, ut libros omnes Veterum recenſerent, fugere-

potuit. Quo factum ut Veteres ſoleant negare genuinum eſſe Scriptum illuſtris auctoris, cujus apud antiquiores, atque ætati ſcribentis propiores, nullam factam eſſe mentionem videbant. *Auguſtinus* loco antea memorato, contra Fauſtum Lib. XXXIII. cap. 6. *Nonne*, inquit, *ut alios omittam, ſub Hippocratis Medici nobiliſſimi nomine quidam libri prolati, in auctoritatem à Medicis non recepti ſunt? Nec eos adjuvit nonnulla ſimilitudo rerum atque verborum; quando comparati eis, quos verè Hippocratis eſſe conſtaret, impares judicati ſunt; & quòd eo tempore, quo & cetera ſcripta ejus, non innotuerunt quòd verè ejus eſſent.*

12. Exempli gratiâ, *Euſebius* Hiſt. Lib. III. c. 3. rejicit aliquot Libros, qui ejus tempore à nonnullis Petro tribuebantur, quòd à Veteribus non eſſent laudati. Τὸ μὲν τῶ ἐπικεκλημένων αὐτῶ πράξεων, καὶ τὸ καθ' αὐτὸν ὠνομασμένον Εὐαγγέλιον, τό, τε λεγόμενον αὐτῶ κήρυγμα καὶ τὴν καλουμένην ἀποκάλυψιν, οὐδ' ὅλως ἐν καθολικοῖς ἴσμεν παραδιδομένα, ὅτι * μήτε ἀρχαίων, μήτε τῶ καθ' ἡμᾶς τὶς ἐκκλησιαστικὸς συγγραφεὺς ταῖς ἐξ αὐτῶν συνεχρήσατο μαρτυρίαις: *Librum verò qui* Actus Petri *dicitur*, & Evangelium ſecundum illum *dictum*, *qui* Prædicatio ejus *nuncupatur*, & *quæ fertur* Apocalypſis, *nullo modo pro Catholicis habitos ſcimus; quandoquidem nec vetuſtiorum quiſquam, nec noſtræ ætatis*

* *Ad prædicationem Petri quod adtinet, fallitur* Euſebius, *eam enim quaſi Petri laudat* Clemens *Alexandrinus. Vide Cap. ſequens, §. 7.*

ætatis Eccleſiaſticorum Scriptorum deſumto ex iis teſtimonio uſus eſt.

13. Idem Libro eodem, Cap. XXV. rejicit libros ſub Apoſtolorum nomine vulgatos, qui libri Petri, Thomæ, Matthiæ, & quorumdam aliorum Evangelia, Andreæ quoque, Joannis, aliorúmque Apoſtolorum Scripta continebant; cùm aliis de rationibus, quas poſtea memorabimus, tum etiam de hac: Ὧν, οὐδὲν ὡδαμῶς ἐν συγγράμματι τῶν κατὰ διαδοχὰς ἐκκλησιαστικῶν τις ἀνὴρ εἰς μνημην ἀγαγεῖν ἠξίωσεν: *quorum nihil uſpiam, in ullo Scripto, Eccleſiaſticus vir, deductâ ab Apoſtolis ſucceſſione, memorare dignatus eſt.* Capite verò XXXVII. de ſecunda Epiſtola *Clementis*, ita loquitur: ἣ μὲν ἐφ' ὁμοίως τῇ προτέρᾳ καὶ ταύτην γνώριμον ἐπισάμεθα, ὅτι μὴ καὶ τὰς ἀρχαίας αὐτῇ κεχρημένας ἴσμεν: *verùm hanc non ſcimus eſſe genuinam, ut priorem, quoniam novimus Veteres ea non eſſe uſos.* Idem dicit de aliis ejus Scriptis, quibus videtur deſignare libros Recognitionum, ut docebit *Henr. Valeſius.*

14. *Photius* Cod. I. meminit cujuſdam *Theodori* Presbyteri, qui adgreſſus erat oſtendere genuinos eſſe libros, qui tribuuntur *Dionyſio* Areopagitæ; & profert Criticorum objectiones quatuor, quas confutandas ſuſceperat: μία μὲν ὅτι εἰ ἦν γνησία, πῶς ἂν ἐμνήσθησαν τῶν ἐν αὐτῇ ῥητῶν καὶ χρήσεών τινες τῶν μεταγενεστέρων πατέρων; δευτέρα δὲ ὅτι Εὐσέβιος ὁ Παμφίλου ἀναγραφὴν ποιησάμενος τῶν συγγεγραμμένων τοῖς μακαρίοις πατράσιν ἡμῶν βιβλίων, ἐδημείου ταύτης μνήμην ἐ-

ποίημα : *prima quidem, ſi genuinus eſt, cur nemo Patrum, qui poſtea vixerunt, ex eo libro ſententias aut teſtimonia citarit? Altera verò, quòd Euſebius Pamphili recenſionem faciens librorum ſcriptorum à beatis patribus noſtris, nullam hujus mentionem fecerit.* * *Theodori* reſponſiones non addit *Photius*, fortè quòd ineptas duceret; certè parum firmas fuiſſe ſatis oſtenderunt † viri docti, qui *Dionyſii*, quæ circumferuntur, opera; poſt *Euſebii* demum tempora ſcripta fuiſſe oſtenderunt.

15. Quamvis Aphoriſmi noſtri auctoritas plerumque illibata maneat, non diffitebimur tamen egregios nobis aliquot ſupereſſe Scriptores; quorum ſuppares, qui quidem ſuperſint, nullam mentionem fecere. *Phædri*, Auguſti Cæſaris Liberti, meminit demum *Feſtus Avienus*, qui Theodoſii Magni temporibus floruit; ante eum nemo, qui ad manus noſtras pervenerit. Hiſtoriam Alexandri à *Q. Curtio* ſcriptam nemo Veterum memorat, locus ex ea nullus ab ullo antiquo Grammatico profertur. At hunc quidem recentiorem Veſpaſiano, illum verò Tiberio nemo exiſtimat; elegantia enim ſtyli in utroque Scriptore ea eſt, ut credamus ab iis minimè falſò ætates ſuas indicatas. *Athenagoræ* nomen, & opera *Euſebio Hieronymóque* ignota fuere; quamquam à *Methodio* Patarorum, deinde Tyri Epiſcopo, ſub finem ſæculi tertii, memorata. *Marii Mercatoris*, æqualis *Auguſtino*,

* *Duæ aliæ objectiones proferentur Cap. IV. §. 8.*

† *Vide* Joan. Pearſonii *Vindic. Ignatianas P. I. c. 10.*

no, nemo mentionem fecit, quaſi Scriptoris, cujus tamen utiliſſima Opuſcula è tenebris eruit Jeſuita doctiſſimus *Joannes Garnerius*, & Lutetiæ anno M D C LXXIII. edidit, diſſertationibusque eruditis illuſtravit. Sed in hiſce Scriptoribus, ſtylus atque univerſa ſcribendi ratio oſtendunt minimè ſuppoſititios eſſe, ſed verè vixiſſe temporibus, quibus ſe vixiſſe ipſi teſtantur.

16. Quartus Aphoriſmus hic erit: *Quæ diſſertè ſunt rejecta, aut in dubium revocata ab Antiquioribus, ea vix, propter Recentiorum auctoritatem, admitti queant.* Hujus Aphoriſmi veritas per ſe manifeſta eſt, propioribus enim ætati Scriptoris notiores eſſe ejus fœtus genuini debuerunt, quàm poſtea natis; quò enim ſeriùs naſcimur, eo tenuior rerum præteritarum notitia ad nos pervenit. Quis ergo credat, per aliquot ſæcula, negari Librum quempiam certi eſſe Scriptoris, aut an genuinus ſit vehementer dubitari; deinde à poſteris, ſine ullis novis argumentis, meritò verum ac legitimum illum fœtum haberi poſſe? Attamen hoc non ſemel factum eſt. Sic liber *Sapientiæ Salomonis*, cùm à Judæis rejiceretur, nec à primis Chriſtianis admitteretur quaſi genuinum illius opus, ſed dumtaxat quaſi liber utilis; qua ſola de cauſa publicè, in Eccleſiis, legebatur; attamen nunc à maxima Chriſtianorum parte Canonicus, hoc eſt, genuinus Salomonis fœtus, ſaltem ex ejus operibus excerptus, exiſtimatur. Nam niſi ita cenſerent, numquam manifeſtarium Impoſto-

rem, qui ſe pro Salomone gerit, numero Scriptorum ſacrorum haberent. Unde tamen reſciverunt, librum hunc ex Salomonis Scriptis collectum eſſe? Unde norunt Hebraïcè ſcriptum antea fuiſſe; magis enim Græcam dictionem redolet, quàm Hebraïcam, præſertim ubi ad nullum locum Hebraïcorum Librorum, quod paſſim fit, reſpicitur? Nempe, cùm legeretur in Eccleſiis, nec ſatis nota eſſet Veterum de eo ſententia, cœpit defendi, antequàm ejus γνησιότης ad examen eſſet revocata; æſtúque controverſiarum accedente, quod ſemel cœperat adfirmari, id numquam poſtea revocari, ſine dedecore, potuit.

17. Antea protulimus locum *Hieronymi*, ex Præfatione in libros Salomonis, cui jungemus alterum ex Prologo Galeato. *Hic prologus*, inquit, *Scripturarum, quaſi galeatum principium omnibus libris, quos de Hebræo vertimus in Latinum, convenire poteſt; ut ſcire valeamus, quidquid extra hos eſt, inter ἀπόκρυφα eſſe ponendum. Igitur Sapientia, quæ vulgò Salomonis inſcribitur, & Jeſu filii Syrach liber, & Judith, & Tobias, & Paſtor non ſunt in Canone. Machabæorum primum librum Hebraïcum reperi. Secundus Græcus eſt, quod ex ipſa quoque φράσει probari poteſt.* Igitur do hiſce omnibus, idem ferendum judicium, quod diſertiùs etiam profert in præfatione in Libros Salomonis, ubi de Sapientia & Eccleſiaſtico loquutus: *Sicut ergo*, inquit, *Judith*

& Tobiæ, & Machabæorum libros legit quidem Eccleſia, ſed inter Canonicas Scripturas non recipit : ſic & hæc duo volumina legat ad ædificationem plebis, non ad auctoritatem Eccleſiaſticorum dogmatum confirmandam. Facile eſſet oſtendere conſentire cum *Hieronymo* antiquiſſimos quoſque Patres ; ne rem ipſam illi manifeſtò faventem commemorem ; ſed dudum hoc à viris doctis præſtitum. Vide Intt. ad Canon. Apoſtolicum LXXVI.

18. Unum tamen, ne quid diſſimulemus, objici poſſit huic noſtro Aphoriſmo ; nempe, ab omnibus Chriſtianis nunc admitti ſeptem Novi Teſtamenti libros, quaſi Canonicos, de quibus olim diu dubitatum eſt ; Epiſtolam ad Hebræos, Ep. Jacobi, Petri ſecundam, Joannis ſecundam & tertiam, Ep. Judæ, & Apocalypſin. Quærant ſtudioſi quid de his habeant *Euſebius* ac *Hieronymus*, & comperient verum eſſe quod dixi. Res ejus momenti digna quidem eſſet, quæ, prolatis locis, diligenter expenderetur ; ſed ampliorem tractationem poſtularet, quàm ea eſſet, quam ad calcem hujus Capitis poſſemus adgredi. Itaque in aliud tempus rem rejiciemus.

19. Quamvis libros à Veteribus rejectos ægrè admittere poſſimus ; non eſt putandum è contrario non licere nobis rejicere eos quos admiſerunt, ſi graves ſint nobis rationes. Sic *Sibyllina Oracula*, avide à veteribus Chriſtianis excepta, à Recentioribus meritò rejecta ſunt, ob clara fraudis indicia ; quæ à Veteribus non ſentiebantur ; aut fortè etiam diſſimu-

mulabantur; propter neſcio quam utilitatem, quam ex iis, ad probandam Religionem Chriſtianam, capere ſe poſſe putabant. Sic & varia Scripta *Clementis* nomen præferentia, ut antea oſtendimus, meritò repudiata ſunt à ſuperioris ætatis Criticis, quamvis Veteribus probata. Vide & alia exempla ſimilia apud *Joan. Dallæum* Lib. I. de Uſu Patrum Cap. 3.

CAPUT IV.

Indicium V. & VI. ex quibus Suppoſitio, aut Interpolatio agnoſci poſſunt.

I. QUATUOR adlata Indicia, ex quibus περὶ γνησιότητος καὶ νοθείας judicare licet, ex rebus externis petita ſunt; quæ ſequuntur ex rebus ipſis, quas Libri complectuntur, ſunt deducta. Quatuor enim proferemus, quæ pertinent ad res; duo verò, quæ ex ſtylo naſcuntur. Quintum ergo νοθείας indicium, hoc Aphoriſmo, complectimur: *Liber in quo dogmata leguntur, iis contraria quæ Scriptor, cujus nomen præfert, conſtanter defendit, non videtur ejus eſſe, ſi præſertim dogmata ſint alicujus momenti; aut interpolatus eſt.* Sic *Galenus*, Procœmio Comment. I. in Librum *de Natura hominis*, primum ejus λόγον *Hippocratis* eſſe cenſet, quippe παντελῶς ἐχόμενον τῆς Ἱπποκράτους τέχνης, *planè conſentaneum Hippocratis arti*; quod judicium de ſecundo

cundo etiam fert ; at judicat tertium *de venarum anatomia, manifeſto additum, pravâ doctrinâ totum eſſe plenum* : τὸν δὲ περὶ τῆς τῶν φλεβῶν ἀνατομῆς, ἐναργῶς παρεγκείμενον, ἔχειν μοχθηρὸν ὅλον. *Neque enim*, inquit, *conſentit cum iis quæ adparent, & cum iis pugnat, quæ ſecundo Epidemiorum libro dicta ſunt* : ὅτε γὰρ τοῖς φαινομένοις ὁμολογεῖ, καὶ τοῖς ἐν τῷ δευτέρῳ τῶν ἐπιδημιῶν εἰρημένοις μάχεται. pag. 94. Tom. III. Ed. Charterianæ. Similia etiam habet Comment. II. ad text. 22. p. 148. Unde intelligere licet interpolatum fuiſſe hoc Opus, cujus prima & ſecunda pars *Hippocratis* ſunt, aliæ verò ab alia manu.

2. Protulimus Cap. I. locum ex Conſtitutionibus Apoſtolicis, in quo non malè Impoſtor, quiſquis ille ſit, inducit Apoſtolos dicentes : * οὐ γὰρ τοῖς ὀνόμασι χρὴ ὑμᾶς προσέχειν τῶν ἀποστόλων, ἀλλὰ τῇ φύσει τῶν πραγμάτων, καὶ τῇ γνώμῃ τῇ ἀδιαστρόφῳ : *non enim nomina oportet vos adtendere Apoſtolorum, ſed naturam rerum, & ſententiam immutabilem.* Igitur ut poſſimus judicare an Liber ſit Scriptoris, cujus nomen præfert, oportet nos diligenter legere alia ejus opera, ſi quæ ſuperſint, ut quæ ejus fuerint opiniones quàm adcuratiſſimè cognoſcamus. Poſtquàm verò eas noverimus, ita ut nullum ſuperſit dubium, tum demum Librum, in quo contrariæ defendentur, meritò rejicere poterimus quaſi ſuppoſititium ; niſi conſtet Scriptorem mutaſſe

* *Lib. VI. c. 16.*

ſe ſententiam, quod de *Auguſtino*, exempli gratiâ, nos docent ejus retractationes. *Quintilianus* Inſt. Orat. Lib. III. c. 5. poſtquàm dixit perveniri ad ſpeciem non poſſe, niſi generali excuſſâ quæſtione, ita pergit: *Sunt tamen inſcripti nomine* Hermagoræ *libri, qui confirmant illam opinionem, ſive falſus eſt titulus, ſive alius hic* Hermagoras *fuit. Nam ejuſdem eſſe quomodo poſſunt, qui de hac arte mirabiliter multa compoſuit, cùm, ſicut ex* Ciceronis *primùm Rhetorico manifeſtum eſt, materiam Rhetorices in cauſas & theſes diviſerit?* At idem nos docet maximos Scriptores interdum prioribus Scriptis damnatis alia ſubſtituiſſe; quòd paullò poſt ſubjicit de eo opere Rhetorico *Ciceronis.* Idem ipſe de ſe fatetur, mutatam, nimirum, à ſe ſententiam, nec eadem ſemper inventum iri in libris, ex ipſius ore à diſcipulis exceptis, ac in Inſtitutione Oratoria; quod excuſat etiam exemplis *Hippocratis* & *Ciceronis.* Hippocrates, inquit Cap. VI. *clarus arte medicinæ videtur honeſtiſſimè feciſſe, quòd quosdam errores ſuos, ne poſteri errarent, confeſſus eſt.* *Et* Marcus Tullius *non dubitavit aliquos jam editos libros, aliis poſtea ſcriptis, damnare; ſicut Catulum atque Lucullum, & hos ipſos, de quibus modo ſum loquutus, artis Rhetoricæ. Etiam ſupervacuus ſoret in ſtudiis longior labor, ſi nihil liceret melius invenire præteritis.*

3. Verùm ut pernoſcamus ſententiam antiquiſſimorum Scriptorum, ſummopere cavendum ne illam ex præjudiciis noſtris interpretemur;

mur; hoc eſt, talem putemus, qualem oportuiſſe eſſe cenſemus, ut conſentiat cum dogmatibus, quæ nos ſola vera eſſe judicamus. Sic *Rufinus* ſe geſſit erga *Origenem*, cujus ſententiam eam non credidit fuiſſe, quam in ejus libris reperiebat; ſed qualem fuiſſe oportere judicabat, ut orthodoxus cenſeretur. Itaque delebat, aut immutabat quidquid videbatur favere dogmati Arianorum, aut aliis quæ falſa habebantur. Quarè autem? Quia Hæreſeos, à Nicænis Patribus, inſimulatus non fuerat *Origenes*. Quaſi verò multæ rationes ejus rei eſſe non potuerint! Omnes norunt, antequàm controverſiæ magno æſtu agitentur, multa dici impunè; quæ hæretica tum habentur, cùm non minùs pugnatur adverſùs homines, quàm adverſùs dogmata. Tum demum multa, quæ condonata fuerant prioribus, acerrimè damnantur in poſterioribus. Imò verò, dum in partes ſuas quiſque antiquiores trahere nititur, ut ſeciùs ſentientes erroris ſui patronos nituntur habere ſuperiorum ætatum homines: ita & qui veriorem ſententiam tuentur omni ope conantur Majores ſuos malè ſentientibus eripere, atque errorum omnium immunes potiùs pronunciant, quàm ut fateantur novatoribus favere. Sic *Origenes* excuſatus, ſic *Clemens* Alexandrinus, ſic alii plures, à viris eruditis; qui eos quales cupiebant fuiſſe deſcripſerunt, potiùs quàm quales fuerunt.

4. Quia res eſt magni, ad rectè judicandum de eorum operibus, momenti, exemplúmque hoc ad alia trahi poteſt, ſubjiciemus nonnul-

la

la de eis judicia Veterum; qui ea legerant eorum opera, quæ non exſtant, & integra habebant ac ſincera, quæ ab *Rufino* interpolata, & malè verſa ad nos pervenerunt. *Euſebius*, Eccleſ. Hiſt. Lib. VI. c. 14. inſtitutum *Clementis* in Hypotypoſeon opere deſcribit, nec eum ullius Hæreſeos incuſat. At *Photius* nos docet, Cod. CIX. plura fuiſſe, in eo opere, quæ nullo modo poſſent probari: ἔν τισι μὲν αὐτῶν ὀρθῶς δοκεῖ λέγειν. ἔν τισι δὲ, παντελῶς εἰς ἀσεβεῖς καὶ μυθώδεις λόγους ἐκφέρεται: *in quibuſdam, quidem rectè videtur dicere; in quibuſdam verò, ad impios & fabuloſos ſermones defertur.* Tum ſubjicit eum docere materiam eſſe æternam; Filium in rebus creatis numerare; animorum migrationes, multósque ante Adamum mundos comminiſci; Evam ex Adamo, aliter ac Sacros Libros, educere; Angelis cum fœminis congreſſis liberos tribuere; Verbum carnem non eſſe factum dictitare, ſed tantùm videri, aliáque quæ, apud ipſum *Photium*, legantur. Tandem ſubjicit: καὶ ταῦτα πάντα ἀπὸ ῥητῶν τινῶν πειρᾶται κατασκευάζειν ἡ γραφή. καὶ ἄλλα δὲ μυρία βλασφημεῖ καὶ φλυαρεῖ, εἴτε αὐτὸς, εἴ τίς τις ἕτερος τὸ αὐτὸ πρόσωπον ὑποκριθείς: *quæ quidem omnia, Scripturæ quibuſdam teſtimoniis, nititur adſtruere. Alia etiam ſexcenta blaſphema effutit, ſive ipſe, ſive alius ſub ejus perſona latens* Rectè & prudenter fecit *Photius*, qui *Clementem* non abſolvit, quia conſtabat hæc omnia eſſe Platonicorum dogmata; quos à *Clemente* Alexandrino nimio in

pre-

pretio habitos fuiſſe, nemo neſcit. Imò verò, ſi animo defæcatiore legiſſet *Stromateas* & *Pædagogum Clementis*, nonnulla eorum dogmatum apertè & copioſè ab eo defenſa fuiſſe comperiſſet, aliáque non meliora, ut alibi * oſtendimus. Talia etiam docebat *Origenes*, in Opere *de Principiis*, & alibi, ut oſtendunt *Hieronymus* & *Epiphanius*, ubi agunt de erroribus *Origenis*. Ubique autem & *Clementem* & *Origenem* fuiſſe depravatos, ubi *Platonem* ſequuntur, credat *Rufinus*, & qui numquam adtenderunt quæ fuerint Patrum illorum Philoſophica dogmata. At diſcrepantia, inquiunt, ſunt in aliis eorum Operibus. Quis verò eos docuit tam adcuratè illos ratiocinatos, ut ſibi numquam non conſtiterit? Deinde vehementer dubito, an tam ſæpe ſibi contradicerent, ac videbantur. Cùm liberè & Philoſophicè ratiocinabantur, multa dicebant quæ poterant videri contraria aliis eorum libris, ubi ſimpliciter tradunt quod inter Chriſtianos vulgò ſolebat doceri; cùm ex illorum ſenſu contraria non eſſent, quia ex Philoſophicis ſuis placitis loquutiones vulgò receptas intelligebant. Quæ omnia ſunt diligenter expendenda iis, qui ex dogmatibus, genuinúsne an ſpurius ſit liber, judicare adgrediuntur.

5. *Photius*, qui ſimilia legerat, iis quæ antea in *Clemente* caſtigavit, in Libris *Origenis* de Principiis, propterea tamen eos ſuſpectos non

* *Primùm in vita Gallica* Clementis *Alexand. quæ eſt in Tom. X. Bibliotheca Univerſalis; deinde hujus Artis Critica* Tom. 3. Ep. 1.

non habuit. Sic * ille, de primo ejus operis libro: ὁ μὲν πρῶτος περὶ πατρὸς, καὶ υἱοῦ, καὶ ἁγίου πνεύματος, ἐν ᾧ πλεῖστα βλασφημεῖ τὸν μὲν υἱὸν ὑπὸ τοῦ πατρὸς πεποιῆσθαι λέγων, τὸ δὲ πνεῦμα ὑπὸ τοῦ υἱοῦ. καὶ διήκειν μὲν πατέρα διὰ πάντων τῶν ὄντων, τὸν δὲ υἱὸν μέχρι τῶν λογικῶν μόνον, τὸ δὲ πνεῦμα μέχρι μόνων τῶν σεσωσμένων. λέγει δὲ καὶ ἄλλα παραλογώτατα, καὶ δυσσεβείας πλήρη. μετεμψυχώσεις γὰρ ληρωδεῖ καὶ ἐμψύχους τοὺς ἀστέρας, καὶ ἕτερα τούτοις παραπλήσια: *Primus est de Patre, Filio, & Spiritu Sancto, in quo multas habet blasphemias, dicens Filium à Patre factum esse, Spiritum à Filio; Patrem omnia quæ sunt pervadere, Filium vero ratione tantùm prædita, Spiritum denique ea dumtaxat quæ servata sunt. Dicit & alia nimiùm absurda, impietatisque plena. Animorum migrationes, & stellas animatas delirè narrat, aliáque his similia.* Profectò si propter talia rejiciendus fuisset ille Liber *Origenis*, quasi *spurius*, aut interpolationis arguendus; omnia pænè ejus opera, ab antiquissimis temporibus, fuissent suppositа, aut corrupta, cùm passim talia habeat. Audiendus *Hieronymus*, hac de re, in Ep. ad Pammachium & Oceanum, quamvis fortè nimius; audiendus, inquam, quia satis est partim verum esse quod ait, ut intelligamus non esse facilè confugiendum ad corruptionem exemplarium; propter ejusmodi errores, qui inveniuntur in operibus *Origenis*.

Tomi

* *Cod. VIII.*

Tomi IV. P. 2 col. 347. Ed Bened. *Illud verò quod adſerunt à quibuſdam Hereticis, & malevolis hominibus, libros ejus eſſe violatos, quàm ineptum ſit hinc probari poteſt Quis prudentior, doctior, eloquentior* Eulebio, & Didymo, *adſertoribus* Origenis, *inveniri poteſt? Quorum alter ſex voluminibus ἀπολογίας ita eum, ut ſe, ſenſiſſe confirmat; alter ſic ejus errores nititur excuſare, ut tamen illius eſſe fateatur; non ſcriptum negans, ſed ſenſum ſcribentis ediſſerens. Aliud eſt, ſi quæ ab hæreticis addita ſunt* Didymus, *quaſi bene dicta, defendat.* Si exſtarent hæ Apologiæ, ex illis intelligere liceret, utrum *Origenes* fuiſſet depravatus; nam quod hominis diſcipuli defendebant, id ejus ſine dubio erat. Vidit etiam *Photius* recentiorem Apologiam, pro *Origene*, ubi non aliter defendebatur, quamvis ejus Scriptor diceret etiam corruptos fuiſſe Libros *Origenis.* Quo factum ut ita loquatur de ea *Photius*, ad Cod. CXVII. *οὐκ ἔστι λύσις τῶν ἐγκλημάτων ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, ἀλλὰ συνηγορία τῆς κατηγορίας: non eſt ut plurimùm ſolutio accuſationum, ſed criminationis adſtipulatio.* In hac defenſione, *Clemens* pro diſcipulo ſuffragium etiam ferebat.

6. Pergit verò *Hieronymus*, hiſce verbis: *Solus inventus eſt* Origenes, *cujus Scripta in toto orbe falſarentur, &, quaſi ad Mithridatis litteras, omnis veritas uno die de voluminibus illius raderetur. Si unus violatus eſt liber, num univerſa ejus opera, quæ diverſis & locis,*

& temporibus, edidit, ſimul corrumpi potuerunt? Ipſe Origenes, *in Epiſtola, quam ſcribit ad* Fabianum *Romanæ urbis Epiſcopum, pœnitentiam agit, cur talia ſcripſerit, & cauſas temeritatis in Ambroſium refert, quòd ſecretò edita in publicum protulerit; & quid adhuc* πρωτολογεῖν *aliena eſſe quæ diſplicent?* Certè erat diſcipulorum *Origenis* vetera exemplaria proferre, in quibus aliena dogmata non legerentur. Erat etiam propugnatorum fidei Nicænæ, eadem ratione, Arianis ex *Origene* argumentantibus, non interpolatis exemplaribus, os occludere. Præterea ea dogmata *Origenis* non erant in uno, aut altero verbo ſita, aut etiam in aliquot periodis, ſed in toto Orationis contextu. Idem *Hieronymus* Lib. III. contra *Rufinum*, non procul ab initio Tomi IV. P. 2. col. 479. Ed. Ben ita eum adloquitur: *Quámvis mutes, quamvis corrigas, Catholica non probabis. Si enim error eſſet in verbis, aut in paucis ſenſibus, poſſent detruncari mala, & bona pro his reponi. Ubi autem tota diſputatio æqualis eſt; ut, univerſæ rationales creaturæ, quæ propriâ voluntate corruerant, in unum poſtea revertantur ſtatum, ut rurſum ex eodem principio aliæ ſint ruinæ; quid habes emendare, niſi cuncta mutaveris? Quod ſi facere volueris, jam non libros alienos interpretaberis, ſed condes tuos.*

7 Hæc ſatis ſupérque ſunt, ut adpareat non ex præconceptis opinionibus eſſe judicandum de ſententiis Veterum, ἀλλὰ περὶ γνησίου

τητος ἢ νοθείας Librorum, qui illis adſcribuntur, uti frequenter fit. Nunc exemplum proferendum certiſſimi Scriptoris antiqui dogmatis, ex quo cognoſcere licuit, ſi nullum aliud fuiſſet indicium, Librum, qui illi tribuebatur, ſuppoſiticium fuiſſe. Certiſſimè conſtat Judæos omnes, adeóque Apoſtolos, credidiſſe falſum Numen ab Ethnicis coli, non idem quod à Judæis colebatur. Attamen Liber circumferebatur, quaſi Petri, qui Κήρυγμα Πέτρου dicebatur; in quo contraria habebantur, ut multis oſtendit *Clemens* Alexandrinus, Stromat. Lib. VI. p. 635. ubi eum Librum, mirâ confidentiâ, aut ἀβλαβείᾳ potiùs, quaſi genuinum fœtum Petri, non ſemel laudat. Multò rectius * *Euſebius*, loco antea partim adlato, cùm memoraſſet Scripta falſò Apoſtolis adſcripta, eáque jam aliis de cauſis repudianda dixiſſet: ἥ τε γνώμη καὶ ἡ παρ' αὐτοῖς φερομένων προαίρεσις πλεῖστον τῆς ἀληθοῦς ὀρθοδοξίας ἀπᾴδουσα, ὅτι δὴ αἱρετικῶν ἀνδρῶν ἀναπλάσματα τυγχάνει σαφῶς παρίστησιν: *ſenſus ipſe & eorum quæ in illis dicuntur ſententia, immane quantùm à vera orthodoxia abludentia, clarè oſtendunt ea eſſe hæreticorum hominum figmenta.*

8. Cùm pleraque ſunt recta, nec eo, à quo ſcripta feruntur, indigna; & pauca dumtaxat deterioris notæ hîc, illic adſperſa; interpolationis potius Liber eſt ſuſpectus haben-

* *Hiſt. Eccleſ. Lib. III. c. 25.*

dus, quàm ſuppoſitionis. Ejuſmodi eran interpolatæ *Ignatii* Epiſtolæ, ut ex vetere interprete Latino, & Codice Græco Medicæo, XVII. ſæculo, intelligere licuit Qua de re nihil ampliùs dicam, cùm virorum doctorum libri, qui hac de re egerunt, ſint in omnium manibus, in hac urbe recuſi.

9. Sextus Aphoriſmus ita habet: *Liber in quo memorantur res, aut perſonæ Scripture, cujus nomen præfert, recentiores, aut ejus non eſt, aut ab alio eſt auctus.* Hæc interpretatione nequaquam indigent, cùm ſint clara Sunt tantùm exempla adjicienda. Objectum hoc eſt meritò Pſeudo-Dionyſio, ut docet *Photius*, Cod. I. ubi hæc verba ſequuntur ea quæ ad Aphoriſmum III. adtulimus: Τρίτη δὲ (ἔνστασις δηλονότι) ἔτι πῶς τὰ κατὰ βραχυτὴν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ καὶ διὰ μακρᾶ τοῦ χρόνου αὐξηθέντων παραδόσεων ἡ βίβλος αὕτη τὴν ἐξήγησιν ποιεῖται; ὁ μὲν γὰρ μέγας Διονύσιος σύγχρονος ἦν, ὡς δῆλον ἐκ τῶν πράξεων, τοῖς Ἀποστόλοις. ἃ δ' ἡ βίβλος περιέχει τὰ κατὰ βραχυτὴν καὶ εἰς ὕστερον ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ αὐξηθέντων παραδόσεών ἐστιν ἀναγραφή. ἀπίθανον ἦν, μᾶλλον δὲ κακοπλαστὸν τὰ κατὰ πολὺν χρόνον τοῦ τελευτῆς τοῦ μεγάλου Διονυσίου ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ αὐξηθέντα Διονύσιον ὑπολαμβάνειν ἀναγράψαι: *Tertia objectio; quomodo traditionum earum, quæ paullatim & longo tempore auctæ ſunt in Eccleſia, liber hic adcuratam expoſitionem habet? Magnus enim Dionyſius æqualis erat, ut adparet ex Actibus Apoſtolorum. Quæ verò habet Liber ea pertinent*

ad

ad deſcriptionem potiſſimùm traditionum, quæ ſenſim & poſtea invaluerunt in Eccleſia. Non eſt ergo veriſimile, inquit, imo verò confictum, quæ longo tempore poſt mortem magni Dionyſii creverunt, ea Dionyſium deſcribenda ſuſcepiſſe Hoc eodem indicio multos Libros, qui pro Veteribus venditabantur, recentiores eſſe agnoverunt viri doctiſſimi, XVII. præſertim ſæculo.

10. Sed & alterum indicium proferebatur contra Pſeudo-Dionyſium, ſic enim pergit *Photius*: τετάρτη ὅτι, πῶς μέμνηται ἡ τοῦ θεοφόρου Ἰγνατίου ἐπιστολῆς ἡ βίβλος; ὁ μὲν γὰρ Διονύσιος τοῖς τῶν Ἀποστόλων ἐπήκμασε χρόνοις. Ἰγνάτιος δὲ ἐπὶ Τραϊανοῦ τὸν διὰ μαρτυρίου ἆθλησιν ἀγωνίσατο, ὃς καὶ βραχὺ πρὸ τῆς τελευτῆς ταύτην ἐπιστολὴν, ἧς ἡ βίβλος μνημονεύει, γράφει: *Quarta; cur Epiſtolæ divini Ignatii meminit hic liber? Dionyſius enim temporibus Apoſtolorum floruit, Ignatius verò, Trajano imperante, martyrii certamen decertavit, & paullò ante mortem Epiſtolam, cujus meminit hic liber, ſcripſit.* Talia multa animadverterunt viri eruditi, in Libris ſuppoſiticiis; quorum exempla ſuppeditabunt *Cocus*, *Rivetus*, *Caveus*, & alii.

11. Ex ejuſmodi indiciis, præſertim ſi totus contextus orationis iis ſit refertus, aut nulla firma ratio ſit, quæ ſuadeat Scriptorem, cui opus quodpiam tribuitur, reverâ id ſcripſiſſe; ex ejuſmodi, inquam, indiciis colligere licet librum eſſe ſuppoſiticium. Alio-

qui contingere poſſet, ut ſingulares quædam voces, aut etiam Periochæ, in margine primùm ſcriptæ à recentiore manu interpretationis gratiâ, in contextum irrepſiſſent; aut ut additamenta quædam eſſent adſuta, quæ non obſtarent, quominùs ceteroqui Liber eſſet ejus Scriptoris, cujus nomen præferret. Conſtat jam, in Libris Moſis, & Caput ultimum Deuteronomii & alia aliquot loca eſſe à recentiore manu; at non ideò minùs certum eſt Libros illos eſſe Moſis, ut multis in Diſſertatione de Scriptore Pentateuchi, noſtris in Moſem Commentariis præmiſſa, oſtendimus. Quod ideò pluribus non perſequemur.

CAPUT V.

De Suppoſitionibus & Interpolationibus VII. & VIII. Indicia.

I. LIBROS proximè præterita ſæcula aut indoctos, aut refertos fabulis, cùm exſtincta eſſent bonarum Litterarum ſtudia & antiquiorum Librorum lectio propemodum ſperneretur, doctiſſimis viris & Veritatis amantiſſimis tribuerunt quàm plurimos; quam fraudem aut inſcitiam elegantiorum Litterarum cultura, & præſertim Criticæ παλιγγενεσια, XVI & XVII ſæculo, feliciter retexerunt. Hinc conflatum ſeptimum ſuppoſitionis, vel interpolationis indicium, quod hoc Aphoriſmo expreſſimus: *Liber indoctus, aut imperitiâ*

tiâ refertus non poteſt ulla ex parte, aut ſaltem totus viro docto tritui; nec fabulis ſcatens, viro non inepto, quem conſtat veri amantem fuiſſe, adſingi; quamvis, in vetuſtis Codicibus, eorum nomina præferat. Sic cùm olim quædam circumferrentur inſignita nomine *Periclis* illius Olympii, qui non loqui ſed fulgurare ac tonare dicebatur; quod nihil iis ineſſet hominis eloquentia dignum. Qua de re audiendus *Quintilianus* Inſt. Orat. Lib. III. c 1. *Cicero*, inquit, *in Bruto negat ante Periclem ſcriptum quidquam, quod ornatum oratorium habeat, ejus aliqua ferri. Equidem non reperio quidquam tanta eloquentiæ fama dignum; ideóque minùs miror eſſe, qui nihil ab eo ſcriptum putent, hæc autem, quæ feruntur, ab aliis eſſe compoſita.*

2. Non diffitemur poſſe doctum & veri amantem virum interdùm ceſpitare, & indocta aut falſa, incuriâ aut credulitate, proferre; ſed hoc rarum ſit neceſſe eſt, nec in rebus nimis apertè indoctis, aut falſis ſitum. Nullus eſt vir doctus, præſertim ex iis qui πολυγράφοι fuere, cui non ſit aliquid aliquando objectum; ex quo liqueret non fuiſſe ei ſemper perſpecta omnia, de quibus loquutus eſſet, aut non ſatis diligenter penſitata. Verùm hîc de errore, qui quaſi nævus in pulcra facie adparet, non agimus; ſed de frequentibus peccatis, iisque craſſioribus, quàm ut in ea vir doctus delabi poſſit. Talia innumera ſunt in Commentariis, quæ *Donati* & *Servii* nomina præferunt, ex quibus

non immeritò viri eruditi eos interpolatos fuiſſe collegerunt. Ejuſmodi eſt peccatum in Geographiam, quod adtulimus ex Servianis Commentariis, hujus *Artis Criticæ* P. I. C. I. §. 3. ubi *Hyrcaniam* in illis dici *Silvam Arabiæ* oſtendimus. Ceteroquin innumera ſunt, quæ non vulgarem eruditionem ſapiunt, & quæ ſcribi non potuerunt, niſi à doctiſſimo viro, qui multos Scriptores legerat, quorum ab aliquot ſæculis monumenta periere. Quod quia nemo neſcit, pluribus non perſequar. Idem de *Donati* reliquiis dixerim, licèt non ſint, me quidem judice, reliquiis *Servii* æquiparandæ.

3. Vir acutiſſimi ingenii *Deſ. Eraſmus*, cùm libros *Hieronymo* falſò adſcriptos volutaſſet ſummâ diligentiâ, eos ad tres claſſes referendos judicavit. „ In prima, indicavit „ erudita, nec indigna lectu; in ſecunda, „ impudenter tributa *Hieronymo*, aut aliis „ auctoribus; in tertia, docta ſed ſuis titulis auctorem teſtantia, quæ tamen Hieronymianis lucubrationibus fuerant admiſta. Sed deprehendit & aliud genus eſſe Scriptorum ψευδεπιγράφων, quæ judicabat eſſe ex Hieronymianis & aliis commiſta, vel veriùs confuſa. Horum omnium Catalogus Editionibus Frobenianæ & Gryphianæ, ex Frobeniana expreſſæ, eſt præfixus. Indoctorum autem Catalogo præmittit judicium, quo ſignificat „ in eo nihil repertum iri, quod non „ ſit ex æquo indoctum, infans & impudens; „ proinde, ſuâ ſententiâ, nullum omnino „ eſſe lectionis operæ pretium. Sed invictam

„ eſſe

„ eſſe imperitorum hominum pertinaciam, „ cui plus ſatis datum ab ſe eſſe, in ejus ope„ ris editione, magnóque ſibi conſtare alie„ nam ſtultitiam. Subjicit verò huic Catalogo & aliam admonitionem, quam hîc etiam legi noſtrâ intereſt. Ait ergo „ ſe reperiſſe, „ & alia quædam inſcripta Hieronymo, pror„ ſus indigna quovis Hieronymi diſcipulo; „ hoc autem ſollemne fuiſſe Librariis, ut „ hujus unius titulo quemlibet librum emtori „ commendarent; verùm quoniam antea „ numquam fuerant excuſa formulis, adden„ da ſe non putaſſe.

4. Inter illa verò, quæ falſo titulo non unius ſunt Scriptoris, potiſſimùm recenſet Commentarios in omne Pſalterium, contendítque palam eos præ ſe ferre, quòd non ſint unius auctoris. Tum verò ita pergit: *ſi quis*, inquit, *meum requirat judicium, nihil illic eſſe arbitror* Hieronymi; *verùm una pars eſt hominis, quiſquis fuit, planè docti & ſermonis expoliti, longè tamen diſcrepantis ab Hieronymiano. Nam hic minùs habet nitoris ac lenitatis, plus nervorum; deinde ubique copioſior ac diligentior, & magis oſtentans ſuas opes. Altera pars eſt loquutulei cujuſpiam, ac, pænè dixerim, rabulæ, & , niſi me fallit naſus, ejuſdem qui ſermones ſuos* Auguſtini *nomine nobis dedit, præter alia multa bella. Cujus rei ſi quis guſtum cupiat ſumere, in ipſa ſtatim Præfatione, conferat initia cum fine. Quamquam & ea conjectura arguebat non eſſe Hieronymianum opus, quòd nec titulus, nec Epiſtola cujuſquam habeat nomen. Unde ſuſ-*

*picor illum ſua nullo edidiſſe titulo, & Libra-*rios Hieronymi *nomen adidiſſe. Et fortaſſis hic ille eſt, cujus meminit* Gennadius; *quem ait nonnulla vertiſſe* Origenis, *ſed datâ operâ titulis ademtis; cujus eſſe ſuſpicor & adnotationes in Libros Regum, ac Paralipoménon. Sed ut quod cœperam abſolvam, qui voluerit impoſturam deprehendere, legat adentè Commentarium in Pſalmum LXXVII. Rem quidem ille ſumſit ex Commentariis in Matthæum, ceterùm eam ſuis exornavit floſculis. Ineptit ſuis Diálogiſmis, delirat exclamationibus, balbutit acyrologiis, ſuperfluit periſſologiis. Legitur in Pſalmum LXXX. in Pſalmum XC. ubi doctè, ſcilicet, exponit quid ſit σύμπλοκαι, cùm plures cadunt. Verùm, ut in genere dicam, ipſa battologia, & dictionis character hominem ubique arguit.* Integrum locum adtulimus, quamvis prolixiorem, quia Aphoriſmi noſtri priorem partem eximiè illuſtrat; & tanti facimus *Eraſmum*, ut perpaucos Veteres, non dicam anteferendos, ſed æquiparandos ei eſſe cenſeamus.

§. Non videtur tamen mihi dubium, quin varia ſint, in illis Commentariis, ex *Hieronymo* excerpta, non minùs quàm ex aliis Scriptoribus. Tale eſt quod *Eraſmus* indicat exſtare ad Pſalm. LXXVII. & quod antea protulimus. Sic & interpretationi Pſalmi XCIII. inſeritur locus ex *Hieronymo*, totidem verbis adlatus ab *Auguſtino*, in Epiſt. ad Fortunatianum. Leguntur etiam ad Pſalmi L verba *Hieronymi* citata à *Gregorio* Magno, in explicatione IV. Pſalmi pœnitentialis.

lis. At propter hæc & ſimilia loca, ex *Hieronymo* à conſarcinatore horum Comment. excerpta, credere omnia *Hieronymiana* eſſe, cum *Mariano Victorio*, hoc demum extremæ eſt ἀκριβείας. Dicitur latere in Bibliothecis, *Hieronymi* Commentarius verus in Pſalmos; & vidimus, in manibus viri eruditi, anonymum opus in Pſalmos; quod ex ſtylo ſe intelligere dicebat eſſe Hieronymianum, quamvis totum allegoricum eſſet, ideóque ab eo ſperneretur.

6. Cùm nemo in dubium revocare queat an Apoſtoli fuerint veri amantiſſimi, ánve ſimpliciſſima illa Evangelica Veritas ab iis fuerit prædicata; meritò quæcumque fabulam redolent, aut manifeſtò ficta ſunt, iis abjudicantur. Ejuſmodi autem ſunt pleraque omnia, quæ, præter Canonicos libros, in eorum nominibus adparuerunt. Cùm, nempe, mirum in modum auctus eſſet Chriſtianorum numerus, & vulgò, ut fit, audirentur querelæ curioſorum, de paucitate monumentorum Apoſtolicorum: ex quibus perpauca, de Apoſtolorum itineribus & prædicatione Evangelii, per totum terrarum orbem, ſcire licebat; exorti ſunt homines nequam, qui plerorumque itinera & res geſtas fingere adgreſſi ſunt; & quæ ex nulla vetere hiſtoria haurire poterant, ea ex cerebro ſuo fabularum feraciſſimo deſumſerunt. Talia erant ψευδεπίγραφα Apoſtolica, * quæ ab *Euſebio* meritò rejecta, in ſuperiore Capite, diximus. At-

* *Eccleſ. Hiſt. Lib. III. c. 25. ad quod vide* Henr. Valeſii *notata.*

Attamen multos olim videntur fefellisse, qui eorum auctoritate usi sunt: hoc enim malumus credere, quàm malam fidem suspicari in bonis viris, qui eorum testimoniis veritatem comprobare conati sunt. quamquam non possumus eos malæ fidei absolvere, nisi eorum negligentiam, aut ignorantiam in rebus Criticis incusemus.

7. *Rufinus*, exempli gratiâ, vertit Librum scatentem turpibus fabulis, *Recognitiones Clementis*, quasi genuinum, & à *Clemente* Romano ex ore Petri Apostoli exceptum, qui tamen Liber putidissimis nugis refertus est. Meritò de eo *Photius*: μυρίων ὑποπτημάτων ἡ πραγματεία γέμει αὕτη, καὶ τῆς εἰς τὸν υἱὸν βλασφημίας κατὰ τὴν Ἀρείου δόξαν ἐστὶν ἀνάπλεως: *sexcentis adulteratibus opus hoc refertum est, & blasphemiâ, ex Arii sententia, in filium plenum.* Paullò pòst, de parte ejusdem operis: ἀπόδοχὴ μάζεται ἐπιγραφόμενος ἐπ' ὀνόματι αὐτοῦ Πέτρου καὶ Ἀππίωνος πολύστιχος διάλογος: *rejicitur nomine Petri & Appionis inscriptus dialogus, multis versibus constans.*

8. Simili de ratione, *Hieronymus* meritò repudiat Librum, cujus meminit in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, ubi de Luca. Postquàm dixit historiam Actuum Apostolicorum. usque ad biennium Romæ commorantis Pauli pervenire, id est, usque ad quartum Neronis annum, subjicit: *Ex quo intelligimus*, inquit, *in eadem urbe, Librum esse compositum. Igitur gesta Pauli & Theclæ, & totam baptizati Leonis fabulam, inter apocry-*

cryphas ſcripturas. computamus. Quale eſt enim ut individuus comes Apoſtoli, inter ceteras ejus res hoc ſolum ignoraverit? Sed & Tertullianus, *vicinus eorum temporum, refert Presbyterum quemdam in Aſia* τυποδαρὴν *Apoſtoli Pauli, convictum apud Joannem, quod auctor eſſet libri, & confeſſum ſe hoc Pauli amore feciſſe, & ob id excidiſſe*

9 Verùm non ita ratiociniandum de ſequentium ſæculorum Scriptoribus, qui aut infirmitate judicii, aut quòd veri latis amantes non eſſent, fabulas fictas, inter ea quæ vera dicunt, miſcent. Sic *Papias*, qui initio ſecundi ſæculi floruit, figmenta pro rebus compertis ſcriptis mandavit, * σφόδρα μικρὸς ὢν τὸν νοῦν, *vir*, ut loquitur Euſebius, *parvo admodum ingenio Hegeſippus* † etiam, qui haud multò poſt vixit, vanas narrationes pro veris Lectoribus ſuis obtrudebat ut latis adparet ex iis quæ habebat de martyrio Jacobi & quæ ex eo profert *Euſebius*. Sequentibus ætatibus, cùm jam eſſet aliquod mentientibus præmium, à plebeculæ ſtultitia exſpectandum; neque finem, neque modum ullum mentiendi libidini homines nequam impoſuerunt. Tunc nata vaniſſima illa Scripta, nequiter Apoſtolorum nomine confirmata, de quibus jam aliquoties diximus.

10. Ut à fabulis ad aliud νοθείας indicium veniamus, ita habet octavus noſter Aphoriſmus: *Liber in quo tractantur, vel reſpiciuntur*

* *Hiſt. Eccleſ. Lib. III. c. 39.* † *Vide Hiſt. Eccleſ. Lib. II. cap. 23.*

tur controverſiæ natæ poſt tempora Scriptoris, cui tribuitur; aut in quo deprehenditur Scriptoris illo recentioris imitatio; ejus non eſt cujus nomen præfert, aut eſt interpolatus. Res eſt per ſe clara, nec, niſi pauculis exemplis, illuſtranda. Vir doctiſſimus cui *Origenis* Exegetica, quæ Græcè reperiri potuerunt, debemus, * veriſſimè obſervat „ propter illuſtre „ *Origenis* nomen, factum eſſe ut ab ignotis „ Scriptoribus profectæ lucubrationes, ſic „ tamquam projecticii infantes, clarum *Ori-* „ *genis* nomen ſibi libenter adſciverint; imò „ nonnumquam etiam operibus ſuis metuen- „ tes Scriptores ſubdolos, ementitum hunc „ prætexentes titulum, *Adamantii* famam vel- „ uti furto ſubripuiſſe; Bibliopolas etiam, „ mercibus ſuis venditandis emtorem hian- „ tem, fucatâ hac inſcriptione, induxiſſe. At „ frequentiùs idem eveniſſe putat, nec imme- „ ritò, vel ex Librariorum oſcitantia nomi- „ na nominibus commutantium; vel ex Cri- „ ticorum audacia, quidvis ſibi licere in lit- „ teris putantium. Eò acceſſit quòd, pluri- „ mas *Origenis* ſcriptiones ſtudiosè abolenti- „ bus ejus adverſariis & defenſoribus; his „ quidem ut illius errores, illis verò, ut „ præclara ejus opera invidioſè celarent; mul- „ tas vice verſâ, paribus de cauſis, nomini „ ejus ſubdiderunt „. Inter libros ei ſuppoſitos, fuit Commentarius Latinus in Jobum in tres libros diviſus, ubi duo priora Jobi Capita & tertii pars enarrantur. Ut cetera omittam,

* *In Appendice Origenianorum.*

tam, Scriptorem eorum librorum colligere est vixisse post tempora Synodi Nicænæ, & Arianorum partibus fuisse addictum, ex hisce verbis: *Tria cornua fecit Diabolus, in typum atque figuram trionymæ illius sectæ, triumque Deorum hæresis; quæ universum orbem terræ, in modum tenebrarum, replevit; quæ Patrem & Filium & Spiritum Sanctum aliquando tamquam tres colit, nonnumquam unum adorat, quemadmodum Græcorum Linguâ memoratur, Triada vel Homoüsion. Istam ergo Trinitatis sectam & hæresin atque infidelitatem, jam olim de longè designans, versutissimus ille Diabolus, tria cornua misit, ad Job deprædandum. Sic namque etiam nunc memorata trionyma hæresis præsertim prædatur, atque expugnat Ecclesiam.* Nemo non videt hæc esse diu, post *Origenis* ætatem, scripta, postquàm τὸ ὁμοούσιον esset consecratum à Synodo Nicæna; cùm manifestò controversiæ Arianæ spectentur.

11. Attamen in hoc negotio cavendum, ne posteriora omnia putemus, quæ favent cuipiam opinioni, de qua postea natæ sunt controversiæ. Nam anteriores potuere errare, non secus ac posteriores At aliud est clarè respicere, aut adludere ad controversias jam ferventes; aliud docere obiter, & aliud agendo, id quod postea damnatum est. Hoc ipsum observavit, de *Theodoro* Antiocheno, seu Mopsuesteno, *Photius*, Cod. XXXVIII. τὸ Νεστορίου δόγμα, εἰ μὴ πρὸ Νεστορίου ὑπῆρχεν, ὑπεριυγχάνων: *Nestorii sententiam*,

tiam, quamvis prior ille fuerit, tacitè vomit. In *Clemente* etiam Alexandrino & *Origene*, permulta leguntur, quæ erroribus poſtea damnatis ſat clarè patrocinantur.

12. Eſt ex antiquiſſimo Codice, ut alibi diximus, in lucem emiſſa à *Patr. Junio* Epiſtola *Clementis* Romani ad Corinthios; at in ea clara ſunt veſtigia imitationis locorum quorumdam *Clementis* Alexandrini, ex quibus collegerunt viri docti auctam eam fuiſſe Epiſtolam à Librariis, ut cariùs venderetur, utque priori Editioni, in qua brevior erat, præferretur, & avidiùs emeretur. Capite XLVI. ita *Clemens* Romanus: *γέγραπται γάρ· κολλᾶσθε τοῖς ἁγίοις, ὅτι οἱ κολλώμενοι αὐτοῖς ἁγιασθήσονται. καὶ πάλιν ἐν ἑτέρῳ τόπῳ λέγει. μετὰ ἀνδρὸς ἀθῴου ἀθῷος ἔσῃ, καὶ μετὰ ἐκλεκτοῦ ἐκλεκτὸς καὶ μετὰ σκολιᾶς διαστρέψεις: Scriptum eſt enim:* ſanctis adhærete, quia qui illis adhærent ſanctificabuntur. *Rurſus in alio loco dicit:* cum viro innocente innocens eris, & cum perverſo perverteris. *Quare innocentibus & juſtis jungamus nos; ii quippe ſunt electi Dei.* Negat *J. Bapt. Cotelerius* ſe priorem locum in Scripturis inveniſſe; nec mirum, nuſquam enim in iis legitur. Et hîc, ſcilicet, ut rectè animadvertit vir eruditus, *Eduard. Bernardus*, in Editione Amſtelodamenſi, prava imitatio *Clementis* Alexandrini, cujus verba Interpolator *Clementis* Romani credidit eſſe locum Scripturæ, quia proximè ſubjungebantur verbis ex Pſalm. XVII. adlatis. Hæc ſunt verba *Clementis* Alexandrini Strom. Lib. V. p. 572.

γέγραπται ἢ μετὰ ἀνδρὸς ἀθῴου ἀθῷος ἔσῃ. καὶ μετὰ ἐκλεκτοῦ ἐκλεκτὸς ἔσῃ. καὶ μετὰ σκιβλοῦ διαστρέψεις. κολλᾶσθαι οὖν τοῖς ἁγίοις προσήκει, ὅτι οἱ κολλώμενοι αὐτοῖς ἁγιασθήσονται: *Scriptum eſt autem*; cum viro innocente innocens eris, cum electo electus eris, & cum perverſo perverteris. *Adhærere ergo par eſt ſanctis, quia qui adhærent eis ſanctificabuntur.* Poſtrema hæc laudavit Interpolator *Clementis* Romani, quaſi verba Scripturæ, ſed nonnihil immutata. Res mihi clara videtur.

13. *Clemens* Alexandrinus, ut ſolet, duo loca Novi Teſtamenti conjunctim profert, ſenſúmque potiùs adtendit quàm verba, Strom. Lib. III. p. 472. * οὐαὶ τῷ ἀνθρώπῳ ἐκείνῳ, φησὶν ὁ Κύριος, καλὸν ἦν αὐτῷ εἰ μὴ ἐγεννήθη. † ἢ ἵνα τῶν ἐκλεκτῶν μου σκανδαλίσαι. κρεῖττον ἦν αὐτῷ περιτεθῆναι μύλον καὶ καταποντισθῆναι εἰς θάλασσαν, ἢ ἵνα τῶν ἐκλεκτῶν μου διαστρέψαι. *Væ homini illi*, inquit Dominus, *ſatius igitur illi ſi non natus eſſet, quàm unum electorum meorum ſcandalizaſſe. Melius eſſet illi circumpoſitam molam, & dejectum eum eſſe in mare, quàm unum electorum meorum pervertiſſe.* Eadem autem hæc verba habet *Clemens* Romanus, eodem Capite. Neminem verò eſſe puto, qui à ſe impetrare poſſit, ut credat utrumque caſu duo loca hæc conjunxiſſe & eodem modo immutaſſe; aut *Clementem* Alexandrinum ci-

* *Matth. XXVI, 24.* † *Matth. XVIII, 6.*

taſſe Evangelia, ex *Clemente* Romano. Sed nihil vetat nos cenſere hominem, qui Alexandrini *Clementis* verba alibi miſcuit cùm verbis Scripturæ, ex eo temerè hæc ſumſiſſe.

14. Hinc factum ut quæcumque ſimilibus, non modò ſententiis, ſed etiam verbis, exſtant apud utrumque *Clementem*, ubi Alexandrinus Romanum diſertè non laudat, ea vir doctus omnia ex Alexandrino deſumta, aut efficta exiſtimet. Quod an verum ſit neſcio, ſed ſimile quiddam ſuſpicatus eſt, de alio loco *Clementis* Romani, primus ejus editor *Patric. Junius*. Is exſtat Cap. VI. & certè, ſi modò nullum ſit in eo mendum, Interpolatoris ineptiam uſque adeò redolet, ut auſim dicere eos naſo carere, qui fraudem non ſubolfaciant. Poſtquàm *Clemens* ex Vetere Teſtamento adtulit exempla eorum, qui ob invidiam aliorum, inſontes multa mala paſſi ſunt; ait ſe vetera relinquere, & venire ad recentiores Athletas. Tum Petrum, ac Paulum, & eos qui ad inſtar eorum conſtanter ſupplicia tulerant, Religionis causâ, commemorat. Dein, cùm alia omnia exſpectarentur; nempe, exempla Chriſtianorum, ſubdit; Διὰ ζῆλον διωχθεῖσαι γυναῖκες Δαναΐδες καὶ Δίρκη, ἀεθλήσασαι δεινὰ καὶ ἀνόσια παθοῦσαι ἐπὶ τὸν τῆς πίστεως βέβαιον δρόμον κατήντησαν, καὶ ἔλαβον γέρας γενναῖον αἱ ἀσθενεῖς τῷ σώματι: *Propter zelotypiam vexatæ mulieres, Danaïdes & Dirce, cùm gravia & dira ſupplicia per-*

pertuliſſent, pervenerunt in curriculum firmum fidei, & acceperunt corpore debiles generoſum præmium. Nemo non videt hæc eſſe verba hominis inſani, nec ſacram nec fabularem hiſtoriam tenentis, cásque turpiſſimè miſcentis; & quidem eo in loco, ubi omnino alia dicenda erant. Nemo non animadvertit balbutire hunc Impoſtorem; quis enim dixerit mulieres, propter zelotypiam malè habitas, ἐπὶ τὸν τῆς πίστεως βέβαιον δρόμον κατεντῆσαι, καὶ λαβεῖν γέρας γνησαῖον; Credebat *Junius* eum, qui hæc ſcripſit, ea partim hauſiſſe ex *Clemente* Alexandrino, qui Lib. IV. Stromatcon, ubi multa ex Epiſtola *Clementis* Romani habentur, poſt memoratas Juditham & Eſtheram, aliarum fœminarum ex Gentilibus meminit, quæ virilia facinora eſſent auſæ; inter quas Danaï filias recenſet, de quibus ſcriptor Danaïdis dixerat:

Καὶ τότ' ἄρ' ὠπλίζοντο θεᾶς Δαναοῖο θύγατρες,
Πρόσθεν ἐυῤῥείω ποταμῶ Νειλοῖο ἄνακτος.

Tum verò celeriter armatæ ſunt filiæ Danaï, antea regis Nili pulcrè fluentis. Verùm quidquid ſtatuatur de hoc loco, niſi mendum in eum irrepſerit, dubium eſſe nequit, quin Semipagano Librario debeatur. Numquam *Clemens* fabulas conjunxiſſet cum veris hiſtoriis, & quidem fabulas, quæ ad rem nihil faciebant. Igitur ſunt graviſſimæ rationes, quæ perſuadeant Epiſtolam *Clementis*, licèt genui-

nam, à malis atque imperitis homi nibus auctam fuiſſe.

15. Attamen ut quod aliquando ſuſpicatus ſum, de ultimo loco *Clementis*, aperiam; poſſe hunc locum emendari credebam, hoc modo, ſi pro vocibus *Δαναΐδες καὶ Δίκη*, legamus *ἄνευ αἰδοῦς, καὶ δίκης ſine reverentiâ & jure*, hoc eſt, irreverenter habito ſexu infirmiore, & contra jus & fas. Librarius ex ore dictantis ſcribens malè audire potuit, aut etiam ex ſcriptura non ſatis elegante; & partim deleta, hoc quod legimus extricaſſe. Verùm nihil mutare auſim, in *Clemente*. Has voces conjunxit Protagoras, apud *Platonem*, ubi Jupiter Mercurio: *καὶ νόμον γε τὸν παρ' ἐμοῦ τὸν μὴ δυνάμενον αἰδοῦς καὶ δίκης μετέχειν κτείνειν ὡς νόσον πόλεως*: & *legem â me eum qui non poteſt particeps pudoris & pudoremoccidendum, ut morbum urbis.*

CAPUT VI.

De Suppoſitione & Interpolatione IX & X Indicia.

1. SUPERSUNT duo Suppoſitionis aut Interpolationis indicia, ex ſtylo & verbis petita; cùm ſuperiora aut res ipſæ, aut Veterum teſtimonia, aut vetuſtorum Librorum indices ſuppeditarint. Nonus ergo Aphoriſmus erit:

rit : *Si ſtylus ſit diverſus à noto aut ſæculi, aut Scriptoris ſtylo, ejus non eſt, quamvis nomen ejus præferat. Si ſit idem ac ſtylus alius Scriptoris, hujus liber cenſeri debet, ſi modò nihil obſtet.* Sic *Galenus* probavit partem quamdam Libri, *de Natura hominis*, non eſſe *Hippocratis*, non tantùm è re ipſa, ut antea diximus, ſed etiam è ſtylo, verbisque ejus ævo recentioribus. Ita claudit II. Commentarium: ᾧ ᾗ νεώτερον εἶναι τὸν παραγράψαντα ταῦτα, καὶ ἡ ᾧ συνόχῳ προσηγορία τεκμήριόν ἐστιν· οὐδαμόθεν γὰρ οὐδ' Ἱπποκράτης. ὅτι τις τῶν παλαιῶν τὸν συνεχῆ πυρετὸν οὐρήμασι σύνοχον, ὥσπερ οὐδὲ οὖρήματα τὰ οὖρα, ἀλλὰ ταῦτα οὐρήματα νεωτέρων ἐστὶν ἰατρῶν, ὅσοι τὴν παλαιὰν λέξιν ἠγνόησαν: *Juniorem eum fuiſſe, qui hæc addidit, certò oſtendit adpellatio* συνόχῳ (pro febre continua) *neque enim umquam Hippocrates vel ex antiquis alius febrim continuam vocavit* σύνοχον, *ut nec* οὐρήματα *urinas; ſed hæc ſunt nomina recentiorum Medicorum, qui antiquam linguam ignorarunt.* Cum quidam emiſſet librum, cujus inſcriptio erat Γαληνὸς ἰατρὸς, *Galenus medicus*, quaſi reverâ eſſet *Galeni*, *tituli novitate permotus vir quidam litterarum ſtudioſus, pollicitationem ejus* (hoc eſt, an præſtaret quod inſcriptio pollicebatur) *explorare voluit & duobus primis verſibus lectis, continuò ſcriptum abjecit, hoc tantùm addito, non eſſe hanc dictionem Galeni, & falſò hunc librum eſſe inſcriptum*: ὑπὸ τοῦ ξένου τὸ ἐπιγεγραφὸς κινηθείς τις ἀνὴρ, τῶν φιλολόγων ἐβούλετο γνῶναι τὴν ἐπαγγελίαν αὐτοῦ. καὶ δύο τοὺς πρώτους στίχους ἀνα-

γνὼς εὐθέως ἀπέρριψε τὸ γεάμμα· τοῦτο μέντοι ἐπιφθεγξάμενος ὡς ἔκ ἔστι λέξις αὕτη Γαληνῆ, καὶ, ψευδῶς ἐπιγέγραπται ἔτι τὸ βιβλίον. Addit *Galenus*, in Proœmio Opuſculi de libris ſuis, unde hæc ſunt deſumta, eum hominem edoctum fuiſſe πρώτην παιδείαν, hoc eſt, humaniores litteras, ſine quibus, de ſtylo judicium ferre non potuiſſet.

2. Quantùm indicio ex ſtylo petito crediderint veteres Romanorum Critici colligere licet ex hiſce verbis A. Gellii, Lib. III. c. 3. *Verum eſſe comperior*, inquit, *quod quoſdam bene litteratos homines dicere audivi, qui pleraſque* Plauti *Comœdias curioſè atque contentè lectitaverunt, non indicibus Ælii, nec* Sedigiti, *nec* Claudii, *nec* Aurelii, *nec* Accii, *nec* Manilii, *ſuper hiſce fabulis, quæ dicuntur ambiguæ, crediturос; ſed ipſi* Plauto, *moribúſque ingenii, ac linguæ ejus. Hac enim indicii norma* Varronem *quoque eſſe uſum videmus. Nam præter illas unam & viginti, quæ* Varronianæ *vocantur, quas idcirco à ceteris ſegregavit, quoniam dubioſæ non erant, ſed conſenſu omnium* Plauti *eſſe cenſebantur; quasdam item alias probavit adductus ſtylo atque facetiâ ſermonis* Plauto *congruentis, eásque nominibus aliorum occupatas* Plauto *vindicavit.* Lege, ſi vacat, reliquum Caput, dignum enim eſt, quod hanc in rem expendatur.

3. Vitas excellentium Imperatorum, quas meritò vero Scriptori adſertas diximus, Cap. II. §. 6. *Cornelio*, ſcilicet, *Nepoti*, *Ciceronis* fa-

familiari, nonnulli eruditi viri, XVII. ſæculo, ſuſtinuerant tribuere Scriptori ignoto Theodoſiani ævi; cùm manifeſtum eſſet elegantiâ ejus libelli multùm captum, atque ingenium eorum temporum ſuperari. Viciſſim ineptam atque inficetam hiſtoriam Theodoſiano ævo, ut videtur, recentiorem, audebant Librarii *Cornelio Nepoti* tribuere. Ea eſt *Daretis Phrygii*, de exſcidio Trojæ, hiſtoria, in qua *Joſias Mercerus*, qui eam emendatiorem primus edidit, meritò aut ullam eruditionem, aut judicium, aut eloquutionis elegantiam negat inveniri; „ ut nimis impudenter feciſſe videatur, qui *Corn. Nepotis* nomen ementi„ tus eſt, quaſi inficetæ verſionis auctoris. In „ enarratione, inquit, totius Hiſtoriæ, ferè „ ubique diverſus abit ab omni antiquitate; „ pauca ſimilia vero de ſuo adſtruit, abſurda, „ inconſequentia plurima; ut vel id quod de „ variis plurium annorum ac menſium indu„ ciis adfingit, ut ad decennium perveniat. „ Nec quidquam in toto Libro ſingulare, „ præter Theſidarum mentionem, quos una „ cum Anio rem frumentariam curaſſe ſcri„ bit; & inepti illi Trojanorum, Græcorúm„ que ducum, & mulierum formæ, ac mo„ rum characteres „ Præfixa eſt etiam Epiſtola, nomine *Corn. Nepotis*, ad *Salluſtium Criſpum* ſcripta, ſed quæ neminem fallere queat; præter eos qui omni Latinitatis cognitione deſtituti ſunt, aut planè aliud agunt, cùm ejuſmodi Monachorum fraudes legunt.

4. *Hieronymus* negat ſe poſiturum fuiſſe *Senecam* in Catalogo ſanctorum, *niſi ſe epiſtolæ provocaſſent*; *quæ*, inquit, *leguntur à plurimis Pauli ad Senecam, & Senecæ ad Paulum. In quibus cùm eſſet Neronis magiſter & illius temporis potentiſſimus, optare ſe dicit ejus eſſe loci apud ſuos, cujus ſit Paulus, apud Chriſtianos.* Mirum eſt non monuiſſe *Hieronymum* ſimpliciores, ne fallaci titulo crederent; niſi fortè indignos qui à ſe monerentur judicavit, qui tam turpiter errabant. *J. Lipſius*, ad calcem vitæ *Senecæ*, hoc de iis fert judicium veriſſimum: „Quæ nunc ſunt, non ſunt tanti; imò „ certum eſt ejuſdem auctoris & Pauli & Se„ necæ illas eſſe, & compoſitas à ſemidocto, „ in ludibrium noſtrum.„ Cùm hæc dixiſſet veriſſima, & nonniſi ab imperitis in dubium umquam revocanda, ſubjicit: „Ergo inter ſe „ non ſcripſerunt? *Hieronymus*, *Auguſtinus*, „ atque etiam antiquior utroque *Linus* Pon„ tifex adſerunt, & paſſiva opinio olim fuit, „ atque adeò *Joannes Sarisberienſis* fortiter: „ *deſipere videntur qui non venerantur eum*, „ *quem Apoſtolicam familiaritatem meruiſſe* „ *conſtat.*„ Atqui non adfirmat, ut vidimus, *Hieronymus*; quem etiam judicavit *Eraſmus*, tacitè indicare erudito Lectori quid ſentiat; nempe, eas epiſtolas falſò inſcribi *Paulo* & *Senecæ*; cùm nihil illic ſit neque *Paulo* dignum, neque *Seneca*: * *Auguſtinus* verò ait dumtaxat *ſe nonnullis indiciis inveniſſe*, *eum Apo-*

* *De Civitate Dei Lib. VI. c. 10.*

Apoſtolorum noſtrorum claruiſſe temporibus; quam in rem, nequaquam opus eſt fictis illis Epiſtolis; quin & mirum eſt, de re tam clarâ, ita dilutè loquutum *Auguſtinum*, quaſi non facilè intellectu eſſet claruiſſe eum temporibus Apoſtolorum, qui ſub Neronis principatu vixit & interfectus eſt. *Lini* liber de paſſione Pauli manifeſtò eſt ſuppoſiticius, ut omnes fatentur; ne exceptis quidem iis, qui ficta monumenta priſcis Eccleſiæ Romanæ Epiſcopis adſcripta acriter, quaſi genuina, defendere ſolent. *Joannes* verò Sarisberienſis ſententiam profert barbari ſæculi, quo mentiendi libido & ignorantia pari paſſu, atque erecto capite, ubique pœnè incedebant. Igitur non ſatis κριτικῶς vir ceteroquin acutus vitam *Senecæ*, hiſce verbis, claudit: „ Itaque „ rejicere hoc totum, & calcare non auſim. „ Fuerint aliquæ, ſed aliæ; ſi iſtæ, requiro „ judicium optimorum Patrum. „ Atqui ullas alias fuiſſe non conſtat, & certiſſimum eſt *Senecam* nullâ cognitione Chriſtianiſmi fuiſſe imbutum, quod optimè omnium noverat *Lipſius*, qui videtur hîc neſcio cui gratificatus.

5. Ex diſſimilitudine ſtyli collegerunt omnes, qui omni Critico guſtu deſtituti non fuerunt, Apoſtolica non eſſe varia quæ illis olim tribuebantur. Πόῤῥω, inquit * *Euſebius*, ὁ τῆ φράσεως παρὰ τὸ ἰδιωτικὸν τὸ Ἀποστολικὸν ἀναλλάτλω χαρακτῆρι: *longè dictionis forma abeſt ab*

* *Hiſt. Eccleſ. Lib. III. c. 25.*

Apoſtolica ſcribendi ratione. Attamen fefellerunt olim multos, iis ſæculis, quibus magis excolebatur ſtulta credulitas, quàm litterarum ſtudia. Exiſtimarunt etiam plerique olim, ſi *Hieronymo* credimus, alteram Petri ejus non eſſe, ob diverſitatem ſtyli; ſed res eſt multò obſcurior, nec eorum judicium præſtare velim. Hæc verba ſunt *Hieronymi*, in Catalogo: *Scripſit duas Epiſtolas, quæ Catholicæ nominantur; quarum ſecunda à pleriſque ejus eſſe negatur, propter ſtyli cum priore diſſonantiam.* At multò veriſimiliùs indicabat * *Origenes*, ὅτι ὁ χαρακτὴρ τῆς λέξεως τοῦ πρὸς Ἑβραίους ἐπιγεγραμμένης ἐπιστολῆς οὐκ ἔχει τὸ ἐν λόγοις ἰδιωτικὸν τοῦ Ἀποστόλου, ὁμολογήσαντος ἑαυτὸν ἰδιώτην εἶναι τῷ λόγῳ, τουτέστι τῇ φράσει: *ſtylum Epiſtolæ ad Hebræos inſcriptæ non habere in verbis illam ruditatem Apoſtoli, qui ſe fatetur eſſe idiotam ſermone, hoc eſt, eloquutione.* Subjicit: ἀλλὰ ἔστιν ἡ ἐπιστολὴ συνθέσει τῆς λέξεως ἑλληνικωτέρα. πᾶς ὁ ἐπισάμενος κρίνειν φράσεων διαφορὰς ὁμολογήσαι ἄν: *ſed eſt Epiſtola hæc, verborum conſtructione, elegantiùs Græcè ſcripta; quod fatebitur quiſquis, de ſtylorum diverſitate, judicare norit.* Quibus *Hieronymus* in Catalogo ſimilia habet: *Epiſtola, quæ fertur ad Hebræos, non ejus creditur, propter ſtyli ſermonisque diſtantiam; ſed vel* Barnabæ, *juxta* Tertullianum; *vel* Lucæ *Evangeliſtæ, juxta quoſdam; vel* Clementis *Romanæ poſtea Eccleſiæ Epiſcopi, quem aiunt ſen-*

* *In Homiliis in Ep. ad Hebræos.*

ſententias Pauli proprio ordinaſſe & ornaſſe ſermone.

6. Ex diſſimilitudine ſtyli intellexit *Hieronymus*, Libros nonnullos, qui tribuebantur *Minutio Felici*, ejus non eſſe. Poſtquàm dixit ab eo ſcriptum eſſe Dialogum Chriſtiani & Ethnici diſceptantium; qui *Octavius* inſcribitur, ſubjicit: *Sed & alius ſub nomine ejus fertur*, de Fato, *vel* contra Mathematicos, *qui cùm ſit & ipſe diſerti hominis, non mihi videtur cum ſuperioris libri ſtylo convenire.*

7. *Dionyſius* Alexandrinus, ut docet * *Euſebius*, exiſtimabat, ſi conferretur Evangelium Joannis cum prima ejus Epiſtola, facilè intelligi, ex ſimilitudine ſtyli, utriusque eumdem Joannem auctorem fuiſſe; contrà, ſi cum illis contenderetur Apocalypſis, liquere hanc eſſe ab alia manu. Ut à poſteriore initium faciam, hæc ille Capita profert diſſimilitudinis I. Τεκμαίρομαι ἔκ τε τῦ ἤθους ἑκατέρων, καὶ τῦ τῶν λόγων εἴδους καὶ τῦ βιβλίου διαξαγωγῆς λεγομένης, μὴ τῦ αὐτῶν εἶναι. ὁ μὲν γὰρ Εὐαγγελιστὴς ἀδιαφόρως τὸ ὁμοῖον αὐτῦ παρεγγράφει, ἀδὲ προσίσησιν ἑαυτὸν, ὅτι διὰ τῦ Εὐαγγελίου, ὅτι διὰ τῆς Ἐπιστολῆς —— ὁ δὲ τὴν Ἀποκάλυψιν γράψας εὐθύς τι ἑαυτὸν ἐν ἀρχῇ προτάσσει, καὶ τὰ ἑξῆς: *Colligo enim ex genio utriuſque, & forma loquendi, & ex libelli diſpoſitione, non eſſe eumdem. Quippe Evangeliſta quidem nullibi nomen ſuum adſcribit, nec ſemet ipſe, aut in Evangelio, aut in Epiſtola, prædicat —— At ille, qui Apocalypſin ſcripſit,*

* *Hiſt. Eccleſ. Lib. VII. c. 25.*

ſit, in ipſo ſtatim exordio, nomen ſuum præfigit, &c. Tum ejus rei exempla profert, quæ apud *Euſebium* poterunt legi. II. Ἀπὸ τῶν σημάτων ἢ καὶ τῶν ῥημάτων καὶ τῆς συντάξεως αὐτῶν, εἰκότως ἕτερον ἑτέρου παρ' ἐκεῖνον ὑποτοηθήσεται. συνάδουσι μὲν γὰρ ἀλλήλοις τὸ Εὐαγγέλιον καὶ ἡ Ἐπιστολή, ὁμοίως τε ἄρχονται: *Ex ſententiis verò & verbis, eorumque collocatione, facile conjicere eſt hunc ab illo diverſum fuiſſe. Nam Evangelium & Epiſtola ſibi mutuò conſonant, & eodem ordiuntur modo.* Deinde ex utroque ſubjecta verba comparat; iisque collatis, ita pergit: ἔχεται αὑτοῦ, καὶ τῶν προθέσεων οὐκ ἀφίσταται. διὰ ἢ τῶν αὐτῶν κεφαλαίων καὶ ὀνομάτων πάντα διεξέρχεται: *Ex ſe ipſe pendet, nec à propoſitionibus ſuis abit; ſed iiſdem capitibus, ac verbis, cuncta perſequitur.* Quod reverâ, collectis pluribus loquutionibus & ſententiis, oſtendit; addítque: καὶ ὅλως ἀπὸ πάντων χαρακτηρίζοντας ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν συνορᾶν ἔξ τε Εὐαγγελίου καὶ τῆς Ἐπιστολῆς χρῶτα πρόκειται: *formam ſcriptionis expendentibus ubique & per omnia unum atque eumdem ſtyli colorem in Evangelio & in Epiſtola cernere licet.* Apocalypſin verò, alio planè modo, ſe habere contendit. Ἀλλοτριωτάτη ἢ καὶ ξένη, inquit, παρὰ ταῦτα ἡ Ἀποκάλυψις, μήτε ἐφαπτομένη, μήτε γειτνιῶσα τούτων μηδενὶ σχεδὸν εἰπεῖν, μηδὲ συλλαβὴν πρὸς αὐτὰ κοινὴν ἔχουσα: *Apocalypſis verò ab his prorſus aliena eſt, & extranea, nulli planè neceſſitudine, aut vicinitate contingens quidquam ex ſuprà dictis, ac ne ſyllabam quidem unam cum illis communem habens.* III. Ad-

Addit etiam Apocalypſeos nullam eſſe mentionem in Epiſtola, ubi de ea aliquid dici debuiſſe ei videtur: Ἀλλ' ἐδὲ μνήμην τινὰ, ἐδὲ ἔννοιαν ὅτι ἡ Ἐπιςολὴ τ Ἀποκαλύψεως ἔχει, ἐῶ γὰρ Εὐαγγέλιον, ὅτι τ Ἐπιςολῆς ἡ Ἀπικάλυψις: *Sed neque mentionem ullam, neque ſignificationem habet Epiſtola Apocalypſeos (Evangelium enim prætermitto) neque Epiſtolæ Apocalypſis.* IV. Denique, ſi *Dionyſio* credimus, τ φράσεως τὴν διαφορὰν ἐςὶ τεκμήρασθαι τῷ Εὐαγγελίῳ κ τ Ἐπιςολῆς πρὸς τὴν Ἀποκάλυψιν. τὰ μὲν γὰρ ὐ μόνον ἀπλαίςως, κατὰ τὴν Ἑλλήνων φωνὴν, ἀλλὰ κ λογιώτατα ταῖς λέξεσι, τοῖς συλλογίσμοις, ταῖς συντάξεσι τ ἑρμηνείας γέγραπλαι. πολλῦ γε δεῖ βάρβαρόν τινα φθόγγον, ἢ σολοικισμὸν, ἢ ὅλως ἰδιωτισμὸν ἐν αὐτοῖς εὑρεθῆναι —— τύτῳ ἢ Ἀποκάλυψιν μὲν ἐωραθῆναι, κ γνῶσιν εἰληφέναι καὶ προφητείαν ὐκ ἀντερῶ. διάλεκτον μέν τοι καὶ γλῶτταν ὐκ ἀκριβῶς ἑλληνίζυσαν αὐτῷ βλέπω, ἀλλ' ἰδιώμασι μὲν βαρβαρικοῖς χρώμενον καί πως καὶ σολοικίζοντα: *Clarè intelligere eſt diſcrimen eloquutionis Evangelii & Epiſtolæ, ſi conferantur cum Apocalypſi. Illa enim ſcripta ſunt, non tantùm ſine peccato, ad Græcam linguam quod adtinet, ſed etiam elegantiſſimè, cùm vocibus, tum ratiocinationibus, & orationis compoſitione; nedum ut barbarum ullum vocabulum, aut ſoloœciſmus, aut ullus omnino idiotiſmus in iis inveniatur —— Nolim quidem negare huic viſam eſſe revelationem, eámque accepiſſe cognitionem à Deo & prophetiam; at dialectum & linguam non adcuratè Græcam in eo video, eumque idiomatibus barbaricis utentem, & aliquan-*

do

do etiam ſolœciſmos committentem. Quæ omnia profero, non quaſi mihi videantur vera, nam hæc poſtrema præſertim planè falſa eſſe exiſtimo; ſed ut adpareat quâ ratione veteres ſolerent γνωρίσματα eruere, ex quibus judicabant genuinane, an ſpuria eſſent opera, quibus illuſtria nomina erant præfixa. Ad methodum quidem quod adtinet, nihil eſt quod in *Dionyſio* carpamus; quærendum dumtaxat an ea, quæ ſtatuit quaſi certa, ſint reapſe vera, quod non credimus.

8. At non poſſum illi non adſentiri, in eo quod habet de ſimilitudine rerum & loquutionum, quæ in Evangelio & prima Joannis Epiſtola occurrunt. I. Συνᾴδουσιν, inquit, μὲν γὰρ ἀλλήλοις τὸ Εὐαγγέλιον καὶ ἡ Ἐπιστολὴ, ὁμοίως τε ἄρχονται. τὸ μὲν φησὶν, ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος. ἦδε, ὃ ἦν ἀπαρχῆς. τὸ μὲν φησὶ, καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, καὶ ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ, δόξαν ὡς μονογενοῦς παρὰ Πατρός. ἦδε τὰ αὐτὰ σμικρῷ παρηλλαγμένα, ὃ ἀκηκόαμεν, ὃ ἑωράκαμεν τοῖς ὀφθαλμοῖς ἡμῶν, ὃ ἐθεασάμεθα καὶ αἱ χεῖρες ἡμῶν ἐψηλάφησαν, περὶ τοῦ λόγου τῆς ζωῆς, καὶ, ἡ ζωὴ ἐφανερώθη. ταῦτα γὰρ προαναχρᾶται διατεινόμενος, ὡς ἐν τοῖς ἐξῆς ἐδήλωται, πρὸς τοὺς ἐκ ἐν σαρκὶ φάσκοντας ἐληλυθέναι τὸν Κύριον. διὸ καὶ συνᾶψεν ἐπιμελῶς, καὶ ὃ ἑωράκαμεν μαρτυροῦμεν, καὶ ἀπαγγέλλομεν ὑμῖν τὴν ζωὴν τὴν αἰώνιον, ἥτις ἦν πρὸς τὸν Πατέρα, καὶ ἐφανερώθη ἡμῖν, ὃ ἑωράκαμεν καὶ ἀκηκόαμεν ἀπαγγέλλομεν ὑμῖν: *Nam Evangelium & Epiſtola ſibi mutuo conſonant, & eodem ordiuntur*

diuntur modo. Sic enim illud dicit : in principio erat Ratio ; *hæc verò* : quod fuit ab initio. *Illud ait* : & Ratio caro facta eſt , & habitavit in nobis , & vidimus gloriam ejus , gloriam quaſi unigeniti à Patre; *hæc verò eadem habet aliquantùm immutata* : quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris , quod perſpeximus & manus noſtræ contrectaverunt de verbo vitæ ; & : vita manifeſta eſt. *Hæc enim ille veluti modulationis proludia præmittit , adverſùs eos qui dicebant Dominum non veniſſe in carne. Quapropter de induſtria ſubjunxit*: & quod vidimus teſtamur, & adnunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem , & adparuit nobis. Quod vidimus & audivimus adnunciamus vobis. II. Ἔχιται αὐτῦ καὶ τ προθέσεων ὐκ ἀφίσαται. διὰ ὃ τ αὐτῶν κεφαλαίων καὶ ὀνομάτων πάντα διῆξέχιται. ὧν τινὰ μὲν ἡμεῖς συντόμως ὑπομνήσομεν, ὁ ὃ προσεχῶς ἐντυγχάνων εὑρήσει ἐν ἑκατέρᾳ πολλὴν τὴν ζωὴν, πολὺ τὸ φῶς, ἀποτροπὴν ☧ σκότες, συνεχῆ τὴν ἀλήθειαν, τὴν χάριν, τὴν χαρὰν, τὴν σάρκα καὶ τὸ αἷμα ☧ Κυρίε, τὴν χρίσιν, τὴν ἄφεσιν τ ἁμαρτιῶν. τὴν πρὸς ἡμᾶς ἀγάπην ☧ Θεῦ, τὴν πρὸς ἀλλήλες ἡμᾶς ἀγάπης ἐντολήν. ὡς πάσας δεῖ φυλάσσειν τὰς ἐντολάς. ὁ ἔλεγχ☉ ☧ κόσμε, ☧ διαβόλε, τῦ Ἀντιχρίσε; ἡ ἐπαγγελία τῦ ἁγίε πνύματ☉. ἡ υἱοθεσία τῦ Θεῦ. ἡ διόλε τίσις ἡμῶν ἀπαιτεμένη ὁ Πατρὶ καὶ ὁ Υἱὸς πανταχῦ. καὶ ὅλως διὰ πάντων χαρακτηρίζοντας ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν συνορᾷν ☧ τε Εὐαγγελίε καὶ τ Ἐπιστολῆς χρῶτα πρόκειται :

Totius

Totus ex se ipse pendet, & à propositionibus suis non discedit; sed iisdem capitibus & verbis cuncta persequitur; ex quibus nos nonnulla breviter commemorabimus. Qui verò adtentus erit, inveniet in utroque plurimam vitam, *frequentem* lucem, *fugam* tenebrarum, *perpetuam* veritatem, gratiam, lætitiam, carnem & sanguinem Domini, judicium, remissionem peccatorum, Dei erga nos amorem, præceptum de mutua caritate, omnia mandata servari oportere. *Ad hæc occurrunt passim* convictio mundi, Diaboli & Antichristi, promissio Spiritûs Sancti, adoptio Dei, fides *à nobis per omnia postulata*, Pater & Filius *ubique. Denique in omnibus formam scriptionis exquirentibus unus atque idem Evangelii & Epistolæ color proponitur.* Ex hisce omnibus planè κριτικοῖς & verè colligit unius, ejusdémque Apostoli Joannis esse Evangelium & Epistolam.

9. Non opus est alia hanc in rem exempla adferri, verùm hîc se se nobis objiciunt sponte suâ difficultates maximæ; animadverterunt enim viri eruditi, non tantùm moveri controversias de Libris præferentibus nomina Scriptorum, quorum stylus ex aliis eorum operibus notus est; sed etiam de Libris qui tribuuntur Scriptoribus, quorum aliud nihil exstat!, præter ea ipsa monumenta, quorum γνησιότης in dubium revocatur. Exempli causâ, cùm ad defensionem *Origenis*, proferretur Apologia, *Pamphili* Martyris nomine præscripta; *Hieronymus*, qui tunc temporis

poris erat Origeniſtis infenſus, negabat id conſtare, quòd nullus alius Liber à *Pamphilo* eſſet ſcriptus, ex quo de illa Apologia judicium ferri poſſet. * *Si ab inimicis* Origenis, inquit, *Libros ejus dicitis eſſe violatos, ut infamarentur; quare mihi non liceat dicere, ab amicis ejus & ſectatoribus, compoſitum eſſe ſub nomine* Pamphili *volumen, quod illum teſtimonio Martyris ab infamia vindicaret? Ecce vos emendatis, in* Origenis *Libris, quod ille non ſcripſit*; & *miramini, ſi edat aliquis Librum, quem ille non edidit? Vos in edito opere poteſtis coargui; ille, qui nihil aliud edidit, facilius patet calumniæ. Date quodlibet aliud opus* Pamphili; *nuſquam reperietis, hoc unum eſt. Unde igitur ſciam quòd* Pamphili *ſit? Videlicet* STYLUS & SALIVA *docere me poterit!* Col. 347. 2 P. T. IV. Ed. Ben.

10. Duæ, XVII. ſæculo, de ejuſmodi Libris agitatæ ſunt celeberrimæ controverſiæ, atque eruditorum judicio diremtæ. Altera eſt de Epiſtolis, quæ antiquiſſimis Romanæ urbis Epiſcopis tribui ſolebant. Eas Magdeburgenſes Theologi, in Centuriis, meritò quaſi ſuppoſitas criticâ cenſurâ infamaverant. Defendit verò *Franciſcus Turrianus* Jeſuïta; quem poſtea ita confutavit *David Blondellus*, ut ſuppoſitionem in meridiana luce poſuerit; quæ negari certè non poteſt, niſi ab iis, qui lucro ſibi eſſe putant ejuſmodi fraudes, &

* *Ad Pammach. & Oceanum de Error. Origenis.*

frontem planè perfricuerunt. Altera vero controverſia fuit, de re ſine dubio obſcuriore; nimirum, de *ignatianis Epiſtolis*, quas ſuppoſitas contendebant idem *Blondellus*, & *Joan. Dallæus*, defendit verò quaſi genuinas *Joan. Pearſonius*; eo, niſi fallor, ſucceſſu ut bellum illud, certâ ac perpetuâ victoriâ, confecerit. Attamen plerorumque omnium Epiſcoporum Romanorum, quibus tribuuntur *Epiſtolæ* illæ *Iſidorianæ*, ne littera quidem ulla exſtat. Epiſcopi etiam Antiocheni nihil ad poſteros pervenit, præter Epiſtolas in controverſiam vocatas.

11. Cùm ergo viri doctiſſimi non poſſent alia eorum Scripta proferre, qui Epiſtolas illas oppugnare adgreſſi ſunt, ex earum ſtylo varia protulerunt, aut proferre conati ſunt indigna primævâ illâ antiquitate, aut certè quæ indigna ipſis videbantur. Contrà qui eas defenderunt, probarunt non eſſe eo ævo indigna, aut pro virili probare adnixi ſunt. Ut alia omittam, *Blondellus* evidentiſſimè oſtendit nihil eſſe in Epiſtolis Pontificiis, quod vel minimùm primorum ſæculorum ſtylum redoleat; luculentis etiam argumentis demonſtravit *Pearſonius* quæ ab adverſariis carpebantur, in Ignatiano ſtylo, ea non diſſentire ab illius ætatis ingenio. Certè aliter oppugnare aut defendere non poſſumus Scripta, quæ fuerunt, aut fuiſſe dicuntur unici fœtus eorum, quorum nomina præferunt. Ingenii & ſtyli Scriptoris loco, nobis ſunt forma & character ejus ætatis.

12. Ubi

12. Ubi res eſt clara, propter nimium diſcrimen ſtyli Scriptoris ſuppoſiticii, & rationis ſcribendi eorum omnium, qui iiſdem temporibus vixerunt; non difficile eſt judicium rectum de eo ferre, imò difficile eſt errare; ut mirari ſubeat eorum ἀβλεψίαν, qui *Cornelii Nepotis* genuinum fœtum Theodoſiani ævi fuiſſe, & *Daretis Phrygii* hiſtoriam barbaram & inficetam, quámque adeò Theodoſiana ætas non laudaſſet, *Ciceronis* temporibus tribuere ſuſtinebant. Sed poteſt Liber tribui Scriptori cuipiam, & quidem falſò, qui ſtylo ſcriptus ſit ab ejus dictione non prorſus abhorrente; ab alio, nimirum, ejuſdem ævi aut proximi Scriptore. Tum demum perſpicaci ingenio opus eſt, atque arte magiſtrâ, quæ nonniſi longâ, adtentáque lectione adquiri poteſt. Nec mirum eſt *Ambroſio* & *Hieronymo*, exempli cauſâ, adſcriptos proximè præteritis ſæculis fuiſſe varios eruditos Libros, & quibus vix meliores ſcribere ipſi potuiſſent. Sola bonarum litterarum & Criticæ præſertim παλιγγενεσίαν ejuſmodi errores retegere poterat.

13. Decimus hic eſt atque ultimus noſter Aphoriſmus: *Vocabula ſequioris ævi indicant Scriptorem recentiorem; in tranſlatione verò, ſi quid ſit quod non conveniat Linguæ, quâ ſcripſiſſe conſtat auctorem cui liber tribuitur, aut non eſt tranſlatio, aut eſt interpolata.* Priorem partem hujus Aphoriſmi illuſtrare poſſemus plurimis exemplis, petitis ex Scriptis falſò *Clementi* Romano tributis, éque Pontificiis

tificiiis Epiſtolis, in quibus innumeræ ſunt voces Apoſtolico ævo recentiores Sed cùm ea Scripta evolventi illico plurimæ ſe objiciant & §. I. è *Galeni* loco rem ſatis illuſtraverimus; exempla dumtaxat aliquot, quibus poſterior pars Aphoriſmi confirmetur, ſubjiciemus.

14. Qui *Sapientiam* Salomonis nomine inſcriptam, ex ejus Scriptis hauſtam eſſe volunt, & in Græcam Linguam tranſlatam; cùm conjecturam dumtaxat proferant, quam æquè facilè rejeceris, ac in medium adfertur; præterea ab ea opinione revocari poſſunt, exemplo vocis, quæ nonniſi ex Lingua Græca, & quidem è *Platone*, aut *Platonicis*, eo ſenſu peti potuit. Ea eſt vox Λόγος, quâ Angelum ſignificat Sapientia Cap. XVIII, 15, 16. ubi etiam Poëtæ Græci manifeſta eſt imitatio. Sic habet, ex verſione Vulgata: *Omnipotens ſermo tuus* (vel potiùs *Ratio tua*, nam eſt σὸς λόγος) *de cœlo, à regalibus ſedibus, durus debellator in mediam exterminii terram proſilivit. Gladium acutum inſimulatum tuum imperium portans, & ſtans replevit omnia morte, & uſque ad cœlum adtingebat, ſtans in terra*, καὶ ἑρανῶ μὲν ἔστητο, βεβήκει δ' ἐπὶ γῆς. Vox Λόγος ad ſignificandum Angelum, ſeu *Naturam Rationalem* imperia ſummi Dei exſequentem, eſt Platonica, & frequens apud *Philonem*, ut obſervavit *Hug. Grotius*. Nam hîc ſermo eſt de Angelo illo, qui Ægyptiorum primogenitos omnes, unâ nocte, occidit. Eum vocat παιδύναμον om-

omnipotentem, quia Angelus, à Deo ad exſequenda ipſius imperia miſſus, potentiam accipit ad omnia quæ jubetur perficienda. Ejus deſcriptio ſtantis in terra, & cœlum vertice adtingentis, eſt imitatio *Homeri*, aut *Callimachi*; quorum prior quidem ita Eridem deſcribit, Iliad. Δ verſ. 443.

Οὐρανῷ ἐστήριξε κάρη, καὶ ἐπὶ χθονὶ βαίνει,

Cœlo firmat caput, & in terra ingreditur; poſterior verò Hymno in Cererem, verſ. 58. Deam ſic pingit:

Ἴχνια μὲν χθονὸς, κεφαλὰ δ' ἥ οἱ ἄψατ' ἰάλυμπου.

Veſtigia quidem ejus terram, caput verò tetigit cœlum. Quos imitatus *Virgilius*, IV. Æneïdos, verſ. 177. in deſcriptione Famæ:

Ingreditúrque ſolo & caput inter nubila condit.

Nemo, ut opinor, non videt Judæum, Antiochenum fortè, aut Alexandrinum, imitatum hîc eſſe Poëtas Græcos, non Salomonem ſequutum. Sumſit etiam ex Platonicis opinionem, ad quam reſpicit Cap. VIII, 19, & 20. nempe, animorum προϋπαρξιν. Quæ, ut & cetera omnia, quiſquis diligenter expenderit, numquam ſibi Librum hunc He-

 braïcè

braïcè primùm à Salomone conſcriptum perſuaderi patietur.

15. Sic & olim *Julius Africanus* ſcripſerat, ut docet * *Hieronymus*, Epiſtolam ad Origenem *ſuper quæſtione Suſannæ, eo quòd diceret in Hebræo hanc fabulam non haberi, nec convenire cum Hebraica Etymologia*, ἀπὸ τῦ σχίνε σχίσαι, καὶ ἀπὸ τοῦ πρίνε πρίσαι. Quod invictum eſt argumentum, cùm ex re ipſa deductum ſit; nam quæ conjicit *Origenes*, hunc librum Hebraïcè olim ſcriptum, ſed ab Hebræis ſuppreſſum, ac tandem è rerum natura ſublatum, in honorem Gentis ſuæ, id parum veriſimile eſt. Hoc enim duorum virorum facinus, præſertim cùm à Daniele acerrimè repreſſum narraretur, non poterat magis nocere famæ Judæorum; quàm integræ tot ſcelerum hiſtoriæ, & caſtigationes, quæ cùm in libris Hiſtoricis, tum in Propheticis leguntur. Sat multa ſunt quæ verè Judæis objici poſſint, ut minimè neceſſe ſit conjecturis inanibus eos infamatum ire; aut potiùs Religionem, quam profitemur, quæ calumniis nequaquam eget. Sed viri doctiſſimi multis oſtenderunt, fruſtrà à Patribus Judæos falſatæ Scripturæ Veteris Teſtamenti accuſari. Itaque, ea de re, nihil addemus. Locus autem, qui reſpicitur, exſtat Cap. XIII. verſ. 54. & ſeqq. *Nunc ergo ſi vidiſti eam, dic ſub qua arbore videris eos colloquentes ſibi? Qui ait, ſub ſchino* (ὑπὸ σχῖνον.) *Dixit autem*

* *In Catalogo.*

tem Daniel: rectè mentitus es in caput tuum. Ecce enim Angelus Dei, acceptâ ſententiâ ab eo, ſcindet (σχίσει) *te medium.* Similiter alteri ſeni dicit Daniel: verſ. 58. *Nunc ergo dic mihi, ſub qua arbore comprehenderis eos? Qui ait, ſub prino.* (ἐπὸ πρίνου) *Dixit autem ei Daniel, rectè mentitus es & tu in caput tuum, manet enim Angelus Domini gladium habens, ut ſecet* (πρίσαι) *te medium.* Hæc oſtendunt à Judæo Græcè loquente primùm ſcripta, cùm in vocibus Hebraïcis nulla ſimilis agnominatio fieri queat; nam hoc tribuere Interpreti, cum non conſtet ullum umquam fuiſſe Archetypum, hoc demum eſt hariolationes ſuas pro rebus compertis obtrudere. Scio Hebraïſmos dici eſſe, in hoc libro; ſed hinc colligere eſt ſcriptum à Judæo Hebraïcè, aut Syriacè meliùs quàm Græcè ſciente, non ipſum opus umquam Hebraïcè fuiſſe editum. Sic videmus Apoſtolorum Scripta ſcatere Hebraïſmis, cùm ab iis primùm Græcè edita ſint; quòd, nempe, eſſent Judaïcæ Linguæ peritiores, quàm Græcæ.

16. Ultimum exemplum addemus ex Libro, quem pro Origeniani operis Græcè ſcripti Latina tranſlatione haberi voluerunt Librarii, & de quo jam antea Cap. V. §. 10. diximus. Hominis Latini eſſe vidit *D. Eraſmus*, quod hoc, inter alia, argumento probat. „ Interpretatur interdum Græcas voces, ſed ita „ ut Latinum agnoſcas, veluti cùm docet „ nos quid & qualis ſit *Adamantus*. Sic ha-

bet locus : Adamantus *interpretatur*, *in Græca Lingua*, *indomabilis*, *inflexibilis*, *inalterabilis*. At, ut rectè animadvertit *P. Dan. Huëtius*, possent hæc ab interprete esse addita ; verùm est alius locus ab eo prolatus, qui nonnisi Latinè scriptus fuit, ubi meminit *Luciani* Martyris *Origene* multò recentioris : *Ita consummatus est*, inquit, *beatus atque glorioſus* LUCIANUS, LUCIDUS *vita*, LUCIDUS *& fide*, LUCIDUS *etiam tolerantiæ consummatione* ; *ob hoc enim* LUCIANUS *cognominatus est*, *tamquam* LUCIDUS, *aut proprio lumine sibi fulgens*, *aut aliis* LUCENS. Hanc agnominationem, in sola Latina Lingua esse, nemo non videt. Itaque si hoc opus versum sit è Græco, oportet hunc totum locum ab Interprete esse additum. Hoc malle videtur vir doctissimus, in *Origenianorum Appendice*, eò quòd Interpres dicat in Prologo, opus hoc ante se ab aliis Latinè fuisse versum. At *Des. Erasmus* suspicatur esse suppositum Prologum, qua de causa ei indignatur vir eruditissimus ; quòd styli congruentia probet esse auctoris Libri. Hoc nos ei concedamus, quamvis non usque adeò manifestum ; sed si dixerimus hominem esse fide indignum, judice vel ipso *Huëtio*, qui eum interpositorum commentorum suorum orationi Græci Scriptoris, quem vertebat, incusavit, nobis, ut opinor, irasci non poterit ; nam deterius non est mentiri in Præfatione, quàm opus alienum tam turpiter interpolare. Certè hoc quoque mentiri est, tacite

tacitè enim adfirmamus id eſſe Scriptoris, quod Lectori, nequaquam monito noſtrum eſſe, promiſcuè cum ejus verbis legendum præbemus.

17. Atque hæc hactenus, de Indiciis ex quibus interpolata, ac ſuppoſita à ſinceris & genuinis ſecernere licet; qua in tractatione, ita *Andream Rivetum*, & *Guil. Cavum* ſequuti ſumus, ut neque eorum methodum, neque exempla exſcripſerimus; ſicut facilè intelligent quicumque noſtra, cum illorum Scriptis, contendere non gravabuntur. Ceterùm non diffitemur, (quæcumque ſint poſterioris in nos merita) lectis eorum Canonibus, noſtros Aphoriſmos à nobis eſſe formatos.

18. Hos autem ejuſmodi viſum iri confidimus, ut quiſquis eos diligenter obſervabit, vix umquam ſit à vero aberraturus. Verùm ut horum Aphoriſmorum, quamvis per ſe clarorum, poſſit ubique auctoritas inviolata ſervari, fateor non mediocrem poſtulari eruditionem, nec exiguo tempore opus eſſe, ut dextrè ac feliciter iis uti addiſcamus. At hæc eſt natura præſtantiſſimarum quarumque Legum, ut quarum intra paucas horas juſtitia ac ſanctitas intelliguntur, iis obſervandis homines nondum adſueti, tempore, meditatione atque exercitatione egeant, ut earum jugum æquo animo ferre adſueſcant. Hoc tamen intereſt, quòd cùm neceſſe ſit omnes eſſe bonos viros, & legum obſervantes, nemo cogatur difficillimam Artem Criticam profi-

teri. Sed quiſquis hanc excolere tentabit, eum oportet intelligere quantum in ſe laborem ſuſcipiat, & quibus Legibus teneatur. Sin minùs, infeliciſſimus erit Criticus, & pro maxima laude, quam eruditi viri hinc retulerunt, ludibrium omnibus debebit. Hîc mihi audire videor Lectorem à me quærentem, an ipſe, qui hæc ſcribo, lauream hinc aliquam ſperem? Invidioſa hæc eſt interrogatio, cui quidquid repoſuero captum iri me ſentio. Itaque hîc me ſuſtinebo, ſi modò dixero me arduam ac periculoſam hanc Artem non profiteri; etſi profitentibus impenſè faveo & eorum Scripta libentiſſimè dudum lego; ex quo factum eſt, ut fortè color aliquis Criticus mihi hæſerit, útque hæc aliis, potiùs quàm mihi, ſcribere impetu quodam Critico adgreſſus fuerim.

P. III. Artis Criticæ Sect. II. Finis.

A R-

ARTIS CRITICÆ

PARS III.

SECTIO III.

De Judicio, de Stylo & Charactere Scriptoris ferendo.

CAPUT I.

De iis quæ ſunt in quovis Scriptore animadvertenda, ut de eo rectè judicare poſſimus, déque forma ſcribendi Quinti Curtii.

1. CUM de dignoſcendis locis & libris ſpuriis ageremus, diximus de iis judicaturis perſpectum eſſe oportere ſtylum & characterem Scriptoris, cui tribuuntur. Nunc verò, ut qui Artem Criticam pernoſſe cupiunt intelligant, quæ potiſſimùm in quovis Scriptore ſint animadvertenda; ea paullò diſtinctiùs hîc perſequemur, exemplúmque dabimus Critici examinis ex *Q. Curtii* Hiſtoria, quam diligenter expendemus. Eadem operâ, illuſtrabitur id Cri-

Criticæ munus, quo ad Artium normam exiguntur quivis Auctores. Quia de re multis egit *Henr. Stephanus*, in Lib. de Criticis Veteribus * Græcis & Latinis, tèrmè ab initio Operis, quod adire poterunt Criticæ ſtudioſi. Omnium Scriptorum libri expendi poſſunt & debent ad regulas Artis, quam privatim profitentur, legésque rectæ Rationis, quibus homines omnes, ſine ullo gentium ac ſæculorum, quibus vivimus, diſcrimine tenemur. Qui utraſque per omnia obſervarunt, ſunt per omnia laudandi, at perpauci ſunt; alii omnes, quatenus tantùm obſervarunt. Quæ recta ſunt laudari, ſine malignitate, debent: quæ minùs, ſine ſuperbia, reprehendenda. Nos ergo *Curtii* opus ad Leges Hiſtoriæ, quandoquidem ſe Hiſtoricum profeſſus eſt, & ad rectam Rationem, cujus ſcitis ac decretis æquè ac nos tenebatur, exigemus.

2. Tria in omnibus Scriptoribus, ut intelligatur penitus eorum indoles, ſunt diligentiſſimè adtendenda. Primum eſt delectus rerum quas habent; alterum rerum delectarum diſpoſitio; tertium ſtylus, ſive eloquutio. In primo & ſecundo, eruditio atque judicium Scriptoris; in tertio, ingenium & exercitatio in ſcribendo elucent. Aliud nihil in oratione ſcripta quæri poteſt, eáque ſi nobis ſint perſpecta, tum demum eruditionem, judicium atque ingenium Scriptoris nota nobis eſſe verè prædicare poſſumus; ſin minùs, neque hæc novimus, &, hiſce ignotis, nonniſi temè-

* *Pariſ. 1587. in 4.*

merè de ejus ratione, formáque ſcribendi judicare adgredimur. Ut autem hæc nobis innoteſcant, non ſatis eſt nos ſemel atque iterum Libros ejus legere, aliud agentes; aut etiam, eo dumtaxat animo, ut cognoſcamus qua de re agat, vel ut laudanda in ejus diſpoſitione ac ſtylo imitemur; ſed de induſtria, poſt unam aut alteram lectionem, diligentiſſimè verſandi ſunt, eúmque in finem ut quid rectè & ſuo loco dictum, quid ſeciùs animadvertamus, memoriæque, vel chartæ potiùs mandemus. Quin &, ſi adcurati eſſe velimus, relegenda nobis ſunt aliquoties noſtra veſtigia, ut, ſi quid temerè à nobis poſitum ſit, id deleamus; ſi quid omiſſum, quod ſit alicujus momenti, id ſcribamus. Alioqui quamvis adtentè Scriptorem legamus, numquam ſatis adcuratè de eo judicare poterimus. Certè, ut quod mihi contigit dicam, non ſemel legeram *Q. Curtii* hiſtoriam, antequàm in eo pleraque, quæ poſtea de eo dicam, animadvertiſſem. Rerum geſtarum, quas deſcribit, magnitudine animus perculſus, & ſtyli elegantiâ delinitus, aliud nihil, præter fortitudinem, audaciam & felicitatem Alexandri videbat; aliud nihil, præter ſublimia verba facundiſſimi Scriptoris, audiebat.

3. Sed cùm poſtea *Curtium* eo animo legerem, non ut ea cognoſcerem quæ jam mihi ſat nota erant, ſed ut quidquid habet exigerem ad ſeveras Hiſtoriæ leges & Veri immutabilem normam; tum demum in eo animadverti, quæ in hac ultima *Artis Criticæ* Parte memorabo, & quibus mihi viſus ſum ita virtu-

tutes ejus & vitia complecti ; ut faciem ejus operis pingere ſi adgrediar , eam omnes facilè ſint agnituri, qui id norunt.

4. Ut ergo, veluti in minore tabella , id pingam ; exiſtimo *Curtium*, quicumque fuerit , nam hoc me neſcire fateor , cùm diuturnam & diligentem operam arti oratoriæ dediſſet, imò fortè eam alios doceret , videréтque neminem, apud Latinos , res geſtas Alexandri Macedonis , prout argumenti dignitas poſtulabat, ſcribere adgreſſum eſſe; hanc materiam elegiſſe , non tam ut Veritatis ſtudio adcuratiſſimè hiſtoriam Alexandri poſteris traderet, licèt hoc quoque tentarit , quàm ut eloquentiæ ſuæ ſpecimen ederet. Eam in rem , res geſtas à domitore Aſiæ , non , ut curioſus ſingularum circumſtantiarum Lector poſtularet , deſcripſit ; ſed quemadmodum eas à Rhetore ſcribi poſſe, atque oportere credidit. Itaque ubicumque potuit orationum hiſtoriæ inſerendarum occaſionem captavit , eásque eo ſtylo conſcripſit , non qui deceret Macedonas rudes pleroſque , & militaris artis multò quàm rhetoricæ ſcientiores ; ſed qualis eſſet otioſi Rhetoris , qui in umbra atque in ſchola conſenuiſſet. Narrationem ipſam non ſentimus nativâ ſimplicitate, deſcriptionúmque ἀκριβείᾳ & fide placere ; ſed nitore & elegantiâ vocum, & totius ſtyli ardore quodam , qui nuſquam languet , nuſquam eſt parum ornatus, aut ulla ex parte neglectus. Sicubi verò vel minima occurrit occaſio deſcriptionis, ibi hominem videas avidiſſimè artis ſuæ vela pandentem , etiam ubi omnes ta-

tacerent; præſertim in tam copioſo argumento, & magnitudine ipſâ rerum, ſine ornatu ullo procul quæſito, placente Exempli cauſâ, multa flumina copioſè deſcripſit, quaſi ad interioris Libyæ ſitientes incolas opus hoc ſuum mittere voluiſſet; qui numquam fluvium ullum viderunt, & qui vel ſolis illis deſcriptionibus æſtum, quo excoquuntur, recreare poſſent. Quia verò ubique res ipſæ tantæ non ſunt, ut in admirationem Lectorem ſemper rapere queant, ſubinde hyperbolico ſtylo augentur; quem in hiſtoria mirentur quidem pueri, at rideant ſubactioris judicii homines. Uno verbo, elegantiſſimum declamatorem ubique expreſſit, potéſtque, ad verba & loquutiones, gnomáſque, quod adtinet, materiam ſuppeditare Studioſis, quâ exornent orationem, & grandiorem faciant ſtylum; & fortaſſe id unum, in hoc opuſculo, ſpectavit.

5. At in eo deſideres ferè ubique Hiſtoricum, qui diligenter omnia perquirit, ſeligſtque tantùm digna narratu, numquam ad inania digreditur, numquam in deſcriptionibus rerum omnibus notarum ingenium oſtentat; qui credibilia ab incredibilibus ſecernit, hísque aut prorſus omiſſis, aut breviter rejectis, credenda tantùm ſerió profert; qui non modò conſpicua illa vitia, qualia ebrietas, crudelitas, ſuperbia, vituperat, ſed & occultioribus illis, quæ nominibus virtutum velantur, larvam detrahit, eáque deridenda omnibus præbet; qualis erat ambitio illa, quæ Alexandrum uſque adeò vexavit, & belli gerem-

rendi inexhauſta cupiditas; qui circumſtantias omnes, rerum, hominum & locorum, quatenus licet, memorat, adminiculorúmque omnium rei bene gerendæ meminit, ut intelligat Lector, quî facta ſint quæ narrat; qui omnia pro temporum ordine collocat, ut ſciant Lectores quo anno, quáve tempeſtate anni ſingula geſta ſint; qui denique ſtylum rebus adcommodat, non res ipſas ſtylo; & ſimplicis Veri ſacerdos, ſimplici oratione Numini, cujus fert ſacra, litat.

6. Hæc & ſimilia deeſſe *Quinti Curtii* Hiſtoriæ præſtat eorum enumeratione particulatim oſtendere, quàm diutiùs, generali hac deſcriptione, ejus nimios admiratores in nos concitare. Itaque primùm oſtendemus quid in rerum delectu deſit, deinde quid in diſpoſitione meritò reprehendi poſſit, ac tandem eloquutionis ejus vitia deſcribemus; quibus omnibus ſubjiciemus aliquot locorum apud eum, Librariorum potiſſimùm negligentiâ, corruptorum emendationem. In hiſce recenſendis, eam rationem otii noſtri & Lectoris habebimus, ut neque maximi quidquam momenti omittamus, neque omnia, quæ dicere poſſemus, huc congeramus.

7. Sed paucis verbis hîc invidiam deprecari neceſſe habemus, ſi modò ſibi deprecatione ullâ ſatisfieri patietur. Ante omnia, ſanctè adfirmare poſſum, quidquid hîc à me ſcriptum eſt, non eo animo ſcriptum ac in lucem emiſſum, ut dotibus & veris *Curtii* laudibus quidquam detraherem, aut ut adoleſcentes ab ejus, ſimiliúmque Scriptorum lectione deter-

terrerem. Ejus facundiam ubique laudavi, & egregias ſententias, quas paſſim habet, vehementer probavi; propter quæ digniſſimus eſt, qui ſæpiùs ab adoleſcentibus legatur, & à majoribus etiam natu in deliciis habeatur. Quod judicium fero etiam de antiquis quibuſvis Scriptoribus, huic noſtro aliquatenus ſimilibus, quicumque ſint. Si quis eos ſpernat, ac faſtidiat, quaſi minùs ingenioſos ac eloquentes, quàm ut imitari eos, ad eloquutionem, inventionémque quod attinet, debeamus; me numquam adſentientem habebit. Studioſè eos ſemper lectitavi, nec maturiore ætate minùs earum lectione delector. Quod bonâ fide atque ex animi ſententia dico & profiteor.

8. Sed nolim juventutem, aut alios quos ætas juvenibus ſapientiores non fecit, unà cum Veterum virtutibus eorum vitia imbibere & mirari quæ venia egent, nedum ut admiratione digna ſint. Talia ſunt in *Curtio*, quæ ſunt ſanctiſſimis & certiſſimis Hiſtoriæ, Rationiſque legibus contraria; qua condonari quidem ei æquum ſentio, ſed laudari non fero.

9. Nec ſanè aliter ac ego ſentiunt, qui contrà ſentire videntur, cùm in Recentioribus vituperaturi ſine dubio eſſent, quæ in Veteribus reprehendi non patiuntur; quæ iniquitas ſumma eſt, & quam nullo fuco umquam ita incruſtabunt, ut à prudentioribus animadverti nequeat. Verùm eò etiam major eſt, quòd Recentiorum laudibus malignè detrahere ſoleant, cùm ſciant eo modo iis no-

ceri; dum non ſinunt Veteres jure reprehendi, quibus tamen ea reprehenſio minimè nocet, cùm proſit iis qui eos legunt, ne imitentur, quod fugiendum eſt. Præſtaret ſanè Veteres non legi, quàm ita legi, ut iſti volunt, hoc eſt, ſine judicio; cùm eâ lectione ineptiores nos fieri neceſſe ſit. Legendi verò illi ſunt, & quidem ſtudioſè, ſi mihi creditur, ut laudanda imitemur, ignoſcenda verò fugiamus dum iis ignoſcimus; quo modo *Curtius*, áliique ſimiles, ut jam dixi, utiliſſimi legentibus erunt, nec ullo modo nocere poterunt. Hæc Invidiæ obiter reponenda cenſui, quam placare ſi nequeam, æquo animo feram; cum vitare ſeriò ſtudia Litterarum colenti non ſemper hodie liceat, uti nec olim licuit.

CAPUT II.

Quintum Curtium fuiſſe Aſtronomiæ & Geographiæ planè imperitum, ob quam imperitiam in multis peccavit.

1. UT initium faciam à rebus ipſis, quæ in *Curtii* hiſtoria meritò caſtigari poſſe videntur; quamvis cum illis non ſentiam, qui ab Hiſtorico adcuratam omnium pænè diſciplinarum, de quibus incidere poteſt ſermo, cognitionem exigunt; attamen optandum eſt ut liberaliorum plerarumque eatenus ſaltem ele-

elementa adtigerit, ut pudendam ruditatem depoſuerit, útque à gravibus peccatis, ſi fortè quidpiam ex iis delibandum ſit, cavere ſibi queat. Aut certè, ſi de iis loquendum, quæ neſcit, ab aliis, quæ dicenda ſunt, mutua ſumat oportet. Duæ autem ſunt diſciplinæ, germanæ veluti ſorores, quarum una Hiſtorico planè neceſſaria, altera ſæpe non prorſus inutilis eſt, & quas tamen vix à limine ſalutaſſe videtur *Curtius*. Eæ ſunt Aſtronomia, & Geographia, quarum planè rudem ſe ſe prodit.

2. Exemplis utrumque breviter demonſtrabo; & ad Aſtronomiam quidem quod adtinet, eum planè ejus imperitum eſſe oportuit, qui credidit Lunam deficere, non modò cùm Terræ umbram ſubiret, ſed etiam cùm *Sole premeretur*. Sic autem loquitur *Curtius* * de Eclipſi Lunæ, quæ contigit cùm Alexander ad Darium, ſecundùm cum eo pugnaturus, contenderet: *Illi* (nempe Ægyptii) *qui ſatis ſcirent temporum orbes implere deſtinatas vices, Lunámque deficere, cùm aut Terram ſubiret, aut SOLE PREMERETUR, rationem quidem ipſis perceptam non edocent vulgus*, &c. Quam etiam ignorabat *Curtius*, qui ſe tamen noluiſſet, ſine dubio, cum imperito vulgo miſceri. Vult quidem *Matthæus Raderus*, *Solis preſſione* hîc intelligi ſilentia Lunæ, cum Luna Soli proxima faciem illuſtratam integram ei obvertit; ſed nemo *defectum Lunæ* hoc vocavit umquam, præter ipſum, nec, ut

* *Lib. IV. c. X, 5.*

puto, *preſſionem Solis* ſitum Lunæ Soli proximum. Non eſt is ſermo Aſtronomi, ſed hominis, qui ne vocabula quidem artis norat. Silentia Lunæ nemo mirabatur, quæ ſingulis menſibus recurrunt; ſed *defectus* rariores vulgus horrebat.

3. Ex hac eadem Aſtronomiæ ignoratione, natæ ſunt deſcriptiones regionum planè falſæ; quòd neſciret ſub quo Climate ſitæ eſſent, ſeu quantùm à linea æquinoctiali diſtarent. Sic loquitur de Parapamiſadis *; *Gelidiſſimum ſeptemtrionis axem ex magna parte ſpectant. Bactrianis ad occidentem conjuncti ſunt; meridiana regio ad mare Indicum vergit.* Paullò pòſt: *vites*, inquit, & *arbores*, *ſi quæ in tanto terræ rigore durare potuerunt*, *obruunt; penitus hieme defoſſæ latent*, *cùm nive diſcuſſâ aperiri humus cœpit*, *cœlo ſolique reddantur. Ceterùm adeo altæ nives premunt terram*, *gelu & perpetuo penè rigore conſtrictæ*, *ut ne avium quidem feræve nullius veſtigium exſtet. Obſcura cœli veriùs umbra*, *quàm lux*, *nocti ſimilis premit terram*, *vix ut quæ propè ſunt conſpici poſſint.* Cetera non exſcribo, nam hæc omnem ineptiam ſuperant. Quis non dixerit à *Curtio* deſcribi *Thulen*, aut tractum ejuſmodi intra circulum arcticum ſitum, vel polo vicinum? At numquam Scythiæ ſeptemtrionales partes adiit Alexander, qui vix meridianam ejus oram adtigit; & Parapamiſadæ, Bactrianis vicini, ſunt ſub clementiſſimo Climate, quippe inter trigeſimum quartum & qua-

* *Lib. VII. c. 3.*

quadrageſimum gradum latitudinis ſeptemtrionalis ſiti, quemadmodum meridianæ partes Græciæ; in quibus ſanè multò magis timendus æſtus, quàm frigus hibernum, quòd & exiguum & breve eſt. Eos tractus nunc vocant *Mawaralnahram*, quorum Metropolis eſt *Samarcanda*, atque omnium rerum copiâ abundare omnes qui adiere narrant. Aut ſi mavis magis ad ortum Paramiſadas quærere, populi erunt ad Septemtriones *Cabulis* & *Caſſemiræ*, qui ſunt montani tractus iique frigidi, & diuturnis nivibus tecti. At in montibus ipſis nemo habitat, ſed in montium convallibus, ubi tanta nix non eſt, nec diu durat; quod videmus, in noſtris oris, circa *Genevam.* Sunt illic montes ad ortum, quos *maledictos* vulgò vocant, perpetuâ nive tecti; ſed in quibus non ſunt incolæ, neque vites ullæ, ſed tantùm in vicinis campis. Præterea ſatis liquet *Curtium* frigus intolerandum, in illis oris deſcribere, non tantùm hiemis, niviſque cauſâ; ſed quòd ita polo vicinæ ſint, ut potiùs crepuſculum illic quàm diem habeant. Qua in re planè hallucinatus eſt, cùm in illo climate noctes hibernæ non ſint longiores quàm in Italia. Quod probè obſervandum, neque enim frigus ſimpliciter, in iis locis, ſed frigus Arctoum, à longa nocte, qualis intra circulum Arcticum, ortum, reprehendimus. Verùm hac de re pluribus Gallico ſermone egimus, *Bibliothecæ Selectæ* Tom. III. p. 221. & ſeqq. Si ſitum ſingulorum locorum adcuratiùs cognoſcere aveas, adeunda eorum Arabica

descriptio *Abulfedæ*, quæ est à *Juan. Gravio* edita.

4. Sed, quod omnia ἀτοπήματα multis parasangis antecedit, idem ille *Curtius*, qui sub benignissimo cœlo glacialem Zonam & tenebras Cimmerias invenit, in tractibus ad septemtrionem Parapamisadarum sitis, torridam deprehendit Zonam. Sic enim iter Alexandri, per loca deserta Sogdianorum, describit, haud multò pòst *: *Arenas vapor æstivi Solis accendit, quæ ubi flagrare cœperunt, haud secus quàm continenti incendio cuncta torrentur. Caligo deinde, immodico terræ fervore excitata, lucem tegit; camporumque non alia, quàm vasti & profundi æquoris, species est. Nocturnum iter tolerabile videbatur —— ceterùm cum ipsa luce æstus oritur, omnémque naturalem absorbet humorem siccitas*, &c. Non aliter potuisset loqui de itinere, per meridianos Persidis tractus, aut ad Jovem Hammonem. Certè his similia habet *Arrianus* Lib. VI. ubi de reditu Alexandri per solitudines *Gedrosorum*, qui populi meridianam Persici Imperii oram, ad Oceanum Indicum, incolebant. Fortasse Gedrosos cum Sogdianis miscuit *Curtius*, aut alium eos confundentem, nec satis tempora distinguentem sequutus est.

5. Ex ignorantia Astronomiæ profluxerunt etiam τερατολογίαι, quas inducit dicentes Alexandri milites, ad Hypasin fluvium: † *In alium orbem paras ire, & Indiam quæris In-*

* *Lib. VII. c. 5.* † *Lib. IX. c. 3.*

Indis quoque ignotam ; inter feras , ſerpentés-que degentes eruere ex latebris & cubilibus ſuis expetis , ut plura QUAM SOL VIDET victoriâ luſtres. Fuiſſet vix tolerabilis hyperbole , ſi dixiſſent : *quæcumque Sol videt victoriâ luſtres* at hîc Macedones timent ne abducantur in terras, quas numquam Sol vidit ; quaſi minùs , aut aliter Solem oriri vidiſſent , apud Indos, quàm apud Macedonas ! Tam abſurdè loquentes numquam induxiſſet Aſtronomiæ peritus. Nec pùtes noſtro hoc excidiſſe , placuit hæc illi ἔννοια ; iterum enim , in ſequentibus * , Macedones queruntur ſe *trahi extra ſidera & ſolem , cogíque adire quæ mortalium oculis natura ſubduxerit.* Nullum præmium ſe manere, victis tot gentibus, niſi *caliginem ac tenebras , & perpetuam noctem profundo incubantem ; repletum immanium belluarum gregibus fretum ; immobiles undas , in quibus emoriens natura defecerit.* Hæc poſſent ferri , ſi Macedones ita quererentur † poſtquàm à Caſpio Mari rectà ad Septemtriones ducti fuiſſent , per aliquot hebdomadas , & quidem circa brumam ; vidiſſent enim noctes præter modum augeri , & frigus intendi. Sed euntibus in Auſtrum , Solémque quotidie altiorem ſupra capita cernentibus , & calorem augeri ſentientibus ; ſuſpicio nulla æternæ noctis , immobilis freti , & emorientis naturæ , iis eſſe potuit. Verùm homo

* *Lib. IX. c. IV*, 18. † *Vide* Pedonis Albinovani *fragmentum , de navigatione Germanici per Germanicum Oceanum , apud* M. An. Senecam *Suaſor. I.*

declamitando adſuetus tam pulcrum locum prætermittere non poterat. Conferantur hæc cum iis, quæ ex declamatoribus collegit *M. An. Seneca* Suaſoriâ primâ, & germana videbuntur, ac forſan inde expreſſa. Illic enim deliberanti Alexandro, an Oceanum navigaturus ſit, diſſuadet *Avitus* hiſce verbis: *Stat immotum mare, & quaſi, deficiente in ſuo fine naturâ, pigra moles; novæ ac terribiles figuræ, magna etiam Oceano portenta, quæ profunda iſta vaſtitas nutrit; confuſa lux altâ caligine, & interceptus tenebris dies; ipſum verò grave & defixum mare, & aut nulla, aut ignota ſidera.* *Oſcus* verò: *Tempus eſt*, inquit, *Alexandrum cum orbe & cum Sole deſinere*, &c. *Neſcio quid humanis natura ſubduxit oculis, extrema nox obruit.* *Muſa* denique: *Fœda belluarum magnitudo, & immobile profundum teſtantur, Alexander, nihil ultra eſſe quod vincas; revertere.* Quæ omnia portentoſa Aſtronomiæ non omnino imperitis, pulcra tamen ſine dubio videbantur *Curtio*; alioquin imitatus non eſſet.

6. Nec dixeris illo ævo, quo vixit *Curtius*, Aſtronomiam ſatis notam nondum fuiſſe, ut ejuſmodi errores caveri poſſent; quòd ſi ad Alexandri ætatem adſcenderimus, minorem etiam ejus fuiſſe diſciplinæ cognitionem, ideóque & *Curtium* & milites Alexandri potuiſſe, ſine dedecore, ejuſmodi ſermones habere. Fateor inter Rhetoras, Aſtronomiam vulgò notam non fuiſſe; ſed quæ ſcripſit *Ptolemæus*, non multò recentior *Curtio*, oſtendunt ſat notam fuiſſe, ut ejuſmodi ineptiæ vitari poſſent;

ſent ; neque enim *Ptolemæus* ejus ſcientiæ inventor fuit , ſed cultor dumtaxat & propagator. Nec talia dicere poterant milites Alexandri , inter quos erant Chaldæi , Ægyptiíque Aſtronomiæ periti, & vicini præterea locis , de quibus ea monſtra jactantur. Ac ſanè *Arrianus* , qui Cœnum etiam diſſuadentem Alexandro , ne ulteriùs pergeret , inducit Lib. V. ſub finem , nullas habet ejuſmodi τερατολογίας , ex ſolo cerebro otioſorum Rhetorum natas.

7. *Joſ Scaliger* de Emendat. Temporum Lib. II. p. 118. Edit. poſterioris , profert hæc verba *Curtii* Lib VIII. c. 9. ad calcem Capitis , de menſibus Indorum : *Menſes in quinos denos deſcripſerunt dies. Anni plena ſpatia ſervantur. Lunæ curſu notant tempora , non ut plerique cùm orbem ſidus implevit , ſed cùm ſe curvare cœpit in cornua , & idcirco breviores habent menſes , qui ſpatium eorum ad hunc Lunæ motum dirigunt.* Tum ita loquitur : ſanè „ verum eſt breviores menſes eſſe, quàm a„ liorum , cùm *quinis denis* tantùm diebus „ conſtent. Sed quomodo à Luna cornicu„ lata , ſi non etiam à plenilunio alternatim ? „ & ſi à plenilunio , quomodo conſtant ea „ quæ dicit , non ab eo tempore putari , cùm „ *implevit orbem ſidus* ? Quid enim aliud eſt , „ quàm à plenilunio ? Rurſus , ſi *quini deni* „ dies menſi adtribuuntur , quomodo conſtan„ ter ſervabitur ille numerus , ut tandem ra„ tiones Lunæ non labaſcant , ſi quidem Lu„ nares menſes alternis pleni & cavi? —— Si

„ igitur ſemper à Luna corniculata; ergo „ menſes non *quinis denis* diebus, ut perpe- „ rant. ſcribit auctor alioqui facundiſſimus; ſed „ tricenis & undetricenis conſtabunt. *Matth. Raderus* conatus eſt *Curtii* verba ita exponere ut intelligatur hoc voluiſſe, menſem unum incipi & numerari paullò poſt Lunæ ſilentium ad plenilunium; deinde alterum à tempore, quo decreſcere Luna incipit, ad ſequens ejus ſilentium. Sanè hæc ejus debuit eſſe ſententia, ſed parum aptè eſt loquutus, cùm dixit lunam decimo ſexto die *ſe incipere curvare in cornua*, nulla enim *cornua* niſi ſeptem circiter poſt plenilunium diebus adparent. Sed & ante *Raderum Thomas Lidyatus* rem aliter interpretari conatus erat; at rectè oſtendit *Scaliger* in Prolegomenis ad *Canones Iſagogicos*, p. 11. nec à *Lidyato Curtium*, nec à *Curtio* fortè Scriptorem, quem exſcripſerat, intellectum fuiſſe. Veteres Perſæ utebantur etiam menſibus quinûm denûm dierum, & viginti quatuor habebant intra anni ſolaris circuitum, ante Mohammediſmi tempora, ut diſertè teſtatur *Joannes Chardinus* Itinerar. Perſici Tom. II. p. 14. Ed. in 4.

8. Nunc ut ad Geographiam veniam, quæ, quatenus ſpectat deſcriptionem, ſitúmque regionum, notior multò erat, quàm Aſtronomia; immania etiam ſunt peccata, quæ in eam admiſit *Curtius*. Hanc verò Hiſtorico minùs utilem eſſe nemo dixerit, cùm ſine ejus cognitione, neceſſe ſit ut itinera, expeditionésque exercituum perverſè deſcribat, & Lectorem locorum imperitum ſubinde fallat; quem-

quemadmodum facit *Curtius*, niſi Lectores à viro Geographiæ peritiore admoneantur. *Polybius* certè, antequàm manum hiſtoriæ ſuæ admoveret, luſtrare ipſe voluit loca potiſſima, de quibus erat loquuturus; ne in peccata incideret, in quæ delapſi fuerant veteres Hiſtorici, quibus minùs notus erat terrarum orbis. * Τὸ πλεῖον, inquit, τύτυ χάριν ὑπιδιξάμεθα τὰς κινδύνυς καὶ τὰς κακοπαθείας, τὰς συμβάσας ἡμῖν ἐν πλάνῃ τῇ κατὰ Λιβύην καὶ καθ' Ἱβηρίαν, ἔτι δ' Γαλατίαν καὶ τὴν ἔξωθεν ταύταις ταῖς χώραις συγκυρῦσαν θάλατταν. ἵνα διορθωσάμενοι τὴν τῶν προγεγονότων ἄγνοιαν ἐν τύτοις γνώριμα ποιήσωμεν τοῖς Ἕλλησι καὶ ταῦτα τὰ μέρη τῆς οἰκυμένης: interprete Is. Caſaubono: *cùm tot pericula tantóſque ſuſcepimus labores, quantos in peregrinatione Africæ, Hiſpaniæ, item Galliæ, & maris externi, quà has regiones adluit, exantlavimus; id potiſſimùm ſpectavimus, ut Antiquorum ignorantiam harum partium corrigeremus, & illos quoque tractus noſtri orbis Græcis hominibus aperiremus.* Superiùs tranſitu Hannibalis per Alpes narrato, † ἡμεῖς, inquit, περὶ τύτων εὐθαρσῶς ἀποφαινόμεθα, διὰ τὸ περὶ τῶν πρώτων παρ' αὐτῶν ἱστορηκέναι τῶν παραπεπτευχότων τοῖς καιροῖς, τὰς δὲ τόπους κατωπτευκέναι, καὶ τῇ διὰ τῶν Ἄλπεων αὐτὸς χεχρῆσθαι πορείᾳ, γνώσεως εἵνεκα καὶ θέας: *nos autem de hiſce rebus eo majore fiduciâ ſcribimus, quia ab illis hominibus eas didicimus, qui temporibus illis vivebant, & quòd loca ipſi luſtra-*

* *Lib. III. p. 293. Ed. Amſtel.* † *Eod. Lib. p. 280.*

luſtravimus, qui viſendi ſtudio ac veritatis noſcendæ, Alpes adiimus. Sic & *Diodorus* Siculus, initio Hiſtoriæ: μετὰ πολλῆς κακοπαθείας καὶ κινδύνων ἐπήλθομεν πολλὴν τῆ τε Ἀσίας καὶ τῆ Εὐρώπης, ἵνα τὰ ἀναγκαιοτάτων καὶ πλείστων μερῶν αὐτόπλαι γενηθῶμεν. πολλὰ γὰρ παρὰ τὰς ἀγνοίας τῶν τόπων διήμαρτον, ὐχ οἱ τυχόντες μόνον τῶν συγγραφέων, ἀλλά τινες καὶ τῶν τὴν δόξην πεπρωτευκότων: *cum multa moleſtia & periculis, peragravimus magnam Aſiæ & Europæ partem, ut maximè neceſſarios & pleroſque tractus ipſi videremus. Multùm enim locorum inſcitiâ peccatum eſt, non tantùm à vulgo Scriptorum, ſed à nonnullis etiam, qui primum gloriæ decus obtinent.* Hæc quidem non à quovis Hiſtorico exigi queant; at minimùm à *Curtio* lectam oportuit deſcriptionem Geographicam tractuum, quos ſubdidit Alexander; quales ſine dubio multæ eo ævo exſtabant, præter eas quas *Curtio* antiquiores etiamnum habemus. Nihil tamen minùs curaſſe videtur, quàm ut regionum, de quibus loquuturus erat, ſitus teneret, ſicut ex re ipſa liquebit.

9. *Claudius Salmaſius* Exercitationum Plinianarum Cap. XL. pag. 582. Ed. Ultrajectinæ, dudum obſervavit *Curtium nugari* (Lib. III. c. 1.) *qui Lycum & Marſyam confundit, cùm Marſyas Apameam adluat, vel interfluat, Lycus Laodiceam.* Sed in ſitu minorum fluviorum erranti venia debetur, quæ vix concedatur aliis erroribus, quibus ipſa Geographiæ elementa convelluntur. Audi hac de re *Lu-*

cianum

cianum de conſcribenda Hiſtoria: τὸ καὶ περὶ τὰς τόπους αὐτὰς ψεύδεσθαι, ὃ παρασάγγας μόνον, ἀλλὰ καὶ σάθμους ὅλους, τίνι τῶν καλῶν ἔοικεν; *Etiam circa locos ipſos mentiri, non paraſangas tantùm, ſed & integras manſiones, cuinam egregiorum* (hiſtoricorum) *ſimile eſt?* Sic loquitur *Curtius* de ſitu celeberrimi Hammonis Oraculi, qui notiſſimus fuit, ut liqueat illi ignota fuiſſe & Clima cœli, & vicinorum ſedes: * *Cœli mira temperies, verno tempori maximè ſimilis, omnes anni partes pari ſalubritate percurrit.* Quis niſi planè ἀγεωγράφητος ignorat eam non eſſe temperiem interioris Libyæ, circa vigeſimum octavum gradum latitudinis ſeptemtrionalis? At præſentiæ Dei miraculum hoc tribuebatur à nonnullis Scriptoribus; quos ſequutus pueriliter *Curtius*, qui non veriſſima, ſed παραδοξώτατα ſolet ſeligere. Similia etiam † *Diodorus* Siculus, ex iisdem fortè Scriptoribus, hauſerat. Sed *Arrianus*, haud paullò acutiore judicio præditus, quàm uterque, ‡ ejuſmodi nugas omittit.

10. Sic verò deſcribit *Curtius* finitimarum gentium ſitum: Accolæ *ſedis ſunt ab oriente proximi Æthiopum; in meridiem verſus Arabes ſpectant, Troglodytis cognomen eſt, quorum regio uſque ad rubrum mare excurrit. At quà vergit ad occidentem, alii Æthiopes colunt, quos Scenitas vocant; à Septemtrione Naſamones.*

* *Lib. IV. C. VII, 17.* † *Lib. XVII, p. 527.*
‡ *Initio Lib. III.*

nes ſunt, Gens Syrtica, navigiorum ſpoliis quæſtuoſa; quippe obſident littora, & æſtu deſtituta navigia, notis ſibi vadis, occupant. Inſpiciantur *Ptolemæi* Alexandrini, ac proinde eorum locorum peritioris, tabulæ, & adparebit ad Orientem vicinos fuiſſe Nitriotas populos, & Oaſitas Nomos, deinde ſuperiorem Ægyptum, ac tandem Arabas, qui Troglodytæ dicebantur, quos malè ad meridiem collocat *Curtius*, & amplioris æquo tractûs incolas facit. Ad meridiem erant primùm Libyes, deinde remotiores Æthiopes. Ad occidentem incolebant Naſamones, qui an vagarentur ad Syrtes uſque neſcio. Ad ſeptemtrionem erant Libyes, Ægyptiis vicini, qui tractum maritimum inter Alexandriam & Cyrenas porrectum occupabant. Paullò aliter *Diodorus*, ſed tamen ad hæc magis accedit, quàm ad Curtianam Geographiam: περιοικοῦσι κατὰ τὴν μεσημβρίαν καὶ δύσιν Αἰθίοπες, κατὰ δὲ τὴν ἄρκτον Λιβύων νομαδικὸν ἔθνος, καὶ τὸ πρὸς τὴν μεσόγειον ἀνῆκον τὸ τῶν Νασαμώνων ὀνομαζόμενον ἔθνος: *circum habitant ad meridiem & occaſum Æthiopes; ad ſeptemtrionem Libyum gens erratica, ad mediterraneum verò tractum porrecta gens quæ dicitur Naſamonum.* Poſtrema verba minùs adcurata ſunt, nam mediterraneus tractus & meridianus idem ſunt, & Naſamones potiùs ad occaſum erant collocandi; ne jam dicam à *Diodoro* omiſſos orientales Hammonis adcolas.

11. Non peritiùs deſcribit *Curtius* iter Alexandri ex Aſſyria Babylonem verſùs, decurſum-

ſumque Tigris & Euphratis. Poſtquàm narravit Arbela ab Alexandro capta fuiſſe, docet hinc profectum exercitum rectà Babylonem duxiſſe, ejúſque itineris deſcriptionem ita orditur: * *Euntibus à parte læva, Arabia odorum fertilitate nobilis regio, campeſtre iter eſt.* Manifeſtum eſt *Curtium* deſignare Arabiam Euphrati proximam, quam perperam exiſtimat eſſe odoriferam illam, ſeu quæ *Felix* dici ſolet; cùm ſit *Arabia deſerta.* Deindefalsò *à læva euntibus*, ex Aſſyria, nempe, Babylonem, Arabiam collocat; cùm ſit Arabia deſerta ad dextram, procul verò ad meridiem aromatifera. Præterea cùm Alexander Darium viciſſet ad Arbela, trans Tigridem, ad ortum, ſi *rectà*, ut ait *Curtius*, illinc ivit Babylonem; potiùs per Aſſyriam ad Tigridem iter fecit, quem trajecit, deinde per Meſopotamiam Babylonem tetendit; unde ad meridiem progredienti procul abeſt ad dextram Arabia. Non diſſimulabo tamen, *Xenophontis* tempore, oram Meſopotamiæ ad Euphratem *Arabiam* etiam dictam fuiſſe & ut odoriferam deſcriptam, ut ex Lib. I. Exped. Cyri c. V, 1. liquet. Sed idem *Xenophon* à ſeptemtrionibus ad Auſtrum per eam progredientibus Euphratem ait fuiſſe ἐν δεξιᾷ *ad dextram.* Scio eſſe qui *Aturiam* hîc ſcribi velint, ſed *Aturia*, ſeu *Aſſyria*, potiùs erat ad dextram quàm ad *lævam* Babylonem Arbelis euntibus, & mentio odorum de Arabia agi oſtendit.

12. De

* *Lib. V. c. I. 11.*

12. De Tigri & Euphratè, paullò pòſt ita loquitur: *Ipſi amnes ex Armeniæ montibus profluunt, ac magno deinde aquarum divortio iter, quod cepere, percurrunt —— Iidem, cùm Mediæ & Gordianorum terras ſecarè cœperunt, paullatim in arctius coëunt*, &c. Poteſt hoc dici de Gordiæorum ſolo, at de Media dici non poteſt; quam non modò Euphrates nequaquam adtingit, ſed ne Tigris quidem, qui magis ad Orientem fluit, quàm Euphrates. Adluit Tigris occidentales partes Aſſyriæ, ſed aliquot dierum itinere, à Medorum finibus, abeſt. Scio *Diodorum* Siculum, Lib. II. dicere hos fluvios * *ἐκπίπτοντας διὰ Μηδίας καὶ Παραιλακηνῆς ἐμβάλλειν εἰς τὴν Μεσοποταμίαν*: *delatos per Mediam & Parætacenen, incidere in Meſopotamiam.* Sed non minùs errat, omniúmque Geographorum veterum & recentiorum auctoritate facilè poteſt confutari. *Parætacenen* ſeptemtrionalem tractum Perſidis vocat *Ptolemæus*, quò uſque porrectum fuiſſe Tigrim nemo ſomniavit.

13. Ut decurſum duorum nobiliſſimorum fluviorum multò ampliorem facit *Curtius*, quàm eſt: ſic & tractus terrarum nimiùm interdum amplificat, ut cùm de Bactriana ita loquitur: † *Inflabat impios animos regio cui præerant, armis, virisque & ſpatio locorum nulli earum gentium ſecunda, tertiam partem Aſiæ tenet.* Quod nemo Geographorum ſomnianndo cogitavit, nemo, præter noſtrum, ſcripſit.

14. Sed

* *Pag. 99. Ed. Rhodom.* † *Lib. V. C. X, 3.*

14. Sed longè maximus error *Curtii* in eo ſitus eſt, quòd *Pontum Euxinum* ſubinde miſçet cum mari *Caſpio*, & *Caucaſum* cum *Parapaniſo* vel *Parapamiſo*; ex quo errore factum eſt, ut ſitum vicinorum omnium locorum confuderit. Scio eum à Græcis nonnullis Scriptoribus, qui haud aliter, errarant, deceptum fuiſſe; ſed niſi imperitus Geographiæ fuiſſet, numquam ſibi tam turpiter imponi paſſus eſſet. Certè *Eratoſthenes* Cyrenæus hunc eorum, qui res geſtas Alexandri ſcripſerant, errorem dudum rectè animadverterat; cui mirum eſt *Arrianum*, judicii ceteroqui ſubacti Hiſtoricum, cùm res eſſet manifeſta, veritum eſſe adſentiri. Dicebat *Eratoſthenes*, Macedonas, ut æquarent Alexandrum Baccho & Herculi, finxiſſe eum loca victoriis emenſum eſſe, quæ illi adierant; * τὸν ὄρος Καύκασον τὸ ὄρος ἐκ τῦ Πόντυ εἰς τὰ πρὸς ἕω μέρη τ γῆς ἀγὰ τὴν Παραπαμισάδων χώραν, ὡς ἐπὶ Ἰνδυς, μετάγειν τῷ λόγῳ τὺς Μακεδόνας, Παραπάμισον ὄντα τὸ ὄρ- αὐτὺς καλῦντας Καύκασον, τῆς Ἀλεξάνδρυ ἕνεκα δόξης, ὡς ὑπὲρ τ Καύκασον ἄρα ἐλθόντα Ἀλέξανδρον: *Caucaſum verò montem ex Ponto ad orientales terræ partes & Parapamiſadarum regionem, ad Indos, nimirum, Macedonas ſuis ſermonibus transferre, & Parapamiſum montem Caucaſum vocare, in Alexandri gloriam, ut poto qui Caucaſum ſuperarit.* Similia animadvertit *Strabo*, Geographiæ Lib. XI. p. 348. Ed. Genevenſis Caſaubonianæ.

15. Ex hoc uno errore multi, ut dixi, pro-

* *Apud* Arrianum *Lib. V.* p. 102. *Ed.* Hen. Stephani.

fluxerunt, quasi ex illo fonte scaturientes, qui passim, apud *Curtium*, adtendentibus occurrent. Aliquot tantùm exempla proferemus, ex quibus facilè de ceteris judicium feretur. Ideò Darius, in alteris ad Alexandrum * litteris, rhetorico fumo, non regiâ gravitate, refertis, inducitur dicens *transeundum esse Alexandro Euphratem, Tigrim & Araxem*, quasi *Araxes* esset remotior ad orientem, quàm Tigris; cùm sit Armeniæ fluvius, in mare Caspium ab occasu influens, ad meridiem Caucasi. Si Persidis fluvius intelligeretur, nimis tenuis esset, quàm ut cum *Tigride* & *Euphrate* conjungeretur. Paullò pòst, idem Darius, ex Persarum Rege in declamatorem Asiam ignorantem subitò mutatus, quærit ab Alexandro, quando aditurus sit *Sogdianos & Arachosios, nomine tantùm notos, ceterásque gentes ad Caucasum & Tanaim pertinentes*; cùm Darius non multò minùs abesset à Caucaso & Tanaï, quàm Alexander. Sed quia notum erat Tanaïm esse ultra Caucasum ad Septemtriones, translato hoc monte ad Bactrianæ fines, fuit etiam invitâ naturâ, derivandus illuc Tanaïs. Indidem † *Cercetæ*, *Mossyni & Chalybes*, populi ad ortum Ponti Euxini, meridiémque Caucasi siti, à *læva sunt* Hyrcanis; *ab altera parte Leucosyri*, hoc est, Cappadoces. Hinc inter probabiles opiniones refertur eorum sententia, qui in Caspium mare ‡ *Mæotin paludem cadere putant.* Vicissim fluvios

* *Lib. VI. c. IV, 4.* † *Lib. VI, c. IV, 17.*
‡ *Ibid.* 18.

fluvios & tractus Asiæ minoris, ad meridiem Ponti Euxini sitos, transfert in superiorem Asiam, meridianásque Caspio mari plagas. * *Hyrcaniæ*, inquit, *finitima gens Amazonum, circa Thermodoonta amnem, Themiscyræ incolentium campos.* Quem fluvium, quámque urbem Cappadociæ esse nemo nescit. Tum quasi hæc regio & Colchis eadem esset, subdit: *Reginam habebant Thalestrim omnibus inter Caucasum montem & Phasim amnem imperitantem*; quo tamen in loco, verum Caucaso situm servat. Alibi, simili errore, dicit † Arachosiorum *regionem ad Ponticum mare pertinere.*

16 Non multò pòst, postquàm descripsit Parapamisadarum gentem, haud multò aliter ac Laponiam hodie describunt, ut jam antea diximus, ait ‡ inde agmen processisse ad *Caucasum*; *cujus dorsum*, inquit, *Asiam perpetuo jugo dividit. Hinc simul mare, quod Ciliciam subit, illinc Caspium fretum, & amnem Araxem aliáque regionis Scythicæ deserta spectat.* Manifestò miscet *Caucasum* cum monte *Tauro*, ut inspectæ quævis tabulæ docebunt; sed *Araxis* fluvii hîc suo loco meminit, cùm alibi de eo loquatur, quasi ultra Tigrim esset. Postea tamen distinguit: *Taurus*, inquit, *secundæ magnitudinis mons committitur Caucaso, à Cappadocia se adtollens Ciliciam præterit, Armeniæque montibus jungitur.* In sequentibus miro errore, *Caspium* mare ab *Hyrcano*

* *Cap. V, 24.* † *Lib. VII. C. III, 4.* ‡ *Ibidem. 19.*

distinguit. * *Asiæ*, inquit, *omnia ferè flumina*, *alia in Rubrum*, *alia in Caspium mare*, *alia in Hyrcanum & Ponticum decidunt.* Mox † à Pontico mari, quasi Bactrianæ vicino, ventos in eam regionem spirare ait, & quidquid sabuli in campis jacet converrere.

17. Superato *Oxo*, quem ab ortu in Caspium mare incidere notum est, Alexander procedit ad *Tanaim* amnem, quasi nullus esset propior fluvius. Néve dubitare possimus propriè dictum Tanaïm intelligi, narrat noster ab Alexandro missum Penidam quemdam ex amicis, ad eos Scythas qui Europam incolunt, denunciaturum ne Tanaïm amnem regionis, injussu regis, transirent. ‡ Ex tota narratione liquet *Curtium* existimasse Tanaï Bactrianam à Scythia separari; adeóque ingens illud spatium, quod à palude Mæotide ad Iaxartum fluvium, Caspio mari influentem ab ortu, porrigitur, pro nullo habuisse; quo errore, major admitti non poterat; nec plures quæremus. Excusare fortè quis tentet *Curtium*, exemplo Græcorum, quos sequutus erat; quod elevat quidem culpam, sed non tollit; nam non est Historici exscribere quæcumque ab aliis ante se scripta sunt, sine examine. *Arrianus* saltem sub finem Lib. III. significat postquàm nomen Tanaïs adhibuisset, alium esse Tanaïm ab eo, qui aquas in Mæotin paludem evolvit. Præterea ex adlatis,

* *Ibidem.* 21. † *Cap. IV*, 27. *ubi iter facientibus per Bactrianam aptat quæ de Libya dicuntur.*

‡ *Capp. V, VI, VII, & VIII.*

tis, manifestò liquet *Curtio* nullam planè fuisse cognitionem situs horum locorum, atque ab illo vera falsis perpetuò ferè mista fuisse. Fuerunt etiam qui emendationibus, aut potiùs violentis depravationibus, tentarint *Curtium* cum veriore Geographia in concordiam redigere; quasi quispiam de ejus, hac in parte, imperitia dubitare possit, aut liceat tot loca, invitis omnibus Manuscriptis, emendare! Certè si hoc liceret, passim legeremus apud Veteres, Criticorum operâ, non quæ illi scripserant, sed quæ scribere debuerant, aut quæ debuisse viderentur hodiernis Criticis.

CAPUT III.

A Q. Curtio malè eligi, quæ sequatur, & fabulas subinde describi.

I. CONQUERITUR alicubi *Arrianus*, οὐδὲ τὰς πάνυ πιστὰς εἰς ἀφήγησιν καὶ ξυγγιγνομένους ἐν τῷ τότε Ἀλεξάνδρῳ, ὑπὲρ τῶν γνωρίμων τι χὴ ἐ λεληθότων σφᾶς ὅπως διεπράχθη, ξύμφωνα ἀναγράψαι: *ne fide quidem dignissimos, ad narrationem quod attinet, & qui tunc Alexandri comites fuerunt, de rebus notis, neque ipsis, quomodo sint gestæ, latentibus convenientia scripsisse.* Quod, ex *Aristobuli* & *Ptolemæi* historiis prolato exemplo, probat. Nec quisquam est, qui tempus aliquod in legendis Histo-

riis posuerit, cui plura similia non occurrerint.

2. Sunt autem duo genera hominum, qui ex antiquis monumentis Historias contexere, seu, ut loquitur initio Historiæ *Herodianus*, πάλαι γεγονότων μνήμην ἀνανεώσασθαι, *olim gestorum memoriam renovare* adgrediuntur. Alii, quantùm licet, veritatem expiscari conantur, & diligenter omnia expendunt; ut verisimillimam sequantur narrationem, cùm non licet res exploratas proferre. Alii verò de veritate non multùm laborantes ea eligunt, quæ maximè mirabilia videntur; quia faciliùs exornari possunt, & grandiori orationi materiam suppeditant. Hi, ut egregiè idem Historicus, παιδείας κλέος αἴδιον μισθούμενοι, ὅπως μὴ σιωπήσαντες λάθοιεν εἰς τὸ πολὺν ὅμιλον ἀριθμούμενοι, τῆ μὲν ἀληθείας ἐν ταῖς ἀφηγήσεσιν ὀλιγωρήσαι, ἐχ ἧκιστα ᾗ ἐπιμελήθησαν φράσεώς τε καὶ εὐφωνίας. θαῤῥοῦντες ὡς εἴ τι καὶ μυθώδες λέγοιεν, τὸ μὲν πιθανὸν τῆ ἀκροάσεως αὐτοὶ χαριοῦνται, τὸ δὲ ἀκριβὲς τῆ ἐξετάσεως ἐκ ἐλεγχθήσεται: hoc est, interprete *Ang. Politiano*: *dum famam eruditionis adfectant, nomenque suum conantur ab injuria oblivionis adserere, minùs sanè multam in veri perquisitione; quàm in exornanda componendaque oratione, industriam posuerunt; rati, scilicet, neque si quid, in rebus à suo sæculo remotissimis, falsi proderetur posse refelli, & se tamen suavitate narrationis, amplissimum laboris, ingeniique sui fructum percepturos.*

3 In posteriorum numero fuisse *Q. Curtium* res ipsa ostendit, etiam me tacente.

Pau-

Pauca dumtaxat exempla proferam, ceteris diligentiæ Lectoris, qui rem penitiùs cognoscere avebit, relictis. In pleriſque prælis, in quibus victores fuere Macedones, numerum hoſtium occiſorum planè incredibilem profert, præſertim ſi cum paucitate Macedonum, quos in iis cecidiſſe narrat, comparetur. In prælio ad Iſſum commiſſo, * *cæſa ſunt Perſarum peditum centum millia, decem verò millia interfecta equitum.* Incredibilis per ſe eſt ille numerus, nam quamvis Perſæ nequaquam eſſent, fortitudine aut ſcientiâ militari, æquiparandi cum Macedonibus, attamen non erant planè pecudes. Incredibilior erit, ſi, ut dicit *Curtius*, *ex parte Alexandri quatuor & quingenti* dumtaxat *ſaucii fuere*, *triginta omnino & duo ex peditibus deſiderati*, *equitum centum quinquaginta interfecti.* Ut hoc eſſet, oportuiſſet gladios Perſarum fuiſſe ligneos, nec ulla tela cuſpidibus ferreis præfixa; aut Macedonas Vulcaniis armis fuiſſe tectos, ad quæ accidentia aut impacta mortalium fabrorum opera illico frangerentur; Macedonum verò gladios & tela non modò duriſſimo chalybe fabrefacta, ſed numquam fruſtra mota, aut conjecta. Nam ipſe *Curtius* docet circa Darium memorabilem editam fuiſſe pugnam, ſtrenuéque certaſſe cùm Oxathrem Darii fratrem, tum Satrapas plures; atque in dextro cornu, primùm Perſas equites ſuperiores fuiſſe. Erant præterea triginta millia

* *Lib. III. c. XI, 27.*

Græcorum, *qui haud ſanè fugientibus ſimiles evaſerunt.* Quis credat Perſis & Græcis non fictè, certè per breve tempus, pugnantibus, occiſos dumtaxat ducentos Macedonas? Fateor ab aliis Hiſtoricis non multò minorem numerum Perſarum cæſorum, nec majorem mortuorum Macedonum proditum eſſe; ſed erat adcuratioris Hiſtorici non facilè iis credere, aut ſi nihil veriſimilius occurreret, obiter ſignificare ſibi videri non ex vero numerum illum cæſorum ſcriptum eſſe. Certè * *Arrianus* ait quidem Perſarum cæſas fuiſſe decem myriadas, inter quas myriada equitum recenſet; ſed eorum qui perierunt è Macedonibus numerum non init, ſine dubio quia eum pudebat ſtultitiæ eorum, qui ducentos aut trecentos dumtaxat Macedonas cecidiſſe ſcripſerant.

4. In altero prælio, quo Alexander Darium prorſus debellavit, & in quo acriùs multò pugnaſſe dicuntur Perſæ, † *cecidere*, ut ait *Curtius*, *Perſarum, quorum numerum definire potuerunt victores, millia* XL. *Macedonum minùs quàm trecenti deſiderati.* Hæc quoque ſunt incredibilia, quamvis non uſque adeò à veriſimilitudine abeant ac priora. At dignus eſt & ipſe ‡ *Arrianus*, qui irrideatur, cùm, nullâ additâ ſignificatione judicii ſui, dicat narrari triginta myriadas Perſarum interiiſſe, Macedonum verò ſummùm centum. Sed rariùs ita peccat, neque ex hoc peccato,

* *Sub finem. Lib. II.* † *Lib. IV. C. XVI. 26.*
‡ *Lib. III. p. 63.*

to, de reliqua ejus hiſtoria, judicium ferri debet.

5. Verùm *Curtius* non modò in præliis Perſarum & Macedonum contra Lacedæmonios, quæ narratur initio Lib. VI. Quamvis pars deſcriptionis ejus prælii interciderit, adparet tamen ex iis quæ ſuperſunt, Lacedæmonios diu victoriam dubiam feciſſe Macedonibus, ac proinde inultos nequaquam cecidiſſe. Quinimò Laconum virtutem ut pingeret *Curtius*, rhetoricos omnes colores abſumſit; attamen poſt tam pertinax prælium, *cecidere*, inquit, *Lacedæmoniorum* V. *millia* & CCCLX, *ex Macedonibus haud ampliùs* CCC. Nemo hæc tulerit, qui ſciverit quâ audaciâ, & pertinaciâ pugnare ſolerent Lacedæmonii; hoc eſt, qui non fuerit in Græcorum Hiſtoriis planè tiro. *Diodorus* certè Siculus, cùm de numero Lacedæmoniorum & ſociorum cæſorum conſentiat propemodum cum Scriptoribus, quos ſequutus eſt *Curtius*, nam ſexaginta dumtaxat viros numero adlato detrahit, ait cecidiſſe * τ μεῖ' Ἀντιπάτρε τριςχιλίες καὶ πιλακοσίες, *ter mille quingentos*. Crederem emendandum hinc *Curtium*, niſi ex multis aliis locis conſtaret hominem παραδόξα ſtudiosè eſſe ſectatum, quæ certè loca emendari omnia nequeunt.

6. Visne ſcire, quâ lege hoc ſibi licere exiſtimarit *Curtius*? Audi *Ciceronem* ingenium & conſuetudinem Rhetorum, qui Hiſtorias ſcriptita-

* *Lib. XVII. p.* 357.

titabant, pulcherrimè describentem : * *Concessum est*, inquit, *Rhetoribus mentiri in Historiis, ut aliquid dicere possint argutius ; § ut enim tu nunc de Coriolano, sic Clitarchus, sic Stratocles de Themistocle finxit. Nam quem Thucydides, qui Athenienſis erat & summo loco natus, summúsque vir & paullò ætate posterior, tantùm mortuum scripsit, & in Attica clam humatum ; addidit fuisse suspicionem veneno sibi consciviſſe mortem ; hunc isti ajunt, cùm taurum immolaviſſet, excepisse sanguinem paterâ, & eo poto mortuum concidisse. Hunc enim mortem Rhetoricè & Tragicè ornare potuerunt ; illa mors vulgaris nullam materiem præbebat ad ornatum.*

7. Non alia de causa, *Curtius* fabulas, quas in antiquioribus Scriptoribus inveniebat, & quas Veri amans Historicus aut prætermiſiſſet, aut commemoratas arguiſſet mendacii, avidè adripuit, & pro veris magnificâ oratione descripsit. Ejusmodi est fabula, quâ Thalestris Amazonum Regina dicitur ad Alexandrum iviſſe, prolis suscipiendæ causâ, quam fabulam seriò narrat *Curtius* ‡ : *Erat*, inquit, *Hyrcaniæ finitima gens Amazonum, circa Thermodoonta amnem, Themiscyræ campos incolentium. Reginam habebant Thalestrim, omnibus inter Caucasum montem, & Phasin amnem imperitantem.* Peccata hîc sunt, ut antea ostendimus, immania in Geographiam, eóque absurdiora, quòd ipsum iter Alexandri, ut à *Cur-*

* *In Bruto, num.* 42, 43. § *Loquitur Atticus, respicitque ad id quod Cicero dixerat de morte Coriolani.* ‡ *Lib. VI. c.* 5.

Curtio narratur, eum in rectam viam revocare debuerat, adeóque docere inane esse quod de Amazonibus jactabatur; nam si Phasis & Caucasus ad ortum Hyrcaniæ fuissent, & interjectus tractus paruisset Thalestri; Alexandrum, in Bactrianos & Sogdianos euntem, necesse erat per ejus fines transire, & ab ea auxiliares copias exposcere, ut vicinis ejus bellum inferret; quod tamen factum non esse liquet, ex ipsius *Curtii* narratione, in qua nulla Amazonum postea mentio.

8. Pergit tamen *Curtius*, his verbis: *Hæc, cupidine visendi regis accensa, finibus regni sui excessit* (in Hyrcaniam itur, illic enim erat tunc Alexander) *& cùm haud procul abesset præmisit indicantes venisse Reginam, adeundi ejus cognoscendique avidam. Protinus factâ potestate veniendi, ceteris jussis subsistere,* CCC *feminis comitata processit.* Cetera non describam, legent ea qui volent in *Curtio*. Non ostendam etiam esse fabulam; qui enim illico rem non olfacit naso caret, nec dignus est quem ad rectiorem sententiam revocemus. Fabulæ hujus originem ostendit olim pater meus, *Quæstionum Academicarum* II. quam, si videntur, adito.

9. Fabulosa etiam sunt, quæ de perturbatione & metu Macedonum tumidè narrantur, * cùm primùm æstum Oceani vidissent; nam res erat Græcis jam dudum nota, ut ex *Herodoto* aliisque Scriptoribus, qui ante Alexandrum vixerunt, liquet. Præterea à Persis, qui

* *Lib. IX. c. 9.*

qui ad Oceanum uſque incolebant, erántque in exercitu Alexandri, poterant moneri Macedones. Huc etiam accedit quòd æſtus in mari Indico exiguus ſit, nec tantos tumultus creare poſſit. Facilè equidem crediderim reciprocum Oceani æſtum Macedonibus admirationi fuiſſe, ſed tantas turbas feciſſe, quantas deſcribit *Curtius*, quæ jam dixi me non patiuntur credere. At ſi rem ex vero narraſſet, inutilis fuiſſet omnis ille rhetoricus fucus, quo eam incruſtavit; & bella occaſio prætermiſſa oſtentandi, in deſcriptione inanis metûs, ingenii. Nemo etiam legiſſet piſces, mari deſtitutos, per ſiccum ſolum ambulantes. *Belluæ quoque*, inquit noſter, *fluctibus deſtitutæ terribiles vagabantur.*

10. Non verius eſt quod habet, ad calcem totius operis, de cadavere Alexandri: *Septimus*, inquit, *dies erat, ex quo corpus regis jacebat in ſolio* —— *Et non aliis, quàm Meſopotamiæ regione, fervidior æſtus exſiſtit, adeò ut pleraque animalia, quæ in nudo ſolo deprehendit, exſtinguat; tantus eſt vapor ſolis & cœli, quo cuncta velut igne torrentur.* —— *Ut tandem curare corpus exanimum amicis vacavit; nullâ tabe, ne minimo quidem livore, corruptum videre qui intraverant. Vigor quoque, qui conſtat ex ſpiritu, non deſtituerat vultum.* Mendacia hæc ſunt adulatorum Alexandri etiam mortui, aut declamatorum figmenta; ut omnia in Alexandro inuſitata viderentur, útque mors ejus Tragicè ac Rhetoricè ornari poſſet. Liquet hoc ex collatione aliorum Hiſtoricorum, quam ſuppeditabit

Joan.

Joan. Freinſhemius. Addendum his ſilentium *Arriani*, qui in hiſce adcuratiſſimus eſt.

11. At hoc *Curtius*, inquies, habuit ex aliis, quos etiam laudat *Plutarchus*. Non diffiteor, neque hoc etiam reprehendo, quòd ſcripſerit id quod ab aliis proditum reperiebat; verùm hîc additum oportuit quod alia de re dicit *Arrianus*: * ταῦτα ἐμοὶ, ὡς μὴ ἀγνοεῖν δόξαιμι μᾶλλον ὅτι λεγόμενά ἐστιν, ἢ ὡς πιστὰ ἐς ἀφήγησιν, ἀναγεγράφθω: *Quæ quidem à me, potiùs ne videar ignorare dicta eſſe, quàm ut fide & narratu digna, ſcripta ſunto.* Non diſſimulandum tamen *Curtium* alicubi ſignificaſſe ſe non omnia credidiſſe, quæ ſcriberet; verùm frequentiùs hoc dictum oportuit, quemadmodum ab *Arriano* prudenter factum eſt; iſsque potiſſimùm locis, quæ adtulimus, ſubjici debebat monitum illud, quod alibi legitur: § *PLURA transſcribo quàm credo; nam nec adfirmare ſuſtineo de quibus dubito, nec ſubducere quæ accepi.* Quod ſi factum eſſet à noſtro, ejus diligentiam laudaremus, nec fidem ac judicium requireremus.

* *Lib. VII. ſub finem.* § *Lib. IV. c. 1, 34.*

CAPUT IV.

A Q. Curtio nonnulla malè descripta esse, alia repugnantia prodita.

1. IN descriptione falcatorum curruum, quibus utebantur Persæ, hæc habentur: *Ex summo temone hastæ præfixæ ferro eminebant; utrimque à jugo ternos direxerant gladios*; quæ facilè possunt intelligi, sed sequuntur verba difficillima, nisi à proprietate vocum multùm recedamus, intelligamúsque non tam quod dixit, quàm quod dicere voluit Curtius: *& inter radios rotarum plura spicula eminebant in adversum; aliæ deinde falces summis rotarum orbibus hærebant, & aliæ in terram demissæ, quidquid obvium, concitatis equis, fuissent amputaturæ.*

2. *Inter radios*, si propriè loquamur, nihil potest *eminere*, quod motum currûs non sufflaminet. Præterea quid sibi vult, *in adversum*? An poterant eminere *spicula*, nec tamen in *adversum* esse directa? Deinde quid sunt *summi rotarum orbes*? Estne summa pars *apsidis*, vel *canthi*? Sic videtur. Sed in rotæ cantho, neque summa pars est, neque infima, dum rota movetur; quia vicibus, omnes canthi partes sunt summæ & infimæ. Sic tamen intellexit rem *Curtius*, ut sequentia ostendunt: *& aliæ in terram demissæ.* Sed quomodo ex cantho rotæ potuerunt *demitti* fal-

falces *in terram*, quæ ejus motum non impedirent? Igitur verè judicavit * *Joan. Scheffer.* hanc descriptionem esse impeditissimam; qui rectè etiam neque *Goaesc. Stevechium*, neque *Matth Raderum* potuisse pingere currus, ex descriptione *Curtii*, ostendit.

3. Sed omnino videtur descriptionem currûs falcati ,,ad posteriorem partem quod attinet, non satis intellexisse *Curtius*, undecumque eam sumserit. Oportuit dicere non *inter radios eminuisse spicula*, sed ex cantho, seu apside rotæ; deinde ex summo axe geminas emissas falces, unam directam juxta longitudinem axis, aliam ex axe transversim ad terram demissam. Falces & spicula è rotis vel axe eminentia, & falx deorsum ex axe demissa, non modò erant ad secanda, lacerandáque obvia quæcumque starent; sed etiam ad eos, qui in tumultu, curruum impressione creato, hinc atque inde non procul cecidisse poterant, etiam jacentes abscindendos.

4. Ut constet hanc fuisse falcatorum curruum formam, aut similem, duorum Scriptorum, Latini alterius, alterius Græci verbis eos describemus. Sic ergo de iis loquitur *Livius*, Lib. XXXVII. c. 41. *Falcatæ quadrigæ ——— armatæ in hunc maximè modum erant. Cuspides circa temonem, ab jugo; decem cubita exstantes velut cornua habebant; quibus quidquid obvium daretur transfigerent;* &

* *De re Vehiculari Lib. II. c. 15.*

& in extremis jugis binæ circa eminebant falces, altera æquata jugo, altera inferior in terram devexa; illa ut quidquid ab latere objiceretur abscinderet, hæc ut prolapsos, subeuntésque contingeret. Pro hisce quatuor falcibus, *Curtius* habet *ternos gladios*, minùs quàm falces timendos. Cetera ita describit; *Item ab axibus rotarum utrimque binæ, eodem modo diversæ, deligabantur falces.* Hoc voluit *Curtius*, his verbis: *aliæ deinde falces in summis*, &c. sed quæ absurda sunt, nisi ex *Livio* intelligantur. *Diodorus* verò Siculus, de his ipsis curribus falcatis, ita loquitur * Lib. XVII. Τούτων ἑκάστῳ (ἅρματι δρεπανηφόρῳ) παρ' ἑκάτερον τὸ σιδηροφόρων ἵππων ἐξέχειτο προσηλωμένα τῷ ζυγῷ ξύσρα παραμήκη τριπήχεα, τὴν ἐπισροφὴν δ' ἀκμὴς πρὸς τὴν κατὰ πρόσωπον ἐπιφάνειαν: *ex singulis enim, juxta equum utrumque funalem, spicula jugo adfixa, trium spithamarum longitudine, prominebant, acie in adversam (hostium) faciem conversâ.* Hæc respondent priori parti descriptionis Curtianæ, sequentia verò posteriori; πρὸς δὲ ταῖς καταχλισίσι τῶν ἁξόνων ἐπ' εὐθείας, ἄλλα δύο, τὴν μὲν τομὴν ὁμοίαν εἶχοντο πρὸς τὴν κατὰ πρόσωπον ἐπιφάνειαν τοῖς πρόσθεν, τὸ δὲ μῆκος μείζω καὶ πλατύτερα συνήρμοσο δὲ ταῖς τούτων ἀρχαῖς δρέπανα: *in inflexionibus verò axium* (hoc est, sub ipso curru, quo loco axes currum sustinent) *alia duo spicula hærebant in rectum, quæ eodem modo*

* Pag. 530.

do habebant aciem faciei hoſtium obverſam ac priora, ſed longiora & latiora erant. Aptatæ etiam erant horum initiis falces, hoc eſt, ſummis axibus. Crediderim hæc, aut ſimilia, à *Curtio* non ſatis intellecta, præbuiſſe ei deſcriptionis abſurdæ occaſionem; qua de re, videndus etiam *Joan. Schefferus*, qui tamen fruſtra nititur emendare *Curtium*, mutato *orbibus* in *apſibus*. Mihi mirum non eſt hominem declamitandi dumtaxat arte inſtructum, peccaſſe in ejuſmodi deſcriptione; nec, reclamantibus Codicibus, peritiorem rei militaris facere voluerim. *Lucianus* ſimiliter irridet Corinthium neſcio quem Hiſtoricum, ὅτι μηδὲ κατὰ τοίχου γεγραμμένον πέλεμον ἑωράκει, ἀλλ' οὐδὲ ὅπλα ἐκεῖνός γε ἤδει, οὐδὲ μηχανήματα οἷα ἐστίν: *quòd ne in pariete quidem pictum bellum viderat, neque arma norat, neque machinæ quales ſint.* Ideóque vult hiſtoricum ſuum hæc omnia vidiſſe.

5. Ignoſcendum Rhetori, ſi minùs rectè deſcripſerit falcatas quadrigas, quales numquam viderat; verùm vix venia dignus eſt, cùm in aliis rebus, per ſe perſpicuis, ceſpitat, ſecúmque non conſentit. Sic deſcribit locum, in quo alterum prælium cum Dario commiſit Alexander *: *Opportuna explicandis copiis regio erat, equitabilis & vaſta planities; ne ſtirpes quidem & virgulta operiunt ſolum, libérque proſpectus oculorum, etiam quà procul receſſere, permittitur.* His præ-

* *Lib. IV. C. IX.* 10.

missis, quis crederet subjuncturum *Curtium*: *Itaque si quà campi eminebant, jussit æquari, totúmque fastigium extendi?* Hæc planè contraria sunt superioribus; quæ ut consentirent cum sequentibus, dicendum erat: *ubique propemodum equitabilis & vasta plānities*; deinde subjiciendum: *quà verò campi eminebant*, &c. Verùm postea meminit etiam *editi collis*, & *montium*. * *In edito colle*, Mazæus cum delectis equitum consederat, sed paullò pòst ad Darium rediit. *Macedones verò eum ipsum collem, quem deseruerat, occupaverunt; nam & tutior planitie erat, & inde acies hostium, quæ in campo explicabatur, conspici poterat. Sed caligo, quam circa humidi effuderant montes, agminum discrimina atque ordinem prohibuit prospici.* Hæc contraria sunt, nam collis & montes impediunt prospectum. Attamen similia pænè habet etiam *Arrianus* Lib. III. ubi campos, in quibus pugnatum est, describit.

6. Cùm ad Hypasin fluvium perveniisset Alexander, † *dubitabat*, an *Macedones tot emensi spatia terrarum, in acie & in castris senes facti*, sequuturi essent; quæ si intelligantur de bellis ab Alexandro gestis, absurda sunt, cùm à paucis annis regnaret, & à paucioribus bellum Dario intulisset. Nec ignorabat hoc *Curtius*, qui infrà Alexandrum ita loquentem inducit: ‡ *Victor utriusque regionis, post nonum regni mei, post vigesimum atque octavum ætatis annum, videórne vobis in excolenda gloria, cui me uni devovi, posse cessare?* At consenuerant,

* *Cap. XII, 19. & seqq.* † *Lib. IX. C. II, 10.* ‡ *C. VI. 21.*

rant, inquies, in bellis à Philippo geſtis, quæ ſunt conjungenda cum expeditione hac Alexandri. Verum hoc fruſtra commemoratur, quia Alexandro imputare non poterant ſtipendia, quæ ſub Philippo meruerant.

7. Attamen, ne quid diſſimulem, quod ad defenſionem *Curtii* faciat, vox *ſenex* interdum hominem non provectæ admodum ætatis ſignificat, ut colligere eſt ex verbis *Livii*, ubi ita veteranum Imperatorem Annibalem loquentem inducit *: *Quod ad me adtinet, jam ætas ſenem in patriam revertentem, unde puer profectus ſum, jam ſecundæ, jam adverſæ res, ita erudierunt, ut rationem ſequi, quàm fortunam malim.* Verùm poſtea idem Annibal, apud Carthaginienſes, † *novem*, inquit, *annorum à vobis profectus, poſt trigeſimum ſextum annum redii.* Erat ergo annorum quadraginta quinque, quæ vix dicatur *ſenilis* ætas, ſi eâ voce id ſignificemus quod vulgò γέρας vocant Græci; at oppoſita pueritiæ, aut adoleſcentiæ, eo nomine adpellari queat. Sic & in exercitu Alexandri, milites, qui ab octo annis ſigna ejus ſequebantur, poterunt dici *ſenes facti*; ſi adtigerant eamdem ætatem, quâ Annibal ſenem ſe vocabat; imò veriùs ſenes dici poterant, ſi quinquageſimo anno nomen militiæ dediſſent.

8. Cœnus in oratione, quam pro toto exercitu habet, ita loquitur: *Jam tela hebetia ſunt, jam arma deficiunt* —— ‡ *quoto cuique lorica eſt? quis equum habet?* Quæ non ſunt hyperbolæ,

* *Lib. XXX. c. 30.* † *Cap. XXXVII.*

‡ *Lib. IX. C. III.* 10, 12.

ſed mendacia Hiſtoriæ contraria; quæ docet non ſemel pugnaſſe poſtea Alexandri exercitum, quod fieri non potuit ſine armis. Præterea ſi adlata ex Macedonia deerant, potuerant alia in Aſia fabricari & comparari, nec dux non improvidus inermes milites eſſe paſſus eſſet. Itaque *Curtius* hæc verba Cœno tribuere non potuit, niſi ſecum ipſe pugnaret, quam in rem tumido ſtylo videtur abreptus fuiſſe.

CAPUT V.

A Q. Curtio inutilia interdum narrari, neceſſaria verò omitti.

1. CUM infinitæ fuerint circumſtantiæ, innumerique eventus, in rebus ab Alexandro geſtis, omnia hæc narrari nequeunt; non modò quia pleraque Hiſtoricis latent, ſed etiam quia delectus eſt habendus, circumciſísque inutilibus, neceſſaria dumtaxat ſeriei Hiſtoriæ ſunt narranda. In jejuno argumento, & quod niſi accerſitis ornamentis adaugeretur, nudum nimis & exile videretur, poſſint fortean ferri deſcriptiones rerum vulgarium; ſed in copioſa materia, prorſus ſunt intolerandæ. Sic ſe geſſerant Hiſtorici, de quibus *Lucianus* in ſæpiùs memorato libello: *εἰσὶ γάρ τινες οἱ τὰ μεγάλα μὲν τῶν πεπραγμένων, καὶ ἀξιομνημόνευτα παραλείπουσιν ἢ παραθέουσιν. ὑπὸ δ' ἰδιω-*

ἰδιωτείας, καὶ ἀπειροκαλίας, καὶ ἀγνοίας τῶν λεκτέων, ἢ σιωπητέων, τὰ μικρότατα πάνυ λιπαρῶς καὶ φιλοπόνως ἐρμηνεύσειν ἐμβραδύνοντες: *Sunt enim qui rerum geſtarum maximas & memoratu digniſſimas omittunt, aut prætercurrunt. Præ imperitia autem & ineptia, & ignorantia dicendorum, vel tacendorum, res minimas, valde prolixè & ſtudioſè immorando, perſequuntur.* Ejuſmodi ſunt deſcriptiones, quibus, ſi alius quiſquam, abundat *Q. Curtius*, quod paucis nobis demonſtrandum eſt.

2. Quid eſt frequentius & notius fluviis? Attamen crebræ ſunt eorum deſcriptiones, non ut ſingulares eorum naturas edoceatur Lector, aut quòd memorabile quidpiam ad eorum ripas ſit geſtum, quo fiat ut fluvii ſint paucis Hiſtorico deſcribendi; ſed ut Scriptoris ingenium, in ejuſmodi deſcriptionibus, admiremur. Sic pingit Marſyam Phrygiæ amnem: *Mediam, illâ tempeſtate, interfluebat Marſyas amnis; fabuloſis Græcorum carminibus inclutus. Fons ejus ex ſummo montis cacumine excurrens in ſubjectam petram, magno ſtrepitu aquarum, cadit. Inde diffuſus circumjectos rigat campos, liquidus & ſuas dumtaxat undas trahens. Itaque color ejus, placido mari ſimilis, locum Poëtarum mendacio fecit; quippe traditum eſt Nymphas, amore amnis retentas, in illa rupe conſidere. Ceterùm quamdiu intra muros fluit, nomen ſuum retinet, at cùm extra munimenta ſe evolvit, majore vi ac mole agentem undas Lycum adpellant.* Si quam difficultatem creaſſet ille fluvius Alexandro, aut ſin-

gulare quidpiam ad eum contigiſſet, ferri poſſet illa deſcriptio, quamquam operoſior. Sed ut intelligas quàm inutilis ſit, eam legendo omitte; & videbis, eâ prætermiſſâ, narrationi nihil deeſſe. Non ægrè fero deſcribi à *Curtio** Cydnum amnem, qui mediam Tarſon interfluebat; quòd in eo Alexander ſe abluere voluerit, & cùm in eum caliduin adhuc corpus conjeciſſet, in graviſſimum morbum inciderit. Non invitus, inquam, lego *Cydnum non ſpatio aquarum, ſed liquore memorabilem; quippe leni tractu è fontibus labentem puro ſolo excipi; nec torrentes incurrere, qui placidè manantis alveum turbent. Itaque incorruptum, eumdémque frigidiſſimum, quippe multâ riparum amœnitate inumbratum, ubique fontibus ſuis ſimilem in mare evadere.* Hæc enim Alexandrum invitare potuerunt, ut in eo ſe ſe ablueret, ideóque non ſunt prorſus inutilia.

3 At nihil intererat deſcribi Paſitigrin, ut ex tota ſerie Hiſtoriæ liquet. Sic tamen deſcribitur; datâ enim operâ, verba *Curtii* adfero, ut ex tædio legendi deſcriptiones fluviorum intelligat Lector, quàm pænè putidè ſe ſe eos deſcribendi arte venditet. † *Rex*, inquit, *quartis caſtris pervenit ad fluvium; Paſitigrin incolæ vocant; oritur in montibus Uxiorum, & per quinquaginta ſtadia, ſilveſtribus ripis præceps inter ſaxa devolvitur. Accipiunt deinde eum campi quos clementiore alveo præterit, jam navium patiens. Sexcenta ſtadia ſunt*

* *Lib. III. C. IV*, 8. † *Lib. V. C. III*, 1.

ſunt mollioris ſoli, per quod leni tractu aquarum Perſico mari ſe inſinuat. Quid verò contigit Alexandro, ad hunc fluvium? Nihil, niſi quòd illum trajecit.

4. Inferiùs, * non majore neceſſitate adactus, deſcribit† iterum † Perſidis fluvios, quos *Araxem* & *Medum* vocat. *Araxes amnis*, inquit, *per hos campos multorum aquas torrentium evolvit in Medum. Medus à mari & ad meridiem verſus, minor amnis eo quem accepit evehitur; gignendæque herbæ non alius eſt aptior, quidquid adluit floribus veſtiens. Platani quoque & populi contegunt ripas, ita ut procul viſentibus continuata videantur montibus nemora riparum; quippe obumbratus amnis preſſo in ſolum delabitur alveo, imminéntque colles ipſi quoque frondibus læti, radices eorum humore ſubeunte.* Non quæram quid ſibi velit, *à mari verſus*, ubi ſermo eſt de fluvio, mendoſum enim quidpiam hîc eſſe poſſet, & viri docti ſuſpicantur. Luxuriantem tantùm Rhetoris ſtylum, & fluviorum inutilibus deſcriptionibus nimis gaudentis, Lectori expendendum offero.

5. Fortaſſe condonandum magis eſt quod de Zioberi Hyrcaniæ flumine narrat, quia ſingulare quidquam eſt in ejus decurſu, quod Alexander experientiâ cognoſcere voluit. Verùm hoc ſolum dicendum erat, non alia, quæ ad rem nihil faciebant. Sic verò loquitur ‡:

* *Lib. V. C. IV. 7.* † *Cavendum ne Armeniæ fluvios dici putemus, manifeſtò enim* Curtius *egit de Perſide. Vide Strabonem Lib. XV. p. 729. Ed. Par.* ‡ *Lib. VI. C. IV, 4.*

Nemus prœaltis denſísque arboribus umbroſum eſt, pingue vallis ſolum rigantibus aquis, quæ ex petris imminentibus manant. Ex ipſis radicibus montium Zioberis amnis effunditur, qui tria ferè ſtadia in longitudinem univerſus fluit; deinde ſaxo, quod alveolum interpellat, repercuſſus, duo itinera veluti diſpenſatis aquis aperit. Inde torrens & ſaxorum, per quæ incurrit, aſperitate violentior, terram præceps ſubit. Per CCC *ſtadia conditus labitur, rurſúsque velut ex alio fonte conceptus editur, & novum alveum intendit; priore ſui parte ſpatioſior, quippe in latitudinem* XIII. *ſtadiorum diffunditur, rurſúsque anguſtioribus coërcitus ripis, iter cogit. Tandem in alterum amnem cadit, cui Rhidago nomen eſt. Incolæ adfirmabant quæcumque demiſſa eſſent in cavernam, quæ propior eſt fonti, rurſus ubi aliud os amnis aperit, exſiſtere. Itaque Alexander duos tauros, quà ſubeunt aquæ terram, præcipitari jubet; quorum corpora, ubi rurſus erumpit, expulſa videre qui miſſi erant, ut exciperent.* Propter hoc poſtremum, ſatis erat dicere hunc fluvium, poſtquàm terram ſubiit, iterum exſiſtere. Reliqua ſunt inutilia, & Rhetoris, non Hiſtorici.

6. Similiter deſcribitur Polytimetus, fluvius Sogdianæ *: *Ingens ſpatium rectæ regionis eſt, per quam amnis; Polytimetum vocant incolæ; ſertur torrens. Eum ripæ in tenuem alveum cogunt, deinde caverna accipit, & ſub terram rapit. Curſus abſconditi indicium eſt aquæ*

* *Lib. VII. c. X. 2.*

aquæ meantis ſonus; cùm ipſum ſolum, ſub quo tantus amnis fluit, ne modico quidem reſudet humore. Poſſem hiſce addere deſcriptionem fluviorum * Indiæ, ſed me jam tædet laboris, in exſcribendis inanibus hiſce Epiſodiis; & Lectorem plura legere pigeret.

7. Sed ne quid diſſimulem, non ſolus fuit *Curtius*, qui in talibus peccavit, ut liquet ex *Luciano*, qui ſic loquitur de Hiſtorico quodam Græco: Ἄλλος τις ἀκίδιμος ἐπὶ λόγων δυνάμει, Θουκυδίδῃ καὶ ὅτος ὅμοιος, ἢ ὀλίγῳ ἀμείνων αὐτοῦ, πάσας πόλεις καὶ πάντα ὄρη, καὶ πεδία καὶ ΠΟΤΑΜΟΥΣ ἑρμηνεύσας πρὸς τὸ σαφέστατον, καὶ ἰσχυρότατον, ὡς ἤθελε: *alius quiſpiam dicendi facultate celebris, ipſe etiam Thucydidi ſimilis, vel paulò melior, omnes urbes, omnes montes, & campos, & fluvios quàm planiſſimè & vivid:ſſimè, ut putabat, deſcripſit.* Ideò & poſtea, inter leges hiſtoricas, hanc tulit, ne quis ejuſmodi deſcriptionibus luxuriaret. Verba ejus proferemus poſtea, Cap. VIII.

8. Si conferatur *Curtius* paullò diligentiùs, cum aliis Scriptoribus rerum ab Alexandro geſtarum, & præſertim cum *Arriano*; multæ circumſtantiæ occurrent, à noſtro omiſſæ, quæ non parum faciunt ad Hiſtoriæ ſeriem, réſque quæ narrantur probè intelligendas. Multas memini me animadvertere, ex quibus unam, ſed ſingularem, in medium adferam. Cùm legerem prælii ad Iſſum deſcriptionem, apud *Curtium*, nondum inſpecto *Arriano*, planè

* *Lib. VIII. C. IX.*

mihi ex ignorantia Geographiæ errare videbatur, quemadmodum ſæpe alibi, quòd circumſtantiam neceſſariam omiſerit. Ait * *eadem nocte & Alexandrum, ad fauces quibus Syria aditur; & Darium, ad eum locum, quem Amanicas Pylas vocant, perveniſſe.* Veniebat Darius ab Euphrate, Alexander verò ab urbe Tarſo. † Itaque videbatur Alexandri quidem dextrum cornu ad mare Cilicium fuiſſe, lævum ad montes; contrà verò Darii dextrum cornu debuiſſe ad montes ſpectare, ſiniſtrum ad mare. Attamen Curtius ‡ *à mari dextrum Darii cornu tectum* ait, § lævum verò Alexandri *ad mare pertinuiſſe.* Hæc concoquere non poteram, nec certè ex narratione *Curtii* intelligi poſſunt. At conjectis oculis in *Arrianum*, tota res patuit. Narrat Alexandrum, cùm audiſſet in Syria ad Sochos eſſe Darium, *Mallo* ad *Pylas* iviſſe, earúmque anguſtias ſuperaſſe, & ad *Maryandrum* urbem caſtra poſuiſſe; Darium verò, qui neſciebat ab Alexandro Amanicas Pylas eſſe ſuperatas, eas tranſiſſe ut in Ciliciam iret, & Iſſon occupaſſe. Itaque ut prælium iniretur, oportebat Alexandrum quidem veluti è Syria in Ciliciam redire; contra verò Darium convertere agmen, ut Alexandro occurreret. * Ὑπερβαλὼν, ait *Arrianus*, τὸ ὄρος Δαρεῖος τὸ κατὰ τὰς πύλας τὰς Ἀμανικὰς καλουμένας, ὡς ἐπὶ Ἴσσον πέρᾳ·

* *Lib. III. C. VIII.* 13. † *Ut hæc probè intelligantur, oportet habere Aſiæ Minoris Tabulam præ oculis.* ‡ *Lib. III. C. VIII*, 27. § *Ibid. C. IX*, 8. * *Lib. II. p.* 34.

προῆγε, καὶ ἐγένετο κατόπιν Ἀλεξάνδρου λαθών: *Darius ſuperato monte, qui eſt juxta Amanicas portas, ut vocantur, ad Iſſum duxit, & imprudens erat à tergo Alexandro.* Alexander verò, re intellectâ, * προπέμπει ὡς ἐπὶ τὰς πύλας τῶν ἱππέων ὀλίγους τινὰς καὶ τῶν τοξοτῶν, προκατασκεψομένους τὴν ὁδὸν τὴν ὀπίσω, ὡς ἐπὶ τὰς πύλας. καὶ αὐτὸς δὲ νυκτὸς ἀναλαβὼν τὴν στρατιὰν πᾶσαν ἦει, ὡς κατασχεῖν αὖθις τὰς πύλας: *præmittit ad portas paucos equites & ſagittarios, qui viam retro relictam priùs ſpecularentur, portas verſùs. Ipſe verò nocte, ſumto toto exercitu, procedebat, ut iterum portas occuparet.* His occupatis, Alexander, inſtructo ad prælium exercitu, dextrum cornu ad montes habebat, ſiniſtrum verò ad mare.

9. Res eſt clara, ſed duo in hac narratione mira ſunt, quî Darius potuerit ignorare Macedonas ad Maryandrum urbem conſediſſe; (ſi exploratores rem ignorabant, at non ignorabatur ab incolis eorum locorum, qui videntur in Darii partibus adhuc fuiſſe, eo tempore) & quî Alexander Darii tantùm exercitum Pylas tranſiiſſe ignoraverit, eúmque transeuntem non invaſerit, cùm pars jam transgreſſa montes alteri auxilium ferre non poſſet; quâ ratione magnus Darii exercitus facilè ex parte, & ſine periculo, cædi potuit. Attamen ſitus cornuum utriuſque exercitûs, rem ita ſe habuiſſe oſtendit. Ea autem quò magis mira res eſt, eò minùs à *Curtio* prætermitti

* *Ibid. p.* 35.

mitti debuit; cùm præsertim, omissâ tam insigni circumstantiâ, ejus narratio intelligi non posset.

10. *Unâ nocte, & Alexandrum ad fauces, quibus Syria aditur, & Darium ad eum locum, quem Amanicas Pylas vocant, perveniſſe* dicit. Certè Syriæ portæ, ut docet *Strabo* Lib. XIV. sunt ultra Maryandrum, Amanicæ verò non procul ab Isso. Sed dicendum omnino erat, factum hoc esse utriusque exercitûs errore, qui hostem quærebat ubi non erat; quod profectò dignum fuit narratu. Verùm, ut quod sentio dicam, credibile est *Curtium* sequutum Scriptorem, qui hoc omiserat, nec tamen animadvertisse narrationi quidquam deesse. Sequentia hoc persuadent; ubi narrat Macedonas, quos Darius oppressérat in urbe Isso, quæ erat ad occasum Amanicarum Pylarum, & quibus manus amputaverat, *ad castra Macedonum penetrasse, Darium quàm maximo cursu posset sequi nunciantes.* Non poterant nunciare sequi Darium, quem norant Ciliciam ingressum, quo tempore Alexander in Syriam ibat.

11. Interea verissimum est quòd dixit *Curtius*, de situ utriusque cornu exercituum, quamvis difficulter ex ejus sola narratione intelligi queat. Hinc colligendum facillimè posse fieri, præsertim in brevioribus Historiis, ut ii occurrant nodi, qui vix ac ne vix quidem solvi possint; non quòd mentitus sit Historicus, sed quia circumstantias omisit, sine quibus narrationis series intelligi nequit. Quod verissimum est potest, ejusmodi silentio, falsissimum

ſimum videri; niſi ſit ad manum alius Hiſtoricus, qui rem pluribus narret. Non eſt ergo facilè incuſandus Hiſtoricus mendacii, quia partes narrationis non ſatis inter ſe cohærent; oportet præterea argumenta ſuppetere, ex quibus res aliter geſta eſſe intelligatur. Si nulla ſuppetant, cohibendum judicium, réſque in medio relinquenda, donec lux alicunde adfulgeat.

12. Poſſem & aliud omiſſionis genus, in *Q. Curtio*, oſtendere, ſed quod ei cum præſtantiſſimis Hiſtoricis commune eſt, quamvis cum adcuratæ narrationis legibus non conſentiat. Sæpe, nimirum, ex ſerie orationis animadvertimus, in antecedentibus omiſſam eſſe circumſtantiam, ex qua quæ poſtea dicuntur pendent; quæ quidem circumſtantia interdum exigui eſt per ſe momenti, commemorari tamen ſuo loco debuit ab Hiſtorico; aut omitti quidquid intelligi difficulter poteſt, niſi præmiſſa fuerit. Omnia quidem non ſunt in Hiſtoria dicenda, ſed nihil omittendum ab iis, qui adcuratorum Hiſtoricorum laudem referre volunt, quod narrationi tenebras offundat, ſi modò id reſciri poſſit. Exempli cauſâ, *Curtius*, ubi deſcripſit quâ ratione Darius exercitum inſtruxiſſet, addit: * *uxorem, matrémque Regis & aliarum feminarum gregem in medium agmen acceperant.* Poſtea deſcribit etiam aciem Macedonicam, tum prælium. Nemo, qui eatenus leget, non credet Darii uxorem & matrem interfuiſſe prælio. At † ex ſequen-

* *Lib. III. C. IX. 6.* † *Ibid. C. XI, 24. & ſeqq.*

ſequentibus adparet eas in caſtris interea fuiſſe, nec ſciviſſe quonam in cornu ſtetiſſet Darius. Itaque ſi vera prior illa circumſtantia, oportuiſſet *Curtium* addidiſſe, Darii uxorem & matrem vidiſſe quidem inſtructam aciem, ſed antequàm claſſicum caneretur rediiſſe in caſtra. Aut ſi hanc circumſtantiam omittere voluit, & priorem prætermiſiàm oportuit.

13. Alibi, * in deſcriptione expeditionis, quâ ſubacta eſt Bactriana, hæc leguntur: *hinc ad Craterum, qui Artacacna obſidebat, redit*, &c. Cujus tamen obſidionis inchoatæ nullam mentionem fecit, nam quod eſt antea; *in eorum obſidione Cratero relicto*, &c. ad aliam obſidionem ſpectat Alio in loco †, poſtquàm deſcripſit Ptolemæum, cum omnibus turmis Hydaſpis ripis obequitantem, quaſi vadum quæreret, ut manum Pori diſtineret, dum Alexander fluvium paullò ſuperiùs trajiciebat, ſubjicit illico narrationem prælii cum Poro; cui prælio intereſt etiam ‡ Ptolemæus, quamvis eum nuſquam dixerit transiiſſe. At res, inquies, ſatis intelligitur, neque enim Ptolemæus in acie eſſe poterat trans Hydaſpem, cum toto equitatu, niſi eum transmiſiſſet. At mora aliqua ad hoc opus fuit; & res digna erat quæ uno verbo ſignificaretur. Non dicam eam ab *Arriano*, ex *Ptolemæo* ipſo oculato teſte, aliter narrari, nam hoc non agimus.

14. Ejuſcemodi omiſſiones non fert, ſine dubio, adcurata narratio; ſed quia, poſt alios opti-

* *Lib. VI. C. VI.* 33. † *Lib. VIII. C. XIII*, 18. ‡ *C. XIV*, 15.

optimos Scriptores, peccat hac in parte *Curtius*, eis condonemus *Curtii* delicta; ne nimis acrem in præſtantiſſimos viros cenſuram exercere videamur. Exempla hujuſce rei alii jam collegerunt. Unum nos addemus, quod nobis occurrit nuper aliud agentibus. Eſt apud *Herodianum*, Lib. II. C. IV. 1. ubi ita elegantiſſimus Scriptor de Pertinace: ὑστερον δὲ διεφοίτησεν ἡ φήμη τά τε λεχθέντα ὑπ' αὐτοῦ ἐν τῇ συγκλήτῳ, καὶ τὰ πρὸς δῆμον γραφέντα ὑπερήδοντο πάντες: *poſtea verò quàm fama vulgavit, quæ ille vel in Senatu dixiſſet, vel ad populum ſcripſiſſet, omnes lætabantur.* At nulla ante mentio ullius Edicti, quo populum compellaſſet Pertinax.

15. Animadverterunt etiam viri docti, ex collatione Hiſtoriæ Curtianæ, cum *Arriano*, aliiſque Scriptoribus, qui omnes res geſtas Alexandri litteris mandarunt, aut obiter adtigerunt, „ * *Curtium* in poſtremis Libris valde properare; quædam magna negotia omni„ no prætermittere, alia leviter adtingere. „ Quo factum putant, ut expeditionem in alterum Porum, illius magni nepotem, cu„ jus præter *Arrianum* etiam *Strabo* meminit, „ verbo tantùm ſignarit. Cujus & alia exempla proferri poſſent, niſi nos quoque ad hujus Opuſculi finem properaremus.

* *Joan. Freinshemius ad Curt. Lib. IX, Cap. I, 8.*

CA-

CAPUT VI.

Q. Curtius perperam fabularum Græcarum documenta apud Indos quærit, Asiæque remotissimis amnibus nomina Græca imponit.

1. VITIUM est Græcis & Romanis Scriptoribus commune, ut Numina sua, & fabulas in Græcia atque in Italia natas, & pænè dixerim mortuas (nam nonnisi à pueris tandem credebantur) quærant inter *Barbaros*; qui numquam quidquam de iis audiverant, antequàm Græci & Romani eorum regiones adirent. De eo pluribus egimus, hujus *Artis Criticæ* Part II. Sect. I. C. XIII. Sed hîc ostendemus *Curtium* nostrum ejus immunem non fuisse, & temerè etiam sequutum esse Græcos Scriptores, qui nomina habebant non vera, sed in Græcam Linguam detorta fluviorum, & locorum apud Indos, quos constat Græcæ Linguæ ignaros fuisse. Præterea eorumdem Græcorum pravam consuetudinem imitatur, qui interdum nomina propria barbara Græcè interpretantur, & pro nominibus veris, interpretamenta sua nobis obtrudunt. Quod perinde est ac si Galli nomina Germanica nunc immutarent in voces Gallicas, nunc interpretarentur, iisque suis interpretationibus Germanicorum nominum loco uterentur. Quis verò ferret histo-

riam

tiam Gallicam rerum à *Guſtavo Adolpho*, Sueonum Rege, in Germania geſtarum eo modo ſcriptam? Ignoſcimus tamen Veteribus, qui ſimilia peccarunt, quia id peccatum virtutibus innumeris penſant; at ita iis ignoſcendum eſt, ut intelligamus eſſe grave peccatum; cùm ſine dubio multi eos legant, qui ne hoc quidem animadvertunt.

2. Alexandro fines Indiæ ingreſſo occurrunt Indorum reguli, imperata facturi; * *illum tertium Jove genitum ad ipſos perveniſſe memorantes; patrem Liberum, atque Herculem famâ cognitos eſſe, ipſum coram adeſſe cerníque.* Si tale quid ab Indis dictum umquam fuiſſet, qui primi hancce hiſtoriam ſcripſerunt, eos oportuiſſet nomina barbara edere, quibus utebantur Indi, nam ſine dubio Græca non erant; cùm ne Romani quidem, quorum eadem erat Religio ac Græcorum, quíque ex Græcis orti, nec procul ab iis remoti, iisdem nominibus uterentur; quis enim neſcit, *Neptunum*, *Mercurium*, *Minervam*, *Venerem*, *Cererem*, *Dianam*, &c. alia prorſus nomina, apud Græcos, habuiſſe? Quantò magis Indi aliis adpellationibus Numina ſua, quæcumque tandem eſſent, vocitabant? Etiamnum hodie Perſæ loquuntur de neſcio quo *Ruſtemo* Indo, qui antiquiſſimis temporibus vixit, fuitque Giganteæ ſtaturæ; cui fabulæ Indicæ multa miranda facinora tribuunt; & cujus ſculpta forma in Perſepolitanis ſepulcris cernitur, ut teſtatur teſtis αὐτόπτης *Joan.*

* *Lib. VIII, c. X. 1.*

Chardinus, qui *Ruſtemum* interpretatur *Herculem*, Itinerarii Perſici Tom. III. p. 121. Ed. in 4. ſed & eo nomine Heroas eorumdem temporum vocare ſolent. An ſint in iis hiſtoriis, quæ *Herculis*, aut *Liberi* facta referant, ignoro.

3. Si verum dicere licet, hæc ficta à Macedonibus crediderim, qui, ut antea ex *Eratoſthene* & *Strabone* obſervavimus, Herculi & Libero Patri Alexandrum æquare omni ope conabantur. Facetus hîc eſt *Arrianus*, qui cùm mendacium olfaceret, non auſus eſt quod ſentiebat profiteri, religione veluti impeditus. Hiſce verbis, ille orditur Librum V: Ἐν ᾧ τῇ χώρᾳ ταύτῃ ἥντινα μεταξὺ τοῦ τε Κωφῆνος καὶ τοῦ Ἰνδοῦ ποταμοῦ ἐσῆλθεν Ἀλέξανδρος, καὶ Νύσσαν πόλιν ᾠκίσθαι λέγουσι. τὸ μὲν κτίσμα εἶναι τοῦ Διονύσου, Διόνυσον δὲ κτίσαι τὴν Νύσσαν ἀφ' ἧς τοὺς Ἰνδοὺς ἐχειρώσατο. ὅστις δὴ ἦν ὁ Διόνυσος, καὶ ἐπότε ἢ ὁθὲν ἐπ' Ἰνδοὺς ἐστράτευσεν, οὐ γὰρ ἔχω συμβαλεῖν, εἴ γε ὁ Θηβαῖος Διόνυσος ὃς ἐκ Θηβῶν, ἢ ἐκ Τμώλου τοῦ Λυδίου ὁρμηθεὶς ἐπ' Ἰνδοὺς ἦλθε στρατιὰν ἄγων· τοσαῦτα μὲν ἔθνη μάχιμα, καὶ ἄγνωστα τοῖς τότε Ἕλλησιν ἐπελθών, εἰδὲν δ' αὐτῶν ἄλλο ὅτι μὴ τὸ Ἰνδῶν βίᾳ χειρωσάμενος: *In hoc tractu, quem inter Cophenem & Indum fluvios ſitum ingreſſus eſt Alexander, Nyſam etiam urbem conditam ferunt; & quidem à Baccho; qui eam condiderit, poſtquàm Indos ſubegerat. Quiſnam verò is Bacchus fuerit, & quando; aut unde bellum Indis intulerit, conjicere non poſſum, ſíve is qui Thebanus ex Thebis, an verò ex Tmolo Lydiæ profectus in Indos exercitum*

citum duxerit, qui cùm tot bellicosas, & Græcis tunc temporis ignotas Gentes adierit, nullam ex his præterquàm Indorum vi subegerit. At hæc ipsa ostendebant Græcos Baccho Thebano, aut Lydio expeditionem in Indos stultè tribuere; atque hinc ementitos etiam esse Macedonas, in honorem Alexandri sui intelligere licebat. Scio quidem à * viris doctis observatum, & eruditè probatum Bacchum esse Orientis Numen; sed hîc de Thebano Semeles filio agimus, quem Græci Babylonio, aut Ægyptio fortè, substituerunt. Præterea ne Orientalem quidem illum Bacchum, aut Dionysium, quisquis fuerit, Indis bellum intulisse credibile est, quod demonstrare hîc non adgrediar. Vide, si vacat, *Strabonem* Lib. XV. non procul ab initio.

4. Verùm operæ pretium est audire *Arrianum*, qui ita pergit: Πλὴν γὲ δὴ ὅτι ἂν ἀκριβῶς ἐξιτασὴν χρὴ εἶναι ὑπὲρ τῦ Θείυ ἐκ παλαιᾶ μεμυθιυμένων. τῷ γάρ τοι κατὰ τὸ εἰκὸς ξυντιθέντι ἁ πισὰ, ἐπειδὰν τὸ Θεῖον τις προσθῇ τῷ λόγῳ, ἁ πάντη ἄπιστα φαίνεται: *Hoc tantùm censuerim neminem nimis adcuratum censorem esse oportere eorum, quæ olim de Numine fabulis prodita sunt. Si quis enim meritò non credibilia scripserit, quandoquidem Deum admiscet sermoni, non planè incredibilia videntur.* Quod si æquum esset fieri, mendacio, interpositâ fide publicâ, concessa esset potestas pari

* *Sam. Bochart. in Phaleg. Lib. I. c. 2.*

paſſu cum veritate ambulandi. Mendacio enim Numen duntaxat admiſcendum eſſet, ut ne adcuratiùs expenderetur, fidémque ſoli veritati debitam inveniret. At antiquis, inquies, fabulis ſolis is honos exhibebatur, non quibuſvis mendaciis. Verùm quo jure Veteribus mentiri licuit, poſteris non licebit? Quo jure vetera ἀβασανίστως excipi oportere à poſteris, poſteriora verò ad examen adcuratum revocari contendere poterant? Ita tamen ſentiebant Ethnici, ceteroqui non fatui, ut videre eſt ex verbis *Arriani*; cui præiverat *Diodorus* Siculus, qui Herculis hiſtoriam inchoaturus ita loquitur: * Καθόλυ ἐν ταῖς ἱσορυμέναις μυθολογίαις ὰκ ἐκ παντὸς τρόπυ πικρῶς τὴν ἀλήθειαν ἐξεταςέον. καὶ γὰρ ἐν τοῖς θεάτροις πεπεισμένοι μήτε Κενταύρυς διφυεῖς ἐξ ἑτερογενῶν σωμάτων ὑπάρξαι, μήτε Γηρυόνην τρίσωμαλον, ὅμως προσδεχόμεθα τὰς τοιαύτας μυθολογίας, καὶ ταῖς ἐπιφανείαις συναύξομεν τὴν τῦ Θεῦ τιμήν: *Universè in fabulosis narrationibus, non ex omni modo veritas acerbè exigenda est. Nam & in Theatris, cùm sciamus, neque Centauros fuisse, duplici naturâ diversorum generum constantes, neque Geryonem triplici corpore; tamen has tales fabulas excipimus, & plausibus nostris honorem Dei amplificamus.* Sic & Macedones honorem Alexandri mendaciis amplificandum ſibi cenſuerunt; & Scriptores eos ſequuti certatim, ex Græcanicis fabulis, Indos Alexandro

* *Lib. IV. Biblioth. p. 216.*

dro blandientes induxerunt. Ejuſmodi eſt oratio, quam iis tribuit *Arrianus*, initio Libri. V.

5. *Curtius* etiam noſter, de Nyſæis: * *A Libero Patre conditos ſe eſſe dicebant, & vera hæc origo erat.* Quaſi verò hoc ullo vel minimo indicio conſtaret! *Sita eſt ſub radicibus montis, quem* Meron *incolæ adpellant. Inde Græci mentiendi traxere licentiam, Jovis femine Liberum Patrem eſſe celatum.* Quæſiverim an *Meros* ſit vox Indica, quam Macedones Græcam μηρὸν eſſe rati ſint? Si ſit, quidni nomen Bacchi Indicum ediderunt? Deinde cur dictus eſt Bacchus, non ſimpliciter ἐν τῷ μηρῷ τετρᾶφθαι, ſed ἐν τῷ τοῦ Διὸς μηρῷ; Sed hæc mendacia ſunt Macedonum, & veriſimilius eſt Thebanum Bacchum, ab antiquiſſimis Thebanis Phœnicum colonis, dictum eſſe ortum *è femore Jovis*, Phœniciâ locutione, quæ Hebræis frequens eſt, ad ſignificandum eum è poſteris Jovis fuiſſe.

6. Macedones non modò Bacchum, civem Thebanum, apud Indos notum compererunt, ſi iis credimus, ſed & alterum Numen ex eadem urbe oriundum; Herculem, nimirum, ut jam vidimus. † *Herculis ſimulacrum agmini peditum præferebatur. Id maximum erat bellantibus incitamentum, & deſeruiſſe geſtantes militare flagitium habebatur; capitis enim ſanxerant pœnam iis, qui ex acie non retuliſſent; metu, quem ex illo hoſte quondam con-*

* *Lib. VIII. c. X, 11.* † *Lib. VIII. C. XIV. 11.*

ceperant, etiam in religionem, venerationémque conversò. Hæc & similia habet *Curtius*, similia etiam alii; quorum nulli memorant quo nomine Indi Herculem vocitarent, quia hæc erat mera Macedonum fictio; qui, ut Alexandrum etiam Herculi præferrent, jactabant Petram *Aornon*, quam cepit Alexander, * *ab Hercule frustra obsessam fuisse, terræque motu coactum absistere.*

7. Fabulam hanc esse subolfecit *Arrianus*, ita enim de Petra Aorno loquitur Lib. IV. † Λόγος ὑπὲρ ταύτης κατέχει δὲ Ἡρακλεῖ τῷ Διὸς ἀλωτὸν γενέσθαι τὴν πέτραν. Εἰ μὲν δὴ καὶ ἐς Ἰνδὸς ἀφίκετο ὁ Ἡρακλῆς ὁ Θηβαῖος, ἢ ὁ Τύριος, ἢ ὁ Αἰγύπτιος ἐς ἀδέτερα ἔχω ἰσχυρίσασθαι. μᾶλλον δ' οὖν δοκῶ ὅτι οὐκ ἀφίκετο (ἄλλα γὰρ ἔστι χαλεπὰ οἱ ἄνθρωποι ἐς τέρας δ' ἄρα αἴξουσιν αὐτῶν τὴν χαλεπότητα, ὡς καὶ τῷ Ἡρακλεῖ ἂν ἄπορα γενέσθαι) ἀληθεύειν: *Fama est ne Herculem quidem, Jovis filium, hanc capere potuisse. Ego verò an Hercules Thebanus, an Tyrius, an Ægyptius ad Indos penetrarit, nihil habeo quod adfirmare possim. Potiùs tamen non eò penetrasse (quæcumque enim difficilia sunt, eorum homines difficultatem usque adeò augent, ut ne ab Hercule quidem posse fieri dicant) verum esse crediderim.* Pro *hominibus*, debebat dicere *Græcos*, nam ex Græcorum sermonibus nata erat hæc fabula, & fortasse soli Græci Herculi tribuebant decantatos illos labores.

7. *Era-*

* *Lib. VII. C. XI. 2.* † *Pag. 98.*

8. *Eratoſthenes* * quidem *Cyrenæus*, qui omninm acutiſſimè mendacia Macedonum retexit, dicebat eos ἐν τῇ τῶν Ἰνδῶν γῇ βοῦς ἰδόντας ἐγκεκαυμένους ῥόπαλον, τεκμηριοῦσθαι ἐπὶ τῷδε ὅτι Ἡρακλῆς εἰς Ἰνδοὺς ἀφίκετο: *cùm in Indorum regione vidiſſent boves, quibus clavæ inuſtæ erant, ex hoc collegiſſe Herculem ad Indos perveniſſe.* Crediderim potiùs rem totam confictam; aut ſummùm Macedonas Herculem vocaſſe Numen quodpiam Indorum; de quo nonnulla dicebantur ab Indis, ſimilia iis quæ de Thebano Hercule à Græcis jactabantur. Videnda quæ de eo habet *Arrianus* in Indicis, nam nec vacat rem copioſiùs excutere, nec ſi vacaret operæ pretium eſſet.

9 Non poſſumus ignoſcere iis, qui primi res ab Alexandro geſtas ſcripſerunt (nam minùs hac in re vituperandus *Curtius*, qui quod neſciebat dicere non potuit) quòd adpellationes Græcas, pro barbaris nominibus, paſſim habeant. Talia ſunt *Polytimetus*, † Πολυτίμητος, nomen fluvii Sogdianæ; § *Erymanthus*, Ἐρύμανθος, nomen fluvii Indiæ; ‡ *Dædala* regio, Δαιδάλη; §§ petra Ἄορνος, quo nomine lacus fuit in Epiro, ** *Ecbolima*, nomen regionis, Ἔκβολιμα; aliáque id genus plurima.

10. Pro vocibus Perſicis, Græci ſuis utebantur, quos ſequutus eſt *Curtius*, qui nomina

* *Apud Arrianum Lib. V. p.* 103. † *Lib. VII. C. X*, 2.
§ *Lib. VIII. C. IX*, 10. ‡ *C. X*, 16.
§§ *C. XI*, 2. ** *C. XII*, 1.

mina Græca Latinæ orationi inſeruit, non ſecus ac ſi eſſent Perſica. * *Doryphori*, inquit, *vocabantur, proximum his agmen ſoliti veſtem excipere regalem.* Non aliter loquitur in ſequentibus, prolatâ voce verè Perſicâ: *Cidarin Regium capitis vocant inſigne.* Paullò pòſt, ſimiliter dicit; *Quindecim inde, quas armamaxas adpellant, ſequebantur.* Sic & alibi, de gente Indis finitima: † *Iter pronunciari jubet in Agriaſpas, quos jam tunc mutato nomine Evergetas adpellabant; ex quo frigore, victúsque penuriâ Cyri exercitum adfectum tectis & commeatibus juverant.* At nemo neſcit Cyrum Græcè non eſſe loquutum, & notum eſt ex *Herodoto* Lib. VIII. C. 85. bene de Rege meritos ſolitos eſſe *Oroſangas*, Perſicâ Linguâ, vocari. Non poteſt non mirum videri, non à *Curtio* tantùm, qui *Perſepoleos* multis meminit Lib. V. c. 7. ſed & ab aliis omnibus Veteribus, verum nomen priſcæ Metropoleos Imperii Perſici, ubique ſuppreſſum, ut nomen Græcum *Perſepoleos* ei ſupponerent; quo factum eſt ut planè interciderit. Exiſtimabat *Chriſt. Cellarius* fuiſſe id nomen *Elam*, hoc eſt, עילם Hebraïcè, in notis ad *Curtii* caput memoratum; nam Elymaïs dicebatur tractus ille, & urbs etiam Macchabaïcorum Scriptori vocatur. Sed vix ei credere aufim. Si conjicere licet, potiùs adquieverim in conjectura *Joan. Chardini*, qui in Itinerario Perſico, putat dictam

Fars-

* *Lib. III. c. III*, 15. † *Lib. VII, C. III*, 1.

Fars-abad, aut *Pars-abad*, hoc eſt, habitationem Perſarum; neque enim dubium eſt quin ſe Perſæ פרס *pharas* vocarint, & אבד *abad* eſt habitatio; quod nomen ſubjicitur in compoſitione ejuſmodi nominum urbium, in Lingua Perſica.

11. Rectè feciſſent & Græci Scriptores & *Curtius*, ſi, quoniam Perſica vocabula neſciebant, dixiſſent vocatos eos, quos diximus, nominibus Perſicis; quæ idem ſignificabant, quod vocabula Græca, quæ Perſicorum loco protulerunt. Satius etiam fuiſſet *Curtium* Græca vocabula Latine interpretari, ne, ab imperitis Linguæ Græcæ, Græca vocabula barbara ipſa nomina eſſe crederentur.

CAPUT VII.

A Q. Curtio perperam omiſſos eſſe annos & tempeſtates, quibus ſingula geſta ſunt.

1. DUo ſunt Hiſtoriæ veluti oculi, quorum utroque quidem demto, per denſas tenebras videtur ambulare; alterutro verò, ſine graviſſimo incommodo, carere non poteſt. Alter eſt Geographia, quâ locorum, quorum incidit mentio, ſitus notatur; alter verò Chronologia, quâ anni ab inſigni Epocha numerantur, tempeſtatésque annorum, quibus quæque geſta ſunt, ſtudioſè addun-

tur. Quanti quidem momenti ſit Geographia antea probavimus, cùm peccata à *Curtio*, in eam diſciplinam, multa eſſe oſtendimus. Chronologiam verò non minùs ab eo neglectam eſſe, hoc in Capite probabimus. Quibus ex rebus conſectarium hoc colligi poterit, Curtianam Hiſtoriam multùm à forma ejus Hiſtoriæ, quæ pro exemplari ſcribentibus proponi queat, abeſſe. Scio alios è Veteribus poſſe proferri, qui neque annos, neque annorum tempeſtates uſquam deſignarint, quíque in pretio tamen habentur. At laudentur cetera, per me licet; modò ne elevetur culpa, quâ vix major ulla eſſe poteſt in Hiſtoria. Quis enim intelligat quomodo quidpiam geri potuerit, præſertim in calidioribus oris, niſi tempeſtas anni indicetur? Quis conſtantiam ac fortitudinem militum, aut nimios calores ferentium, aut cum frigore acerrimo conflictantium? Quis ducis providentiam, in adminiſtranda re frumentaria, pabulationibúsque regendis? Quis celeritatem, quæ maxima eſt Imperatoris virtus, & quæ ſumma in Alexandro fuit, adſequatur; ubi nulla eſt annorum, quibus quæque geſta ſunt, ſignificatio?

2. *Curtius* tamen, in iis quidem quæ ſuperſunt, utrumque planè neglexit, nec ex ejus Hiſtoria rerum geſtarum annos & tempeſtates colligere licet, niſi conjiciendo, aut ex diligenti obſervatione eorum quæ narrat; ſi fortè aliud agens quidpiam dicat, ex quo intelligere queamus tempus, quo factum eſt id de quo lo-

loquitur ; aut denique ex ſerie Hiſtoriæ. Neſcio an in prioribus Libris , qui injuriâ temporum interciderunt , Chronologiam rerum ab Alexandro geſtarum tradidiſſet ; cùm tamen conſidero quæ ſuperſunt , vix opinor in aliis adcuratiorem fuiſſe. Nam aut ſuis locis indicanda ſunt tempora, aut nuſquam. Scio à Chronologis res Alexandri in ſuos annos eſſe digeſtas, atque hinc lucem *Curtio* peti poſſe ; ſed tribui ei non poteſt , quod ex aliis potiſſimùm Hiſtoricis hauſtum eſt. Hîc verò tentabimus ex illo ſolo tempora digerere , ut adpareat & quàm neglectim, hoc in negotio, ſe geſſerit , & quàm utile fuiſſet ſingularum rerum tempora adcuratè deſcribi.

3. Tempore Iſſici prælii, ut hinc initium faciamus, quia in ſuperioribus nullum occurrit tempeſtatis anni indicium , inſtabat hiems ; paullò enim ante prælium , ſuadentibus Græcis dividere copias , reſpondet , inter alia , Darius , * *trahendi belli vix ullam eſſe rationem ; tantæ enim multitudini , utique cùm jam hiems inſtaret , in regione vaſta , & invicem à ſuis atque hoſte vexata , non ſuffectura alimenta.* Liquet hoc ex ſequentibus , nam non multò poſt prælium , dicuntur † *Gangabæ* , ſic Perſæ vocabant humeris onera portantes , Damaſco egreſſi , ut gazam regiam inde efferrent , *cùm frigus tolerare non poſſent* (*quippe & procella ſubitò nivem effuderat , & humus rigebat gelu*)

* *Lib. III. C. VIII , 8.*

† *Lib. eodem , C. XIII. 7.*

gela) *tum adstrictas vestes, quas cum pecunia portabant, auro & purpurâ insignes, induisse.* Possemus ex *Arriano* ostendere rectè à *Curtio* tempus hîc indicatum; sed oportuit, datâ operâ, id factum, non colligendum Lectori relictum. Contigit hoc anno Periodi Julianæ 4381.

4. Postea, ut initio Libri quarti docet, Syria subacta est, tum Phœnice, exceptâ Tyro, quæ ab Alexandro obsessa est. Initium hujus obsidionis, vix ante veris initium, fieri potuit. Statuamus Martio mense inchoatam, * *Tyrus septimo mense, quàm oppugnari cœpta erat, capta est.* Itaque Septembri expugnata fuerit. Post tam difficilem, tàmque longam obsidionem, Alexandri exercitui aliquot diebus ad quiescendum opus fuit, præsertim cùm esset in Climate multò calidiore, quàm Macedonia.

5. Postea Alexander ivit † obsessum Gazam, quam præfectus *Betis* acriter defendit; machinisque admotis, & vi superatus est. Ponamus exercitum antea per mensem quievisse, ac proinde initio Novembris demum cœpisse Gazensem obsidionem, & per mensem unum durasse; Alexander Ægyptum, nonnisi mense Decembri, aut Januario sequentis anni, Periodi Julianæ 4383. ingredi potuerit. ‡ *Septimo die, postea quàm à Gaza copias moverat, in regionem Ægypti, quam nunc castra Alexandri vo-*

* *Lib. IV. C. IV*, 19. † *Lib. IV. C. VI.*
‡ *Ibid. C. VI*, 3.

vocant, *pervenit*. Non multo opus fuit tempore, ad invadendam Ægyptum, ejuſque res componendas; cùm Ægyptii à Perſis illico defecerint, nec Perſæ Alexandri adventum ſuſtinuerint, neque is quidquam ex patrio Ægyptiorum more mutarit. His peractis, Alexander adire Oraculum *Hammonis* ſtatuit; quod eò faciliùs tunc fieri potuit, quòd tempus ejus itineris incidebat in finem hiemis, vel veris initium. Illo enim tempore, tolerandi ſunt Libyæ calores; per quam homines Græci, adulto vere, aut æſtate, impunè iter numquam feciſſent. Digna res erat, quæ ab Hiſtorico notaretur; at ſi eam animadvertiſſet *Curtius*, periiſſet illi æſtûs inſoliti deſcriptio: * *Sol omnia incenderat, ſiccáque & aduſta erant; cùm repente, ſive illud Deorum munus, ſive caſus fuit, obductæ cœlo nubes condidere ſolem; ingens æſtu fatigatis, etiamſi aqua deficeret, auxilium. Enim verò ut largum quoque imbrem excuſſerunt procellæ, pro ſe quiſque excipere eum, quidam ob ſitim impotentes ſui, ore quoque hianti captare cœperunt.* *Curtius* poſt reditum ab Hammonis oraculo Alexandriam conditam docet Lib. IV. c. 8. quod etiam credibile eſt, adeóque referri res nequit ex hac narratione, niſi ad annum memoratum, qui incidit in ſextum Alexandri, quamvis aliter ſentiat *Jac. Uſſerius*, cujus Annales vide ad ann. P. J. 4382. A. Ch. 332. Rem hîc pluribus expendere non eſt neceſſe.

6. *Cur-*

* *Lib. IV. c. VII, 13.*

6. *Curtius* non addit quamdiu Alexander in Ægypto manſerit, neque quod tempus abſumſerit in itinere ad Euphratem, neque quo loco eum fluvium trajecerit. Ait dumtaxat eum *undecimis caſtris* perveniſſe ad Euphratem; ſed unde cœperit numerare caſtra non dicit. At paullò ante prælium ad Arbela, Eclipſin Lunæ * in iis locis conſpectam docet: Collegit autem † *Joſ. Scaliger* cùm ex rationibus Aſtronomicis, tum ex aliis Scriptoribus, anno Periodi Julianæ 4383. Septembris vigeſimo die, viſam; nec aliter ſentiunt *Dionyſ. Petavius* & *Jac. Uſſerius*. Igitur Alexander æſtatem abſumſerat in Ægypto, & in itinere ad urbem *Thapſacum*, ubi Euphratem tranſiit, atque ab Euphrate ad Tigrin, ultra quem, ad ortum, commiſſum eſt prælium. Factum id eſt, ut alii docent, undecimo die, poſtea quàm conſpecta eſſet Eclipſis.

7. Paullò poſt victoriam, Alexandro ‡ tradita ſunt Arbela, hoc eſt, initio Octobris; iísque in locis Alexander, ut quieſceret exercitus, per aliquot dies manſit. § *Ingruentibus deinde morbis; quos odor cadaverum totis jacentium campis vulgaverat, maturiùs caſtra movit.* Cùm jam ergo hiems inſtaret; Alexander Babyloniam ingreſſus; quod ejus exercitui multò commodius fuit, quàm ſi æſtate in fervidiores tractus iviſſet. Illic *exercitus ille domitor Aſiæ per* XXXIV. *dies ſaginatus* eſt. Igitur reliquum annum Babylone

* *Cap. X. 2.* † *De Emend. Temporum Lib. V. p. 420. Ed. Rover.* ‡ *Lib. V. C. I, 10.* § *Ibid. II.*

ne transegit, neque quidquam adgreſſus eſt, niſi ſub finem Novembris, aut Decembri, vel ſequente anno.

8. Initio ergo anni Periodi Julianæ 4384, aut fine antecedentis, Alexander ivit in *Satrapenen*, ut habet *Curtius*, aut potiùs *Sittacenen*, ut ſuadent ſequentia. Regio eſt inter Coſſæos & Babylonios, ad ortum Tigris, * *copiâ rerum & omni commeatu abundans. Itaque diutiùs ibi ſubſtitit, ac ne deſides otio dimitterent animos, judices dedit, præmiáque propoſuit, de virtute militari certantibus.* Hîc fuerunt veluti hiberna Alexandri, in quibus milites refecit, & præter alia negotia, rei frumentariæ ſine dubio providit; quamquam hæc omnia tacet *Curtius*; quaſi Alexandri milites ignoraſſent tempus hibernorum, & ſine commeatu quocumque jubebantur iviſſent. Statim poſtea *Suſa* profectus eſt, quæ ei ſunt illico dedita. Sine dubio jam ver erat, & in Climate calidiore, licèt montibus referto, nullæ ampliùs erant nives, quæ quominùs ſuperarentur montes obſtarent. Itaque Alexander ingreſſus eſt montana † *Uxiorum*, Madatémque regionis præfectum, non ſine certamine, ad deditionem compulit. Illinc *quinto die* ad § *Suſidas Pylas* pervenit, quas, defendente Ariobarzane, ægrè ſuperavit; unde rectà ‡ *Perſepolin* ivit, quæ ei è veſtigio dedita eſt.

9. Occupatâ & direptâ Perſepoli, Alexander ** *cum mille equitibus, peditúmque expedi-*

* *Cap. II, 2.* † *Cap. III.* § *Ibid. § 17.*
‡ *Cap. V.* ** *Cap. VI. §. 12.*

ditâ manu, interiorem Perſidis regionem, ſub ipſum Vergiliarum ſidus petiit; multisque imbribus & prope intolerabili tempeſtate vexatus, procedere tamen quò intenderat perſeveravit. Ventum eſt ad iter perpetuis obſitum nivibus, quas frigoris vis gelu adſtrinxerat. Quo frigore non parum vexati ſunt milites, ut multis narrat *Curtius*; qui occaſionem ejuſmodi deſcriptionum nullam prætermittit. Ex re ipſa colligere eſt debuiſſe dicere, *ſub occaſum Vergiliarum. Plinius* Hiſt. Nat. Lib. II. c. 47. *Poſt id æquinoctium* (Autumni) *diebus ferè quatuor & quadraginta, Vergiliarum occaſus hiemem inchoat, tempus in III. Idus Novembris incidere conſuevit.* Phraſis Curtiana *ſub ipſum ſidus*, ſignificat potiùs, paullò ante exortum ſideris, quàm paullò poſt: ut alibi, apud eumdem, *ſub lucis ortum*, eſt paullò ante lucem. Quo ſenſu dixit etiam *ſub ortum diei, ſub noctem*, aliáque, quæ vide in Freinshemiano Indice. Fortè credidit *Curtius* tum oriri Vergilias, cùm occidunt; nam de ortu, ſi notum ei fuit ejus tempus, cogitare non potuit. *Plinius* ibidem: *Datus eſt huic* (ſubſolano) *exortus Vergiliarum ſub totidem partibus Tauri, ſex diebus ante Maias Idus.*

10. Alexander, eâ expeditione, reliquas partes Perſidis in poteſtatem ſuam redegit. * *Itaque trigeſimo die, poſtea quàm à Perſepoli profec-*

* *Ibidem* §. 19. *Mardorum ſubactionem hic malè collocat* Curtius, *cùm ſubigi non potuerint, niſi ſubactâ Hyrcania, cujus ad Caſpii maris meridiana littora, vicini erant. Ideò* Curtius *idem iterum repetit Lib. VI. c. V, 11. quaſi gemina eſſet Mardorum gens, quam unam memorant omnes alii.*

fectus erat, *eodem rediit*; hoc eſt, menſe Decembri. Perſepoli hiemavit Alexander cum exercitu, eámque incendit.

11. Anno Periodi Julianæ 4385. initio veris, Alexander Darium, cui pluſquàm integrum annum ad reparandum bellum (quod obſervatu dignum fuit) conceſſerat, perſequi iterum cœpit. Interea accepit varia militum ſupplementa, quibus imminutum exercitum prœliis, belli vexationibus, morbis, & præſidiis in arcibus neceſſariò relinquendis ipſe quoque auxit; Gazas Perſicas invaſit, quarum ope ampliſſimis præmiis ſuos donare potuit, & vel totam Græciam in orientem adlicere, propoſitâ ſpe mercedis; fertiliſſimásque Perſici imperii provincias ſubegit, unde ei ad ulteriores eunti commeatus ſubvehi poſſent. Primùm ergo in * Mediam movit, quò fugerat Darius; † cùm verò audiret Darium in Hyrcaniam contendere, eò iter ipſe quoque intendit, eúmque jam interfectum adſequutus eſt. Hoc initio æſtatis contigiſſe oportet, cùm Alexander ſummâ celeritate Darium ſequutus ſit, nec totum exercitum exſpectarit.

12. ‡ *Ut primùm inſtantibus curis laxatus eſt animus, militarium rerum quàm quietis otiíque patientior, excepere eum voluptates; & quem arma Perſarum non fregerant, vitia vicerunt. Intempeſtiva convivia, & perpotandi, pervigilandique inſana dulcedo, ludique*

* *Cap. VII*, 12. † *Cap. XIII*, 2.

‡ *Lib. VI. Cap. II.* 1.

que & greges pellicum, omnia in externum lapsa sunt morem. Ita cœpit vitam instituere, potissimùm post mortem Darii; tametsi in Persíde, eo etiamnum vivo, pergræcatus non semel fuerat, regiámque Orientis Persepolin ebrius combusserat. Eo loco, quo Darium adsequutus fuerat, ubi ita genio indulgebat, recensuit captivos, nobilésque à plebeiis secrevit. Aliquot diebus ita absumtis, * *in Parthienen pervenit*, atque in urbe, *eâ tempestate clara, Hecatompylo, condita à Græcis, stativa habuit, commeatibus undique advectis.* Ortâ seditione otiosi exercitûs, eâque compressâ, castra illinc tandem mota, adultâ, ut videtur, æstate; † *tertióque, per Parthienen, die, ad fines Hyrcaniæ penetrat.* Castra in valle communiuntur, ‡ & *quartum jam diem eodem loco quietem militi dederat*, cùm litteras Nabarzanis accepit. Inde ulteriùs in Hyrcaniam ingressus est, in qua ad autumnum mansit, ut liquet ex hisce *Curtii* verbis: § *præter alios commeatus, quorum tum copiâ regio abundabat, pomorum quoque ingens modus nascitur, & uberrimum gignendis solum est.*

13. In Hyrcania nemo occurrit, qui bellum moveret; tamen tempore opus fuit, ut peragraretur. At Mardi vicini, vi admotâ, terrendi fuere, ut se dederent; quibus in fidem acceptis, ** *quinto die*, Alexander *in stativa revertitur.* Huc eum invisit Thalestris, si

* *Ibid.* §. 11, & 15. † *Cap. IV*, 2. ‡ *Ib.* 8.
§ *Ib.* 21. ** *C. V*, 21.

ſi *Curtio*, & vanioribus Hiſtoricorum credamus; cujus libido Alexandrum, * *ut paucos dies ſubſiſteret, perpulit; tredecim dies in obſequium deſiderii ejus abſumti ſunt. Tum illa regnum ſuum, Rex Parthienen petiverunt.* Tametſi hæc falſa ſunt, & ficta à Græculis; tamen colligere fortè ex hiſce liceat, Alexandrum aliquamdiu in Hyrcania, poſt ſubactos Mardos, fuiſſe.

14. Ex Parthiene ivit Alexander in Bactrianam, † quam ſub finem autumni partim ſubegit, non ſine labore. In ea regione ‡ *jam ſtativa erant; cùm externâ vi non interritus modò rex, ſed invictus, inteſtino facinore petebatur*; conſpiratione, nempe, ſuorum, cujus princeps erat Philotas Parmenionis filius. Ad quæſtionem habendam, plectendósque eos, aliquot diebus opus fuit. Jam hiems aderat, nec eo ſecius Alexander iter pronunciari jubet in Agriaſpas, in quorum fines ex Bactriana quinto die pervenit. Hos & vicinos ſubegit, ac *ſexaginta diebus gentem Evergetarum ordinavit*; in cujus agris proinde, per magnam hiemis partem, conſedit.

15. Anno ſequente, Periodi Julianæ 4386, brevi expeditione, hieme etiamnum durante, ſed in illis oris nequaquam gravi, domiti ſunt § *Aracoſii*. Potuit tamen fieri ut, menſe Februario aut Martio, in montanis oris frigus inſolitum ſenſerint Macedones; cùm

* *Ibid.* 32. † *Cap. VI.* ‡ *Lib. VII. C. III*, 1. *& ſeqq.*
§ *Ibid.* 4.

rarum non ſit frigus hibernum interdum initio veris oriri, ſed non diuturnum. Cùm ergo ver adventaret, non mirum eſt Alexandrum auſum eſſe in * *Parapamiſadas* novam expeditionem ſuſcipere; apud quos tamen, ſi credimus *Curtio*, initio veris (nam rerum ſeries & verba Hiſtorici adlata id evincunt) maximo frigore vexatus eſt exercitus. Verùm qualecumque fuerit, diuturnum, ut dixi, eſſe non potuit; nec uſque adeò inſaniebat Alexander, cupiditate gloriæ, ut mediâ hieme, jam mortuo Dario, occupatâque longè maximâ parte, eáque ditiſſimâ Imperii Perſici, exercitum periculis famis & frigoris, ſine ulla neceſſitate, objiceret. Scio Beſſum in vivis fuiſſe, ſed qui non veritus erat annum integrum Dario, ad reparandum bellum, concedere; an is uſque adeò timebat Bactrianæ præfectum, ut unum aut alterum menſem hiberni temporis ad quieſcendum exercitui ſuo dare non poſſet? Tantopere eum feſtinaſſe, cum pernicie ſuorum, tam mihi credibile eſt, quàm Parapamiſadarum regionem *gelidiſſimum ſeptemtrionis axem ſpectare*, ſeu ab eo non eſſe remotam. Profectò & *Curtius* & Græci, quos ſequutus eſt, tempeſtatis anni majorem rationem non habuerunt, quàm Climatis. Somniabant Alexandrum eſſe ad Caucaſum montem, & quidem mediâ hieme; cúmque magna illic frigora & longas hiemes audiſſent eſſe, & rhetorico more omnia augerent, intolerandum frigus, unà cum Cau-

* *Ibid.* 6.

Caucaſo in Indiam ferè tranſtulerunt, & quidem in ea loca, in quibus Macedones potiùs præmaturum æſtum timere potuerunt.

16. Inde Alexandri * agmen proceſſit ad Parapamiſum montem, quem, ut diximus, Caucaſum vocavere Macedones, & *ſeptemdecim dierum ſpatio* eum *ſuperavit*. Aufugit Beſſus trans Oxum, & Bactriana Alexandrum excepit, qui Oxum quoque trajecit, & ad † *Tanaim* uſque, hoc eſt, Iaxartum, varias gentes ſubegit, atque in fidem accepit; ſed non ſine ſanguine & labore. Scytharum legationem deinde excepit, quos, trajecto Tanaï, invaſit, prælióque ſuperavit. In Bactrianam deinde rediit, quàm, cùm denuo rebellaſſet, recepit, ut & Sogdianam, cujus inacceſſam petram ſtratagemate ad deditionem compulit.

17. Huc uſque Hiſtoriam Alexandri perducit *Curtii* Liber VII. nullo planè indicio tempeſtatum anni addito, poſt illud quod §. 16. ex frigoris deſcriptione colligere licuit. Sed hæc, ſine dubio, æſtatem & autumnum anni memorati abſumſerunt, & fortè partem hiemis anni ſequentis. ‡. *Arrianus* certè Alexandrum Nautacis in Sogdiana hibernaſſe docet; ἅμα ϑ τῷ ἦρι ὑποφαίνοντι προχωρῆσαι ἐς ἐπὶ τὴν ἐν τῇ Σογδιανῇ πέτραν, *imminente verò vere, ad Petram Sogdianam profectum*. Itaque ante hujus Petræ deditionem, collocandum initium anni Periodi Julianæ 4387.

18. Sub-

* *Ibid.* 19. & 22. † *Cap. VI.* ‡ *Lib. IV. p.* 91.

18. Subactis prorsus Sogdianis & vicinis aliis populis, Alexander * *Maracanda* Bactriana metropolim repetiit, ubi stativa habuit, Illic occisus est Clitus, & † *decem dies consumtos* ait *Curtius*. Addit illinc ‡ *cum parte exercitûs Hephæstionem in regionem Bactrianam missum, commeatus in hiemem paraturum*, quasi Maracanda in Bactriana non fuissent. Sed hoc omittimus, ut observemus circumstantiam, de parando commeatu in hiemem, aut omitti debuisse, aut ita exprimi, ut intelligeremus de cujus anni hieme verba fierent. Nisi enim cùm ex rebus gestis, tum ex *Arriano*, constaret integrum annum absumtum, ab expeditione in Parapamisadas ad deditionem Sogdianæ Petræ, nemo non crederet loqui *Curtium*, de hieme anni superioris. Itaque quod intra biennium confecit Alexander, id videretur, præter omnem verisimilitudinem, anno vertente gestum.

19. Captâ Sogdianâ Petrâ, § Massagetæ, Dahæ & ceteri Sogdiani sunt subacti. Transfugæ Bactriani & Syssimitres ad incitas sint redacti, aliáque gesta, quæ apud *Curtium* legi poterunt. ** *His compositis*, Alexander *tertio mense ex hibernis movit exercitum, regionem quæ Gabaza adpellatur aditurus.* Factum hoc initio oportet anni Periodi Julianæ 4387. In itinere oppressit Macedonas gravissima tempestas, quam tumidè describit *Curtius*, ut solet. Hinc Alexander †† *Sacas* petiit, eorúmque

* *Lib. VIII, C. I, 7, 10.* † *Cap. II, 12.* ‡ *Ibidem.*
§ *Lib. VIII. C. I, III.* ** *C. IV. 1.* †† *Ib.* § 20.

que regionem diripuit. Tum ingreſſus tractum, cui Cohortanus præerat, eum in fidem accepit, ejúſque filiam Roxanen duxit. Ab eo tempore, de bello Indis inferendo, cogitare cœpit; * & ne quid à tergo quod deſtinata impedire poſſet moveretur, ex omnibus provinciis triginta millia juniorum legi juſſit & ad ſe armata perduci, obſides ſimul habiturus & milites. Interea rebelles nonnullos domuit, & vicinos tractus ſubegit. Statuere videtur *Curtius* Alexandrum, antequàm Indiam ingrederetur, delectum illum accepiſſe; nam † *CXX. armatorum millia* eum ſequuta ad id bellum ait. Si verum hoc eſt, dudum antea delectum haberi juſſerat, nam ſi ex omnibus Provinciis Imperii quod ſubegerat exſpectandi fuiſſent milites, per annum illic fuiſſet deſidendum. Interim Hermolaus in Alexandrum conſpiravit, & pœnas cum conſciis conſpirationis dedit.

20. Jam ſine dubio æſtas inſtabat, aut etiam inchoata erat, cùm Alexander in Indiam movit. ‡ Multis eam expeditionem, ad devictum uſque Porum deſcribit *Curtius*; ſed nullum diſcrimen æſtivorum aut hibernorum occurrit, nec indicium temporis ullum. At cùm ampla non eſſet regio à Cophene ad Aceſinem, & imbelles populi; non multo tempore Alexander indiguit, præſertim cum tanto exercitu, quem dividere ſine periculo poterat. Itaque hæc, intra æſtatem & autum-

 dum

* *Cap. V. 1.* † *Ibid. 4.*

‡ *A Capite IX. ad finem Libri VIII.*

num anni memorati, fieri potuerunt. Hoc ſi apertè dixiſſet *Curtius*, gloriam Alexandri minuere fortè ſe exiſtimaſſet; certè, quæ de nonnullorum Indorum robore & fortitudine dixit, vana viſa fuiſſent.

21. Hibernorum hujus anni nulla apud *Curtium* mentio fit, quam crederem datâ operâ omiſſam, propter calorem Climatum, in quibus verſabatur Alexander; ſi Indiæ ſitus *Curtio* notus fuiſſet, & niſi alibi, cùm in ora eſſet Alexander multò magis meridiem ſpectante, dixiſſet Alexandrum *ver exſpectaſſe*, ut poſtea videbimus. Itaque ex rebus geſtis ductâ conjecturâ, ſtatuemus Alexandrum hunc annum & ſequentem, in domandis Indis, peragrandísque eorum regionibus, abſumſiſſe.

22. Quæ geſta ſunt à domito magno Poro ea breviùs à *Curtio* narrantur, ut antea dixi-mus; neque nos eorum epitomen hîc propo-nemus. Legantur Libro IX. *Curtii*, & pars eorum conteratur in annum Periodi Julianæ jam memoratum, aut omnia, ſi ita videatur, in annum 4388. * Cùm Alexander evectus eſſet in Oceanum, quadringenta ſtadia, ex oſtiis Indi fluminis, adverſum fluvium ſubiit claſſis; & altero die adpulſa eſt, haud procul lacu ſalſo. Leonnato deinde præmiſſo, ut puteos foderet, quà terreſtri itinere ducturus exercitum videbatur, quippe ſicca erat regio, ipſe cum copiis ſubſtitit, *vernum tempus exſpectans*. At ſatius fuiſſet hibernâ tempeſtate iter facere, per ea loca, in quibus vix ulla eſt

* *Lib. IX. Cap. IX, 27. Cap. X, 1. & ſeqq.*

eſt hiems, ſi conferatur cum Europæis, & ver æſtates Græciæ ſine dubio calore æquat. Sed, miro errore, *Curtius* credidit maritimos Indiæ tractus, in quibus verſabantur tunc temporis Macedones, ad Septemtriones ſpectare. * *Quæ propiora ſunt mari*, inquit, *Aquilones maximè deurunt; ii cohibiti jugis montium ad interiora non penetrant, ita alendis frugibus mitia.* Contrarium voluit dicere, nam auſtralibus ventis maximè uruntur littora Indiæ; iſque, jugis demum montium ſeptemtrionalium impediti, non penetrant ad Indi fontes; circa quæ loca in *Kaſſemiræ* regno, vicinſſque, fertiliſſimi ſunt tractus, & Boreâ refrigerati. Hîc demum nives adſpiciuntur, nam ad auſtrum montium, quibus cinguntur, præ calore non ningit. Non minùs falſa ſunt, quæ habet *Curtius* in ſequentibus: *Adeò in illa plaga mundus ſtatas temporum vices mutat, ut cùm alia fervore ſolis exæſtuant, Indiam nives obruant; rurſúsque ubi cetera rigent, illic intolerandus æſtus exſiſtat.* Si India, tempore *Curtii* nota, fuiſſet in meridianis illis oris, ultra Tropicum Capricorni ſitis, quas navigationes noſtræ nondum adierunt, hæc poſſent ferri; ſed nemo neſcit quæcumque adiit Alexander, ea eſſe cis Tropicum Cancri; in ceteris verò Indiæ partibus, inter hunc Tropicum & Æquatorem ſitis, nullas eſſe nives.

23. In ceteris, ad mortem uſque Alexandri, narrandis, multò brevior eſt *Curtius*,

* *Lib. VIII. Cap. IX*, 12.

ut ex *Arriano* & ſupplementis Freinshemianis liquet. Sed omnia videntur geri potuiſſe, intra annum Periodi Julianæ 4389. & ſequentem ad menſem uſque Aprilem, quo mortuus Babylone Alexander, & quidem XVIII. die, feriâ quartâ, ex calculo * *Joſ. Scaligeri*; aut XXII. Maji, ut vult *Jac. Uſſerius*, vel ad XIX. Julii, ſi *Dionyſ. Petavio* credimus.

24. Excuſare quis tentet *Curtium*; eò quòd Græci Scriptores, quos ſequutus eſt, in adnotandis temporibus adcuratiores fortè non fuerint; nec potuerit ſemper ſcire, quibus tempeſtatibus ſingula eveniſſent. Non negaverim quidem nonnullos Hiſtoricos Græcos diligentiores *Curtio* non fuiſſe; at erant libri, ex quibus quod illis, hac in parte, deerat ſuppleri poterat. Exſtabant, tempore *Curtii*, *αἱ βασίλειοι ἐφημερίδες*, *regia diaria*, in quibus ſcriptum erat quid ſingulis diebus feciſſet Alexander, & ubi fuiſſet. Ex iis varia proferunt † *Plutarchus* & *Arrianus*, qui poſt *Curtium* vixiſſe videntur; nam hunc ſub Veſpaſiano floruiſſe credimus. Exſtabant etiam *Bæton* & *Diognetus*, qui deſcripſerant *σταθμοὺς τῆς Ἀλεξάνδρου πορείας*, & quos *Plinius*, ‡ noſtro æqualis, vocat *itinerum ejus menſores*, nec ſemel ad teſtimonium citat. Hiſce uti oportebat *Curtium*, ut Alexandri tempora digereret, & ſi quod in Geographicis dubium occurreret, eos conſuleret.

25. Scio

* *De emend temporum Lib. V. p. 416.* † *Sub finem vitæ Alexandri.* ‡ *Vide* Ger. Joan. Voſſium *de Hiſt. Græcis Lib. IV. c. 9. & Indicem Scriptorum à* Plinio *laudatorum.*

25. Scio etiam non per omnia consentire Scriptores, de harum rerum Chronologia; *tanta*, ut verba *Curtii* de eorum in aliis dissensu hîc usurpem, * *tanta*, inquam, *componentium vetusta rerum monumenta, vel securitas, vel, par huic vitium, credulitas fuit!* At illæ ipsæ discrepantiæ erant in medium proferendæ, & variantium sententiarum simillima veræ eligenda: quòd si nulla se, magis quàm aliæ, probaret, judicium cohibendum fuisset, Lectoríque rei arbitrium permittendum. Sed elegantiam sermonis, non ἀκρίβειαν narrationis, spectavit *Curtius*, ut & multi alii Veteres, qui eo nomine profectò non sunt laudandi.

* *Lib. IX. C. V, 21.*

CAPUT VIII.

Q. Curtium perpetuò propemodum declamatoris stylo uti.

1. HISTORICI eloquutionem oportere mediam esse, inter quotidianum sermonem & oratorium, docuerunt dudum † Magistri artis, nec opus est nos huic rei immorari. At ostendemus *Curtium* nequaquam mediam illam viam institisse, sed ferè semper declamatorem egisse; quippe qui hoc argumen-

† *Vide* Ger. Joan. Vossium *Artis Hist. C. XXIX.*

mentum ſelegit, non tam ut doceret quid verum ſit in Alexandri Hiſtoria, quídve laude aut vituperio dignum; quàm ut elegantiam ſtyli, & facultatem dicendi oſtentaret. Varia ex iis quæ jam diximus hoc ipſum comprobant, quales ſunt deſcriptiones frequentes, quæ in eo occurrunt, eæque rhetorico prorſus ſtylo expreſſæ. Sic fluvios multos, ſíc moleſtiam itineris per æſtum, aut per frigus plus ſemel, & planè tumidè deſcripſit. Hoc eleganter *Lucianus* ait eſſe *ſuum ipſius negotium agere, omiſſâ hiſtoriâ*; cujus finis unicus eſt docere, non delectare verborum floſculis. Μάλιστα ὖ, inquit, σωφρονητέον ἐν τοῖς τῶν ὀρῶν, ἢ τειχῶν, ἢ ΠΟΤΑΜΩΝ ἑρμηνείαις, ὡς μὴ δύναμιν λόγων ἀπειροκάλως παρεισδείκνυσθαι δοκοίης καὶ τὸ σαυτῆς δρᾶν, παρεὶς τὴν ἱστορίαν. ἀλλ' ὀλίγον προσαψάμενον, τῆ χρησίμῳ καὶ σαφῆς ἕνεκα, μεταβάσῃ, ἐκφυγὼν τὸν ἰξὸν τὸν ἐν τῷ πράγματι, καὶ τὴν τοιαύτην ἅπασαν λιχνείαν: *imprimis verò ſibi temperandum, in deſcriptionibus montium, vel murorum, vel* FLUMINUM, *ne dicendi facultatem ineptè oſtentare videaris, & omiſſa hiſtoriâ tuum ipſius negotium agere. Sed cùm illa paullùm adtigeris, utilitatis & perſpicuitatis tantùm gratiâ, mox inde digrediaris; evitato, quod in illa re eſt, glutino, & omnibus hujuſcemodi cupediis.* Quale monitum ſi animo verſaſſet *Curtius*, ſcopulum in quem nimis ſæpe impegit vitaſſet. Sunt & alia, in eodem libello *de conſcribenda Hiſtoria*, ex quibus *Curtium* caſtigare licet.

2. Ejus

2. Ejus hiſtoria in duas veluti partes poteſt dividi; quarum altera ipſius Hiſtorici verba complectitur; altera verò orationes, quas ſcripſit ſub eorum perſona, quos loquentes inducit. Utrobique autem haud paullò meliorem declamatorem ſe præſtitit, quàm Hiſtoricum; qui non ſcribit quæ ipſe dixiſſet, ſi rebus interfuiſſet, ſed quæ re verâ dicta ſunt, aut eorum ſententiam. Si ergo oſtenderimus, in utraque parte, *Curtium* declamare, potiùs quàm narrare; hoc præſtiterimus, quod in inſcriptione hujus Capitis polliciti ſumus.

3. Ut à narratione initium faciam, paucula dumtaxat exempla proferam, monitus enim Lector alia facilè inveniet. *Primò*, non contentus eventus narraſſe, exclamationes non breves, ſed ſat prolixas eis ſubjicit. Ita narratâ alterâ Darii, ab Alexandro victi, clade; * *Quis tot*, inquit, *ludibria fortunæ; ducum, agminumque cædem multiplicem; devictorum fugam; clades nunc ſingulorum, nunc univerſorum, aut animo adſequi queat, aut oratione complecti? Propemodum ſæculi res, is unum illum diem, fortuna cumulavit.*

4. *Secundò*, nimis frequentes ſunt, apud eum, hyperbolæ, nec eæ modeſtæ, ſed ſæpe Poëticæ. Sic poſtquàm recenſuit copias Darii: *Bactrianos & Sogdianos, & Indos, ceterósque rubri maris adcolas, IGNOTA etiam ipſi gentium nomina, feſtinatio prohibebat acciri.*

* *Lib. IV. c. XVI*, 10.

ciri. * Eſt hoc nimis hyperbolicum, *gentium nomina ignota* earum Regi, præſertim in narratione. Præterea nullos meliùs fortè norat Darius, quàm rubri maris adcolas; cùm non multùm abeſſent Babylone, Suſis, ac Perſepoli regiis urbibus. Sed illi remotiſſimi erant à loco, in quo declamitabat *Curtius*, eſque parum noti; quo factum ut Perſarum Regi imprudens ſuam ipſius ignorantiam tribuat.

5. Mortuam uxorem Darii, non modò lacrimulâ dignatur Alexander, quod multùm fuit, ſed luget quaſi matrem; uſque adeò verum eſt, declamatoribus modicum nihil placere! † *Rex haud ſecus*, inquit noſter, *quàm ſi parentis ſuæ mors nunciata eſſet, crebros edidit gemitus, lacrimiſque obortis, quales Darius profudiſſet, in tabernaculum, in quo mater erat Darii defuncto adſidens corpori, venit. Hîc verò renovatus eſt mœror, ut proſtratam humi vidit* ——— *Crederes Alexandrum inter ſuas neceſſitudines flere, & ſolatia non adhibere ſed quærere, cibo certè abſtinuit*, &c. Nemo non videt hæc nimia eſſe; quòd ſi Alexander uſque adeò humanus erat, debuiſſet ad virum uxorem remittere, ad patrem filias, ad filium matrem, quod tamen non fecit. Certè mulieres Darium non adjuviſſent, ad bellum reparandum. Nimis durus, hac in re, fuit Alexander; in lacrimis verò, nimis humanus.

6. Ad

* *Lib. III. C. II, 9.* † *Lib. IV. C. X, 20.*

6. Ad alia Hyperboles exempla digitum tantùm intendam, ne Scriptorem, omnium manibus tritum, tædioſè exſcribere videar. Adito ergo deſcriptionem ſitientium Lib. IV. Cap. XVI, 12. & ſeqq. obſidionis Tyri Lib. IV. Cap. II. & *ſeqq.* & lege quæ de ea habet *Arrianus* ſub finem Lib. II. itineris per montes Perſidis Lib. V. Cap. IV. quam confer cum *Arriano* Lib. III. pag. 65. pugnæ quam edidit Alexander in Oxydracarum urbe Lib. IX. C. V. aliáque ſimilia, ubi magna Hyperbolicarum loquutionum ſeges.

7. *Tertiò*, non Hyperbolas modò Poëticas adhibet, ſed etiam aliquando intolerando prorſus tumore turget, ut ferè neſcias quid ſibi velit. Tale eſt quod habet in Alexandro, ab Hammonis oraculo reduce: * *Memnonis, Tithoníque celebrata regia vetuſtatis avidum trahebat pænè* EXTRA TERMINOS SOLIS. Memnonis regia illa Thebis erat, in ſuperiore Ægypto, nec procul inviſenda. Dein quid eſt *extra terminos Solis*? Debuiſſet potiùs dicere *intra terminos Solis*, hoc eſt, intra Tropicos, nam in meridiem eundum erat, quamquam, ut dixi, non procul. Verùm in animo habebat † Virgiliana illa:

——— *jacet extra ſidera tellus,*
Extra anni, Solísque vias.

Sed *Virgilius* intellexit occiduos Africæ tractus, & Poëtæ condonantur, quæ in Hiſtorico non feruntur.

8. Tu-

* *Lib. IV. C. VIII, 3.* † *Æneid. VI, 795.*

8. Tumidiſſima eſt deſcriptio imbris & frigoris, Lib. VIII. C. IV. quam non exſcribemus. Poſtquàm fulmina, imbrémque & grandinem ſimul cadentia deſcripſit, ita pergit: *Ergo, ordinibus ſolutis, per totum ſaltum errabundum agmen ferebatur; multíque priùs metu quàm labore defatigati, proſtraverunt humi corpora, quamquam imbrem vis frigoris, concreto gelu, adſtrinxerat.* Non dicam rarò tum cadere grandinem, rarò pluere, rarò fulmina delabi, cùm tantum poteſt oriri frigus, ut imber concreto gelu adſtringatur; ſed quæram quî milites uſque adeò procellâ terreri poſſent, ut ſolo metu defatigarentur, & animum deſponderent; deinde quodnam hoc ſuffugium eſſet contra frigus, jacere humi, quam contexit glacies? Hæc certè, præter tumorem, ſonitúmque inanium verborum, nihil habent; ſed deteriora ſunt ſequentia: *Alii ſe ſtipitibus arborum admoverant, id plurimis & adminiculum & ſuffugium erat. Nec fallebat ipſos morti locum eligere, cùm immobiles vitalis calor linqueret; ſed grata erat pigritia corporum fatigatis, nec recuſabant exſtingui quieſcendo.* Quaſi verò malint homines frigore mori ſtantes, quàm incedere, aut è ſilicis venis ignem excitare! *Quippe non vehemens modo, ſed etiam pertinax vis mali inſiſtebat.* Frigus, nimirum, ut videtur, quod facile fuit igne vincere, aut per aliquot horas præſertim incedentibus ferre. At *lucem naturale ſolatium, præter tempeſtatem haud diſparem nocti, ſylvarum quoque umbra ſuppreſſerat.* Erátne umbra hæc truncorum, & ramo-

morum ſine frondibus? Certè non alia eſſe potuit tempeſtate anni, quâ milites, in frigida regione, ſi cum India conferatur, nati, innumeris laboribus indurati, frigore exanimabantur. Verùm quî tanta eſſe poterat arboribus foliis nudatis, *ut lucem ſupprimeret*? Oblitus erat *Curtius*, tempore, quo foliis veſtitæ ſunt arbores, tantum frigus non oriri. *Rex unus* (nam ſolus, in tanto exercitu, frigore non obtorpuerat) *tanti mali patiens.* Sed quid tandem factum, in illa calamitate? Audi Rhetorem: *Ceterùm efficacior in adverſis neceſſitas, quàm RATIO, frigoris remedium INVENIT; dolabris enim ſilvas ſternere adgreſſi, paſſim acervos ſtruéſque accenderunt.* Annon videntur Macedones ſimiles hominibus, primùm ex terra editis, qui neſciunt quî frigus expelli poſſit, & caſu, potiùs quàm ratione, artem excitandi ignis, & ſe ſe calefaciendi inveniunt? Debuiſſet noſter hiſce omnibus τερατολογίαις addere, non ab hominibus, qui frigentes licèt ea de re ne cogitabant quidem, ſed fulmine accenſum eſſe ignem, ut apud primos homines, quibus

Fulmen * *detulit in terras mortalibus ignem*
Primitus; inde omnis flammarum diditur ardor.

Sic tumidus ſtylus tandem, tumore ſuo, fit frigidus. Sed, quod miremur, alibi etiam *Curtius* circuïtione uſus eſt, ad dicendum fri-

* *Lucretius Lib. V.*

gentes Macedonas ignem accendiſſe: * *Fortè caſtris*, inquit, *ante mœnia ipſa in ſilveſtri loco poſitis, nocturnum frigus vehementiùs quàm aliàs horrore corpora adſecit, opportunúmque remedium ignis oblatum eſt. Cæſis quippe ſilvis flammam excitaverunt, quæ igni alita oppidanorum ſepulcra comprehendit.* Alius dixiſſet, cùm eâ nocte inſolitum frigus ortum fuiſſet, Macedonas ſolito etiam majores ignes accendiſſe. At noſter, dum rem humilem vult rhetorico ſtylo nimiùm extollere, in frigus incidit. Quid eſt *flamma igni alita*? † *Tanaquillus* quidem *Faber* legit, *lignis alita*; ſed hoc quoque frigidum eſſet, nam quid opus eſt dicere flammam *lignis ali*? quis hoc ignorat? Sed ut redeamus ad prioris frigoris deſcriptionem, ſequentia omnem τιραιολογίαν ſuperant: *Memoriæ proditum eſt quoſdam adplicatos arborum truncis, & non ſolum viventibus, ſed inter ſe conloquentibus ſimiles eſſe conſpectos durante adhuc habitu, in quo mors quemque comprehenderat.* Frigus, nimirum, hoc in Indiæ ſilva, Arctoo frigore multò majus, idem poterat, ac Meduſæ caput, efficere, ut homines ſtantes, momento temporis, in ſtatuas mutarentur; &, quod multò mirabilius eſt, ut qui ſtare poterant, incedere nollent, malléntque ita perire, quàm accendere ignem. In ſequentibus, credo eſſe mendum, niſi calamus etiam *Curtii*, dum hæc ſcriberet, obriguerit. *Fortè Macedo, gregarius miles, ſéque & arma ſuſtentans tandem in caſtra pervenerat.*

* *Lib. VIII. Cap. X, 7.* † *Ep. Crit. P. I. Ep. LV.*

nerat. Nihil frigidius additione, illâ, *ſéque & arma ſuſtentans*; poterátne gregarius miles incedere, niſi *ſe & arma ſuſtentaret*? Editio *Barthol. Merulæ* rectè habet: *vix ſéque & arma ſuſtentans*, ſive ex Codice MS. ſive ex conjectura. Sunt & alia, quæ meritò in hac deſcriptione carpi queant; ſed quæ diximus rem, quam hîc ſpectamus, in clara luce collocant. Hanc animadverſionem claudemus, veriſſimo judicio eximii *Critici*: * ὅλως δ' ἔοικεν εἶναι τὸ οἰδεῖν ἐν τοῖς μάλιστα δυσφυλακτότατον. φύσει γὰρ ἅπαντες οἱ μεγέθους ἐφιέμενοι, φεύγοντες ἀσθενείας καὶ ξηρότητος κατάγνωσιν, οὐκ οἶδ' ὅπως ἐπὶ τοῦθ' ὑποφέρονται, πεισθόμενοι τῷ,

Μεγάλως ἀπολισθαίνειν ἀμάρτημ' εὐγενές.

Καλοὶ γὰρ ὄγκοι, καὶ ἐπὶ σωμάτων καὶ λόγων, οἱ χαῦνοι καὶ ἀναλήθεις καὶ δήποτε περιστάντες ἡμᾶς εἰς τοὐναντίον. οὐδὲ γάρ, φασι, ξηρότερον ὑδρωπικοῦ: *Videtur omnino tumor inter ea eſſe, quæ difficillimè vitantur. Quicumque enim ejus ſunt indolis ut granditatem ſtyli adfectent, dum verentur ne infirmitatis & ſiccitatis damnentur, neſcio quomodo in hoc ipſum delabuntur, ſequuti hoc dictum*; magnis excidere peccatum nobile eſt. *Malus vero eſt tumor, & corporis & orationis, fungoſus eſt & vero ſucco deſtitutus, & aliquando etiam in contrarium nos conjicit. Hydropico enim, aiunt, nihil eſt ſiccius.*

* *Longini de Sublim. Cap. III. §. 9.*

9. *Quartò*; qui granditatem ſtyli nimiùm captant, ii ut plurimùm frequenter in ἄκυρα incidunt; qualia in *Curtio* plura animadvertimus, ex quibus pauca proferemus Librum V. ita inchoat: *Quæ interim, ductu imperióque Alexandri, vel in Græcia, vel in Illyriis, ac Thracia geſta ſunt; ſi quæque ſuis temporibus reddere voluero, interrumpendæ ſunt res Aſiæ.* Qui Latinè ſciunt, ii norunt ea dici geri *ductu, imperióque* ducis, quæ ipſe præſens gerit; *auſpiciis* verò, quæ per legatos; quam vocem hîc adhibitam oportuit, cùm ſermo ſit de rebus ab Antipatro geſtis, dum Alexander in ultima Aſia eſſet. Ipſe *Curtius* ſe damnabit, prolato loco ex Lib. VI. C. III, 2. ubi de his ipſis rebus ita loquitur: *Ut omittam Illyrios, Triballos, Bœotiam, Thraciam, Spartam, Achæos, Peloponneſum; quorum alia ductu meo* (præſens, nimirum) *alia imperio, auſpicioque perdomui.* Sed & hîc mallem omiſſam eſſe vocem *imperio*, quæ vix differt à *ductu*. Vide, de diſcrimine *ductûs* & *auſpiciorum*, *Juſt. Lipſium* de Milit. Romana, Lib. II. Dial. 12.

10. Lib. IX. Cap. XIV, 24. ita loquitur: *Momento temporis, repreſſus eſt imber, ceterùm adeò ſpiſſæ intendêre ſe nubes, ut conderent lucem, vixque conloquentium inter ipſos facies noſcitaretur.* Propriè dicendum fuit *nebulas*, nam *nubes* altiores ſunt. Scio à Poëtis hæc miſceri, ſed non ſine ἀκυρολογίᾳ, quæ Hiſtorico minùs licita eſt *Iſidorus* Lib. XIII. C. 9. *Nebula inde dicta, unde & nubila*,

bila, ab obnubendo, hoc est, operiendo terram, sive quòd nubes volans faciat. Exhalant enim valles humidæ nebulas, & fiunt nubes —— Nebulæ autem ima petunt, cùm serenitas est; summa, cùm nubilum. Sic *Livius* Lib. XXXVII. Cap. 41, 2. Nebula *matutina, crescente die, levata in* nubes, *caliginem dedit.*

11. Est ἄκυρον frequentissimum in *Curtio*, quo * *regia* pro tentorio regis dicitur; cùm certum sit subaudiri *domum*, quæ vox Latinè de tentorio à nemine dicatur. *Paulus* Diaconus: *Regia; domus ubi rex habitat.* Prætitisset ergo dicere semper regium tentorium, aut prætorium.

12. Sed nulla esset ἀκυρολογία minùs tolerabilis, si locus sanus esset, quàm quæ est Lib. IX. C. VII, 16. ubi ita de Dioxippo: *Pugil nobilis, & ob eximiam virtutem virium Regi pernotus & gratus.* Nemo umquam, ut puto, dixit *virtutem virium*: sed cùm legatur in Palatino MS. *virium magnitudinem*, rescribendum omnino crediderim: *eximiam virtutem, viriúmque magnitudinem* Sic de Dioxippo, cjúsque adversario loquitur *Diodorus* Siculus, Lib. XVII. p 567. ἀμφοτέρων ᾗ τῇ τι τὰ σώματος ῥώμῃ, καὶ τῇ τ' ἀλκῆς ὑπεροχῇ θαυμαζομένων οἱονεὶ τὶς θεομαχία μέλλουσα γίνεσθαι προσεδοκήθη: *cùm uterque, propter vires corporis, & eximiam fortitudinem, admirationi esset, quasi futura quædam Deo-*

 rum

* *Vide Lib. IX. C. V, 30.*

rum pugna exſpectabatur. Scio *virtutem* interdum dici proprietatem & efficaciam, ut quando de *virtutibus* herbarum, aut medicamentorum ſermo eſt; ſed *virtutem virium* neminem alium dixiſſe puto. Hac unâ ratione, defendi hæc loquutio poſſit, ſi dicatur eſſe Helleniſmus; quia, apud Græcos, dos quævis ἀρετὴ dicitur, & fortè dici queat διὰ τὴν διαφέρουσαν ἀρετὴν ἰσχύος, *propter eximiam virtutem virium*, ut *Plato* dixit Lib. X. δι ἀρετὴν πολιτείας, *propter præſtantiam formæ reipublicæ*, non procul ab initio. Sed Helleniſmos non uſque adeò ſectari videtur *Curtius*, ut propterea inuſitatum, apud Latinos, loquendi genus adhibuerit.

13. *Quintò*, * quo vitio declamatores ævi illius laborabant, *Curtius* eſt nimius in ſententiis, quas non modò in orationibus, ſed & in narratione & obliquas, & directas paſſim ingerit. Harum exempla non proferam, cùm ubique occurrant, atque ex majuſculis litteris, quibus in adcuratioribus editionibus ſunt expreſſæ, vel à pueris dignoſci queant. Hoc tantùm dicam, ne nimia directarum copia Lectori diſpliceret, *Curtium* interdum obliquas interponere, quæ pænè vi in eam formam detortæ ſunt. Sic Lib. X. C. I, 6. de iis qui Parmenionem occiderant, quíque ob alia ſcelera apud Alexandrum accuſabantur: *Plerique amicorum Alexandri —— læti recidiſſe iram in iræ miniſtros, nec ullam potentiam*

* *Vide* Quintilianum *Lib. IX. C. 5.*

tentiam ſcelere quæſitam cuiquam eſſe diuturnam. Directa ſententia eſt: *NULLA potentia ſcelere quæſita cuiquam eſt diuturna*; quâ egregius ſenſus rectè exprimitur. Sed ut obliqua fiat, & uni eventui aptetur, debent voces *univerſales*, ut cum Logicis loquar, in *ſingulares* mutari, aut omitti. Itaque dicere debuit *Curtius*: *læti recidiſſe iram in iræ miniſtros*, & *potentiam ſcelere quæſitam illis non fuiſſe diuturnam.* Alioquin *univerſalibus* vocibus expreſſa, quamvis in obliquam formam inflectatur, *eminet extra corpus orationis*, nec *intexto veſtibus colore nitet.*

14. Hæc & ſimilia digna ſunt, quæ diligenter animadvertant; ne talibus locis vim inferamus, quòd ejuſmodi gnomæ non ſatis commodè expreſſæ ſint. Exempli gratiâ, ita *Curtius*, de fuga exercitûs Darii, poſt prælium ad Iſſum commiſſum: * *Tum verò ceteri diſſipantur metu, & quà cuique patebat ad fugam via, erumpunt; arma jacientes, quæ paullò antè ad tutelam corporum ſumſerant; adeo pavor etiam auxilia formidabat.* Quædam editiones Batavæ habent *formidat*, quo modo etiam ex conjectura legendum cenſet vir acutiſſimus † *Tan Faber Eſt enim*, inquit, *gnome, quæ ad omnes omnium temporum homines pertinet; qui metu correpti præſidia ſua abjiciunt, quæ retinere debuerant.* Sed ſimilis ratio ſuaſerit, emendandum etiam eſſe locum ſuperiorem, quod nemo audeat.

* *Lib. III. C. VI*, 12. † *Ep. LI. P. I.*

15. Ut nunc ad orationes veniamus, quas directas plurimas habet *Curtius*, ut vix totidem alibi occurrere in tam parvo volumine existimem; ante omnia, profiteri necesse habeo me esse in eorum sententia, qui in Historia gravi orationes omnes & directas & obliquas omittendas censent, nisi exstent, aut earum sententia certissimè sciri possit. * Scio quid viri eruditi scripserint, ut ostenderent licere Historico orationes tribuere iis, quorum res gestas scribit; non quales habuerint, sed quales habere potuerint, aut etiam, judice Historico, debuerint, ad res ipsas quod attinet; quamquam fatentur, plerosque omnes, qui loquentes inducuntur, eloquentiâ, & ingenio nequaquam Scriptorem æquasse. Scio etiam plerosque ex Veteribus ejusmodi orationes Historiis suis inseruisse. Sed, si verum amamus, elegantia orationum, quas in iis legimus, judicio eorum, qui eas in Historia probant, præstigias fecit; nam nulla ratio est, quâ possit homini Veri amanti persuaderi, in hac re, licere Historicis ementiri. Neque enim multò minus mendacium est, inducere hominem dicentem quod non dixit, quia dicere potuit; quàm describere facientem, non quod fecit, sed quod poterat facere. Si credibile sit eos, quorum vitæ, aut res gestæ litteris mandantur, rationibus quibusdam usos, aut permoros fuisse, quas Historici commenticiis illis orationibus intexunt; eas proferat ipse Historicus suo nomine, moneátque Lectores se

* *Vide* G. J. Vossium *in Arte Historica Cap. XX. & XXI.*

ſe exiſtimare has, aut ſimiles fuiſſe rationes; quibus ii, de quibus ſcribit, adducti fuerint ad ea gerenda, quæ fecerunt. Quod cùm ſit, nemo queri poteſt ſe falli, quamvis fortè in Hiſtorico majus judicium, aut acumen deſideret; neque ex rationibus ita expoſitis aut minor lux Hiſtoriæ oritur, aut tenuior utilitas ad Lectores redit: nihil enim in orationibus directis dici poteſt, quod non æquè commodè exprimatur, in obliqua rationum expoſitione.

16. Tantùm abeſt, ut Veritati quæ ſola in Hiſtoria ſpectanda eſt, quaſi potiſſimus ſcribentis finis, ſatisfiat fictis orationibus, ut ne veriſimilitudo quidem ſervetur. Nam quid abſurdius fingi poteſt, quàm idiotas, aut barbaros, inducere loquentes æquè eleganter & diſertè, ac ſi per multos annos Rhetoricæ operam dediſſent? Quid ineptius ac putidius, quam omnes, qui loquentes inducuntur, æquè eloquentes videri? Hoc autem animadvertet, quiſquis orationes directas, non modò *Curtii*, ſed quorumvis Hiſtoricorum leget. Si conſuetudo hæc toleranda ſuadet, at ratio, verique, imò & decori ſtudium ferri non poſſe clamant; querentúrque ſemper Veritatem, ornamentis Mendacii ita corrumpi, non illuſtrari.

17. Præterea hac quoque ratione fit, ut contra decori leges, ab imprudentibus Hiſtoricis, graviſſimè alio modo peccetur. Rectè monuerat *Calliſthenes*, ut docet *Athenæus* de machinis, p. 2. Ed. Par. *eum, qui ſcribere aliquid inſtituit, à perſona minimè aberrare debe-*

re, ſed ſermones cum perſonæ, tum rebus convenientes adhibere. Δεῖ τὸν γράφειν τι πειρώμενον μὴ ἀσοχεῖν τῷ προσώπῳ, ἀλλὰ οἰκείως αὐτῷ τι καὶ τοῖς πράγμασι τὰς λόγους θεῖναι. Sed cum omnibus ſuam eloquentiam commodent, non modò doctos & indoctos pari dicendi facultate inſtructos producunt; ſed etiam cùm ſit unum Hiſtorico ingenium, quod non facilè alienos mores induit, eóſque diverſiſſimos; omnes quibus orationes mutuas dat, ii ex indóle non ſua, ſed Scriptoris, loquuntur. Apud *Curtium* omnes ſunt declamatores, qui Scriptoris ingenio ſapiunt, non ſuo. Darius declamat, Alexander declamat, milites ejus declamant; * Scythæ ipſi, omnium litterarum rudes, rhetorico calamiſtro inuſti in medium prodeunt. Hòc in memoriam mihi revocat familiam illam, quæ tota cantabat. Pedes abluentes convivis, & paronychia tollentes, in hoc tam moleſto officio, obiter cantabant. Potionem poſcentem paratiſſimus puer non minùs acido cantico excipiebat; & quiſquis aliquid rogatus erat ut daret. Pantomimorum, non patris familiæ, triclinium credidiſſes. Sic, apud *Curtium*, omnes ſunt diſerti, & Rhetores; omnes gnomas multas, vel minimâ loquendi occaſione oblatâ, profundunt.

18. Sed & ſenſim, cum hiſce figmentis, ſubit major fingendi licentia. Qui adſueti ſunt ſuum ingenium, ſuámque dicendi facultatem loquentibus commodare, iidem paullatim

* *Lib. VII. C. 8.*

tim prudentiam res gerentibus mutuam dant, circumſtantiásque, pro ſua ſapientia, addunt, quando in antiquiorum Scriptis eas non inveniunt, ut ſic tandem Hiſtoria in Mileſiam fabulam, magna ex parte, mutetur. Quòd ſi contingat Scriptorem non ſatis eſſe peritum rerum, temporum aut locorum, non mendacia modò, ſed repugnantia naturæ rerum ab eo proferuntur. Víſne exemplum ex *Curtio*? En tibi duplex, & quidem inſigne Lib. X. Cap. I, 24. Orſines, Perſagadarum Satrapa, dicitur *Regi cum omnis generis donis, non ipſi ea, ſed etiam amicis ejus, daturus occurriſſe*: cúmque hos *donis ſuper ipſorum vota coluiſſet*, *Bagoæ ſpadoni, qui Alexandrum obſequio corporis devinxerat ſibi, nullum honorem habuit, admonitúſque à quibuſdam quàm Alexandro cordi eſſet, reſpondit*: amicos Regis, non ſcorta, ſe colere; nec moris eſſe Perſis mares ducere, qui ſtupro effœminarentur. *Quibus auditis, ſpadò potentiam flagitio & dedecore quæſitam, in caput nobiliſſimi & inſontis exſeruit.* Generoſum profectò eſt hoc reſponſum Orſinis, & dignum etiam Macedone; ſed ita loqui non potuit homo Perſa, qui ſciebat Darium alii Bagoæ regnum debuiſſe, & cum memorato conſueſſe. Quibus perſuadere poſſet *Curtius*, nobilem Perſam, & ad ampliſſimos honores evectum, id ignoraſſe quod * multi Græci ſcripſerunt, ipſéque adeò *Curtius* litteris prodidit? Ita enim loquentem inducit Alexandrum Lib. V. Cap. III,

* *Vide Supplementorum Freinshemianorum Lib. II. c. I, 1.*

III, 12. *Ne Darius quidem hereditarium Perſarum cepit Imperium; ſed in ſedem Cyri, beneficio* BAGOÆ, *hominis caſtrati, admiſſus.* Capite ſequente §. 10. in litteris Nabarzanis, legimus, *Darium, cùm occidiſſet Bagoam, hac excuſatione ſatisfeciſſe popularibus, quod inſidiantem ſibi interemiſſet.* Poſtea Cap. V, 23 inter dona, quibus Nabarzanes Alexandrum placare conatus eſt, dicitur fuiſſe *Bagoas ſpecie ſingulari ſpado, atque in ipſo flore pueritiæ; cui & Darius fuerat adſuetus, & mox Alexander adſuevit.* Fuerat etiam *Teridates*, puer Eunuchus, *Artaxerxi* in deliciis, ut docet *Ælianus* Var. Hiſt. Lib. XII. Cap. I. in Aſpaſiæ hiſtoria. Nemo jam non videt *Curtium* finxiſſe reſponſum rei ipſi contrarium, dum vult homini è poſteris Cyri digna tantâ nobilitate verba commodare; aut ſummùm alium non prudentiorem exſcripſiſſe.

19. Sed & Alexandro dum providentiam ſuam mutuam nimis benignè dat, ſtultè ſe ſe eum gerentem inducit; quod profectò fieri non potuit, in re uſque adeò tunc temporis Macedonibus explorata. Alexander, paullò ante mortem, infinita animo complexus, ſtatuerat omni ad Orientem maritimâ regione perdomitâ, ex Syria petere Africam Carthagini infenſus; tum alia facere in Occidente, quæ memorat *Curtius* Lib. X. C. I, 17. Quam expeditionem animo conceptam ut exſequi poſſet, *Meſopotamiæ prætoribus imperavit, materiâ in Libano monte cæſâ, devectâque ad urbem Syriæ Thapſacum, ingentium carinas navium*

vium ponere ; ſeptiremes omnes eſſe, deducíque Babylonem. Non dicam mandari potiùs hoc debuiſſe Syriæ Prætori, in cujus præfectura ſitus erat mons Libanus ; ſed quis non videt ineptire noſtrum Rhetorem, qui * ſeptiremes in Euphrate inſtituit, ut ex Syria petat Africam, quâ mari interno obtenſa eſt? At eam claſſem paratam fuiſſe in Arabas, útque coloniæ circa Sinum Perſicum mitterentur, docet *Arrianus* Lib. VII. Verùm hoc fortaſſe vult *Curtius*, hiſce verbis : *omni ad orientem maritimâ regione perdomitâ*, quibus verbis deſignari poteſt Arabia. Verùm digna res erat, quæ pluribus exponeretur, ut omnis ambiguitas tolleretur ; alioquin ea peccavit *Curtius* in Geographiam, quæ facilè perſuadent eum credidiſſe ex Euphrate poſſe, breviſſimâ viâ, Carthaginem navigari. Certè hoc eum voluiſſe ſuadet magnitudo navium, quarum hîc meminit ; majoribus enim non ſolebant vulgò navigare mare mediterraneum, nec aptæ erant Euphratis & Tigridis alveis.

20. Hæc de *Curtii* ſtylo dicenda habebamus, quæ pluribus exemplis illuſtraſſemus, & copioſiùs perſequuti eſſemus ; niſi ejus Hiſtoria omnibus manibus verſaretur, & quæ diximus adeò eſſent manifeſta, ut quicumque Latinè ſciunt ea ſic, ut demonſtravimus, ſe habere nullo negotio videre poſſent. Nec tamen nos elegantiæ ejus ſtyli, & ſententiarum

* *Qui ſciunt quid ſit ſeptiremis, Euphratem tantas naves ferrè potuiſſe non facilè concedent. Maximas quinqueremes memorat* Arrianus, *eáſque tantum duas*, p. 161. *Lib. VII.*

rum quidquam detractum imus, aut propterea minùs ſumus adoleſcentibus ejus legendi auctores; modò eum quaſi Rhetorem habeant, cujus lectione ſtylus expoliri poteſt, & adſurgere, ſi neceſſe ſit; atque ex quo egregias ſententias excerpant, quamquam nimis crebras, & alienis locis poſitas; non quaſi Hiſtoricum, Veri ſtudioſum, cui adcredere poſſint, aut quem liceat, in Hiſtoria ſcribenda, per omnia imitari, ſi quis eò ſtudia ſua convertet.

CAPUT IX.

Q. Curtium laudatorem potiùs eſſe ambitionis nimiæ Alexandri, quàm vituperatorem. Egregia de illa Senecæ & Lucani loca.

1. CUM Hiſtoria ſcribatur, non delectandi cauſâ, ſed docendi; ejus Legibus cautum eſt, ut Hiſtorici vitia, de quibus loquuntur, aut diſertè damnent, aut ita deſcribant, ut intelligant Lectores vitia eſſe, bonis omnibus diligenter fugienda. Nec ea vitia dumtaxat intelligenda, quæ aperta ſunt, ſed etiam quæ ſpecie virtutum induta minùs perſpicaces fallunt. Inter priora fuerunt ebrietas, ſuperbia, crudelitas, quæ in Alexandro, poſt ſuperatum Darium, ſe ſe exſeruerunt, & quæ non rarò caſtigavit *Curtius*. Sed poſterioris generis fuit illa inexſtincta regnandi cupidi-

piditas, quâ Alexander, non modò Perſis, ſed & innumeris pacatis Gentibus, quæ nullâ ratione eum læſerant, imò ne quidem noverant, bellum intulit. In eo adfectu, ſuperbia, injuſtitia, crudelitas, ignorantia ſui, conjunctæ ſunt cum juris divini & humani tanto contemtu, ut vix ullum ſit deterius, atque exitialius vitium. Hoc factum ut innumeræ innocentiſſimæ familiæ, urbes, nationes ab Alexandro ſint bello vexatæ, direptæ, & aliquando ad internecionem deletæ. Superbis, libidinoſis, avaris & crudelibus militibus ac præfectis, gentes maximæ, hoc vitio, omnibus calamitatibus impunè mactandæ traditæ ſunt. Attamen Græci Scriptores hæc ſcelera, atque latrocinia tantùm abeſt ut damnent; ut conſceleratum Regem, crudeliſſimúmque exercitum, nobis, quòd audacter hæc omnia fecerit, quaſi heroas quoſdam deſcribant; nec ab eorum ſententia diſcrepat *Curtius*, qui ubique quantopere hæc admiraretur oſtendit. Quod ſi Ethicæ Philoſophiæ tantam operam dediſſet, quantam dediſſe videri voluit, frequenti illo moralium gnomarum uſu, quas ubique adhibet, numquam paſſus eſſet à Græculis ſibi fucum ita fieri; numquam, cum vulgo, uſque adeò deſipuiſſet, ut horrenda facinora Virtutis veſte indueret, & laudibus ornaret. Hac in re, etiam agnoſcere licet declamatoris ingenium, quod ſpecioſa ſectatur, & vulgo plaudenda, potiùs quàm vera & ſapientibus placitura.

2. Dixerit hîc fortè quiſpiam, nos ea poſtula-

tulare ab Ethnico, quæ ſupra cognitionem Ethnicorum erant poſita. Quod meliùs confutare non poſſumus, quàm adlatis Ethnicorum teſtimoniis, qui *Curtio* antiquiores erant. Eorum hac de re judicia digna ſunt, quæ & hîc & alibi legantur; nam & hodie multi Chriſtiani vix *Curtio* oculatiores ſunt. Igitur ea integra proferre non gravabimur.

3. Auctor eſt * *Plutarchus*, *Ariſtotelem* nonnulla ſcripſiſſe ad Alexandrum, ut ſuperbiam ejus retunderet, quæ utinam integra exſcripſiſſet; ex iis enim clariùs adpareret quid de eo ſenſerit Philoſophus, cui notiſſimus erat. Quæ profert ea ſunt ſubobſcura, ſed fortè datâ operâ, ad veſanum juvenem, ſcripſerat obſcuriùs *Ariſtoteles*. Οὐ μόνον, ἔφη, τοῖς πολλῶν κρατοῦσιν ἐξεῖναι μέγα φρονεῖν, ἀλλὰ καὶ τοῖς περὶ θεῶν δόξας ἀληθεῖς ἔχουσι. χρήσιμα δ' καὶ πρὸς πολεμίους καὶ πρὸς ἐχθροὺς τὰ τοιαῦτα.

Δυσὶν δέ τι παιδὶ ἐμοὶ μένει ἀντιόωσι.

Καὶ περὶ δ' Περσῶν βασιλέως, μεγάλα δ' καλυμένω, ὁ Ἀγησίλαος, τί δ' ἐμοί γε μείζων ἐκεῖνος, εἰ μὴ καὶ δικαιότερος; *dixit non his tantùm, qui magnum tenerent imperium, permiſſum eſſe magnificè de ſe ſentire; ſed his etiam, qui veras opiniones de Diis haberent. Utilia ſunt etiam adverſùs hoſtes & inimicos iſthæc:*

Progna-

* *De ſui laude p.* 545. T. II.

Prognatos miſeris noſtræ ſors objicit haſtæ.

Et de Perſarum Rege, qui magnus vocabatur, Ageſilaus: qui, inquit, major me eſt, niſi & juſtior? Duo hiſce, ſi quid judico, ſignificare voluit *Ariſtoteles*; primùm eos non poſſe gloriari, qui ampliſſima imperia ſubegiſſent, quemadmodum Alexander; niſi pietatem erga Numen colerent, quæ in illo nulla fuit, cùm Diis æquari vellet; deinde nullâ laude dignos eſſe eos, quibus regna maxima parêrent, niſi ſimul benefici & juſti eſſent; quorum neutrum fuit Alexander. Si enim beneficentiam ejus comparemus cum calamitatibus, quas innocuis intulit; numquam effugiet quin cenſeatur iræ divinæ flagellum, nedum ut humani generis deliciæ haberi queat. Pro perpaucis militibus, hoc eſt, carnificibus, pro aliquot meretricibus, adulatoribus, aut tyrannis, quos muneribus donavit, aut benigniùs habuit; quot myriadas hominum, & familiarum fortunis omnibus evertit, crudeliter vexavit, atque è medio ſuſtulit? Miſeros omnes reddidit, qui ſua contra ejus rapacitatem tueri paullò conſtantiùs auſi ſunt; nec potuit *Ariſtoteles* meliùs maleficam illam indolem deſcribere, quàm verſu Homerico, quo utitur Achilles, ſimilis veſaniæ exemplar; ad quod ſe ſe componebat Alexander, qui & ab illo ortum ſe gloriabatur:

Prognatos miſeris noſtræ ſors objicit haſtæ;

cùm orbos fecerit innumeros parentes, qui florentes ætate liberos, dum patriam pio & justo bello defenderent, amiserunt. Justum ejusmodi hominem nemo dixerit, qui omnia sua esse contendebat, séque natum ut omnibus imperaret, ceteris verò mortalibus solam gloriam obsequii relictam; quem denique optimè pinxeris iisdem coloribus, quibus *Horatius* * pingi voluit Achillem:

> *Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,*
> *Jura negat sibi nata, nihil non adrogat armis.*

Hunc Spartanorum regulo, justitiæ observante, ex sententia Agesilai, quâ nihil verius, jure dixeris minorem; quamvis latissimè pateat ejus imperium. Hanc *Aristotelis* mentem fuisse omnino existimarim, obscuriùs licèt expressam, quòd sibi timeret à ferocissimi discipuli ira.

3. Utinam exstarent libri *Ciceronis*, de Republica! Sine dubio in iis summi viri gravissimum judicium de Alexandro legeremus; ut colligere est ex fragmento, quod ex tertio ejus Operis libro profert *Nonius Marcellus*. Est responsum Piratæ, ex quo intelligere potuit Alexander, quodnam discrimen inter se & ejusmodi homines esset; *nam cùm quæreretur ex eo*, inquit Cicero, *quo scelere compulsus mare haberet infestum uno myoparone? Eodem, inquit, quo tu orbem terræ.*

Vix

* *De Arte Poëtica,*

Vix dubito quin *Cicero*, ſuffragio ſuo, Piratæ reſponſum confirmaret; cum hæc verba ex eodem libro proferat idem Grammaticus: *Eſt genus injuſtæ ſervitutis, cùm ii ſunt alterius, qui ſui poſſunt eſſe*; quæ verba ad populos liberos, ab Alexandro ſubactos, pertinent.

4. Sed clariùs loquentem *Senecam* atque inſatiabilem hominis cupiditatem (nam cetera omitto vitia) damnantem audiamus. Cùm victor Orientis animos ſupra humana tolleret, Corinthii, aut Megarenſes, per legatos gratulati ſunt, & civitate illum ſuâ donaverunt. Ridenti verò Alexandro hoc officii genus, unus ex legatis, *nulli*, inquit, *civitatem umquam dedimus alii, quàm tibi & Herculi.* Tum libens accepit delatum honorem, cogitavítque non qui ſibi civitatem darent, ſed cui dediſſent; & homo gloriæ deditus, cujus nec naturam, nec modum noverat, Herculis, Liberíque veſtigia ſequens, ac ne ibi quidem reſiſtens, ubi illa defecerant, ad ſocium honoris ſui reſpexit à dantibus; tamquam cœlum, quod mente vaniſſimâ complectebatur, teneret, quia Herculi æquabatur. *Quid enim*, ſubdit Seneca, * *illi ſimile habebat inſanus adoleſcens, cui pro virtute erat felix temeritas? Hercules nihil ſibi vicit, orbem terrarum tranſivit, non concupiſcendo, ſed vindicando. Quid vinceret malorum hoſtis, bonorum vindex, terrarum, mariſque pacator?* *At hic à pueritia* LATRO,

* *De Beneficiis Lib. I. c. 13. ubi vide notas* M. Ant. Mureti.

GENTIUMQUE VASTATOR ; *tam hoſtium pernicies, quàm amicorum ; qui ſummum bonum duceret terrori eſſe cunctis mortalibus, oblitus non ferociſſima tantùm, ſed ignaviſſima quoque animalia timeri, ob virus malum.*

5. Cùm ea eſſet indoles Alexandri, is finis ejus bellorum ; mirum eſt *Curtium* ita adloquentem milites eum inducere potuiſſe ; ante Iſſicum prælium : * *illos terrarum orbis* LIBERATORES ; quaſi Macedones de cujuſquam liberatione cogitaſſent ! Verùm diu in illa imagine non hæret Alexander ; illico contrarium, ſed verum, ſubdit : *emenſósque olim Herculis & Liberi Patris terminos, non Perſis modò, ſed etiam omnibus gentibus* IMPOSITUROS JUGUM. Nimirum, *liberatores orbis* eo animo bellum gerebant, ut *omnibus gentibus imponerent jugum*. Sed ut commemoratus Hercules, cui conferre volebat *Curtius* Macedonas, effecit ut *liberatores* eos vocaret : ita Veritas ab eo extorſit ; ut in ſequentibus eos deſcriberet ; quaſi jugum omnibus gentibus impoſituros. Declamatores qui partim ex vero, partim ex libera fictione, loquuntur, non ſemper ſibi conſtant. Verùm ad *Senecam* redeamus.

6. Alibi, ne fortè temerè ab illo, loco adlato, caſtigatum Alexandrum quis putet, non minùs ſeverè de eo judicat : † *Alexandro*, inquit, *quamquam in littore maris rubri ſteterat, plus deerat, quàm quà venerat. Illius*

* *Lib. IV. C. X. 5.* † *De Benef. Lib. VII. C. 2.*

Eius ne ea quidem erant quæ tenebat, aut vicerat; cùm in Oceano Oneſicritus, præfectus claſſis, præmiſſus explorator erraret, & bella in ignoto mari quæreret. Non ſatis adparebat inopem eſſe, qui extra naturæ terminos arma proferret? Qui ſe in profundum, inexploratum & immenſum, aviditate cæcâ, prorſus immitteret? Quid intereſt quot eripuerit regna, quot dederit, quantum terrarum tributo premat? Tantum illi deeſt, quantum cupit.

7. Epiſtolâ CXIX. æquè graviter in eum invehitur: *Numquam parum eſt*, inquit, *quod ſatis eſt; numquam multum eſt, quod ſatis non eſt. Poſt Darium & Indos, pauper eſt Alexander Macedo. Quærit quod ſuum faciat, ſcrutatur maria ignota, in Oceanum claſſes mittit novas, &, ut ita dicam, mundi clauſtra perrumpit. Quod naturæ ſatis eſt homini non eſt. Inventus eſt qui concupiſceret aliquid, poſt omnia. Tanta eſt cæcitas mentium & tanta eſt initiorum ſuorum unicuique, cùm proceſſit, oblivio! Ille modò ignobilis anguli, non ſine controverſia, dominus, de tanto fine terrarum, per ſuum rediturus orbem, triſtis eſt.*

8. Ex hiſce ſatis liquet, infinitam illam alienorum cupiditatem, quæ in Alexandro fuit, audaciam & artem quibus ea invadebat, conjunctas cum viribus nocendi, quibus abutebatur; fuiſſe vitia longè maxima, eóque exitialiora, quò pluribus nocebant. Attamen, ſi credimus Rhetoribus & Poëtis, heroïcæ virtutes fuerunt; quibus factum eſt ut Alexander pænè dignus viſus ſit, qui Deo-

rum ordinibus adſcriberetur. Hiſce vitiis, ſed velatis nominibus fortitudinis, ſcientiæque militaris, vitia alia ita penſari exiſtimant, vix ut ea illi exprobrari patiantur. Sic, proh ſtultitiam! vitia minora vitiis multò majoribus excuſatum eunt; perinde ac ſi quis furtum, cujus accuſaretur, homicidio excuſaret.

9. Non potuit ei *Seneca* cædem *Calliſthenis*, egregii Philoſophi, ignoſcere, atque hoc ſolum ſcelus, omnibus, quæ in Alexandro laudari potuerunt, gravius exiſtimavit. *Hoc eſt*, inquit, *Alexandri crimen æternum, quod nulla virtus, nulla bellorum felicitas redimet. Nam quotiens quis dixerit*: occidit Perſarum multa millia; *opponetur*: & Calliſthenem. *Quotiens dictum erit*, omnia Oceano tenus vicit, ipſum quoque tentavit novis claſſibus, & imperium ex angulo Thraciæ, uſque ad Orientis terminos protulit; *Omnia licet antiqua exempla Regum, ducumque tranſierit; ex his quæ fecit nihil tam magnum erit, quàm ſcelus Calliſthenis.*

10. Ad id exemplum ſi licet ratiocinari, (& quidni liceat?) quoties dicetur in eo fuiſſe * *vis incredibilis animi, laboris patientia propemodum nimia, fortitudo non inter Reges modò excellens, ſed inter illos quoque, quorum hæc ſola virtus fuit*; objiciemus fuiſſe ſimu-

* *Curtius Lib. X. Cap. V, 25.*

mul incredibilem alieni cupiditatem, cui ut ſatisfaceret, nihil fuit tam ſanctum inter homines quod pedibus non conculcaret, nullum periculum quod non adiret, nullus labor quem recuſaret; adeò ut fures, latrones, piratæ, ex deſperatione rerum ſuarum, ad ſceleratas illas artes converſi, nihil ſint præ illo. Quoties in illo laudabuntur *liberalitas ſæpe majora tribuentis, quàm à Diis petuntur*; *clementia in devictos*; *tot regna aut reddita, quibus ea demſerat bello, aut dono data, & mortis, cujus metus ceteros exanimat, perpetua contemtio*; dicemus liberalem fuiſſe ex rapto, & plerumque in indignos, ſpoliatáque ab eo oppida & regna, ut alienas facultates in adulatores aut carnifices profunderet; clementem fuiſſe in eos ſolos qui ſe ei ſervire paratos ſignificabant, cùm non minùs liberi nati eſſent ac Macedones; contemtum verò mortis ex vecordia manaſſe, cùm, ne quid aliud dicam, omnia poſſideret, propter quæ vitam amare debebat; denique, ſi quæ fuit in eo ſignificatio virtutis, nullâ ratione eſſe æquiparandam cum latrocinandi libidine, quâ, quibuſcumque videbatur, inferebat bellum, niſi ſe ei in ſervitutem darent. Cùm mors communem hunc generis humani hoſtem rapuit, parabat, Oriente ſubacto, Occidentem, niſi ſibi ſponte parêret, incolarum ejus ſanguine inundare; qui tamen (plerique certè) vix illum de nomine norant, nec ubi locorum eſſet Macedonia ſciebant.

11. Sed non opus eſt verbis noſtris uti, ut oſtendamus res geſtas *Alexandri* memoriam

ejus inter homines infamare, potiùs quàm illuſtrare, ſi ſaperent, debuiſſe; audiamus * *Lucanum*, patrui egregiè veſtigia ſequutum, ejúſque verbis Caput hoc claudamus. Sic ille de ſepulcro Alexandri, quod Alexandriæ viſebatur:

Illic Pellæi proles veſana Philippi,
Felix PRÆDO *jacet, terrarum vindice fato*
Raptus. Sacratis, totum ſpargenda per orbem,
Membra viri poſuere adytis; Fortuna pepercit
Manibus, & regni duravit ad ultima fatum.
Nam ſibi libertas umquam ſi redderet orbem,
Ludibrio ſervatus erat, non utile mundo
Editus exemplum, terras tot poſſe ſub uno
Eſſe viro. Macedûm fines, latebrásque ſuorum
Deſeruit, victáſque patri deſpexit Athenas;
Pérque Aſiæ populos, fatïs urgentibus, actus
HUMANA CUM STRAGE *ruit, gladiumque per omnes*
Exegit gentes; ignotos miſcuit amnes,
Perſarum Euphraten, Indorum ſanguine Gangen.
Terrarum fatale malum, fulmenque quod omnes
Percuteret pariter populos, & ſidus iniquum
Gentibus. Oceano claſſes inferre parabat,
Exteriore mari. Non illi flamma, nec undæ,
Nec ſterilis Libye, nec Syrticus obſtitit Ammon.

Iſſet

* *Lib. X. verſ. 20. & ſeqq.*

Isset in occasus, mundi devexa sequutus.
Ambissétque polos, Nilúmque à fonte bibisset;
Occurrit suprema dies, naturáque solum
Hunc potuit finem vesano ponere Regi.

12. Jam nemo, opinor, hisce lectis, nos nimia exigere à *Curtio*, homine Ethnico, dicere poterit; cùm contendimus Alexandri latrocinia ab eo debuisse vituperari, si gravem Historicum potiùs quàm declamatorem egisset. Hoc unum hîc spectavimus; nam ad rem ipsam quod adtinet, eam subtiliùs tractare hîc adgressi non sumus. Obiter tamen adtigit *Curtius*, in oratione Scytharum, quæ legitur Lib. VII. C. VIII. & in qua hæc dicentes Scythæ inducuntur: *Tu qui te gloriaris ad latrones persequendos venire, omnium gentium, quas adisti, latro es.* Verùm non oportebat rem tantam obiter & dumtaxat in uno loco obliquè adtingi, sed & copiosiùs exponi, & frequentiùs, nec ab hostibus modò Alexandri, sed ab ipso etiam Historico, alienâ personâ minimè tecto, inculcari.

13. Hoc erat nostrum de *Curtio* judicium, quod qui non à contemtu elegantissimi Scriptoris, sed ab amore Virtutis & Veritatis, studióque juvandi Litteras & juvenes qui iis operam dant, profectum esse judicabit, æquum se & peritum judicem præstabit. Sanctè hoc adfirmare possumus, nec justam ullam rationem nobis hac in re fidei negandæ præbuisse confidimus. Attamen hoc judicium nobis fuit defendendum, ante

aliquot annos, quod Gallico ſermone fecimus *Bibliothecæ Selectæ* Vol. III. quo Lectorem amandamus. Nonnihil etiam, hac de re, in Præfatione *Pedoni Albinovano* præfixa diximus. Hìc plura non addemus, ne optimæ cauſæ diffidere videamur.

CAPUT X.

Aliquot loca Q. Curtii tentata, aut emendata.

1. USUS ſum primùm, in legendo *Curtio*, editione ſecunda *Joannis Freinshemii*, quæ prodiit Argentorati anno MDCLXX. Ea cùm habeatur emendatiſſima & libello variarum Lectionum, cùm ex Editionibus, tum ex Libris Manuſcriptis collectarum ornata ſit, inſtar omnium eſſe poteſt. Alias, niſi poſtea, non inſpexi, nec in iis quidquam quod magnopere eſſet *Freinshemianis* anteferendum inveni. Animadverti tamen virum diligentiſſimum, & laboris patientiſſimum non ſemel admiſiſſe eas Lectiones in contextum orationis, quæ falſæ ſunt, cùm veræ in aliis Editionibus legerentur; & Critico acumine, rariùs quàm par erat, aut etiam aliquando infeliciter uſum. Quod non eò dico, ut laboribus ejus quidquam detraham, quibus perſæpe & grato animo utor; ſed certum eſt colligendo & conſcribendæ Hiſtoriæ aptiorem fuiſſe, quàm conjiciendo aut dijudicando, quæ

quæ dos eſt maxima Critici. Exempla nonnulla, hoc in Capite, proferemus, ex quibus res fiet manifeſta.

2. Cùm mater & uxor Darium lamentarentur, quaſi in acie cecidiſſet; miſit Alexander ad eas Leonnatum, qui indicaret Darium vivere. Ille, cum paucis armigeris, ad earum tabernaculum ſe confert, miſſúmque à Rege ſe nunciari jubet. At ii, qui in veſtibulo erant, ut armatos conſpexere, rati actum eſſe de dominis; in tabernaculum currunt, vociferantes adeſſe ſupremam horam, miſſóſque qui occiderent captas. Itaque, ut quæ nec prohibere poſſent, nec admittere auderent; nullo reſponſo dato, tacitè opperiebantur victoris arbitrium. * *Leonnatus* verò, ait *Curtius*, *exſpectato diu, qui ſe intromitteret, poſteaquàm nemo PRODUCERE audebat; relictis in veſtibulo ſatellitibus, intrat in tabernaculum.* Ait ad hunc locum *Freinshemius*, in Bongarſiana, Lugdunenſi & Amſtelodamenſi editionibus legi *procedere*; *quod non adſplicet*, inquit, *ſed & Sebiſius ita legendum putabat.* De re clara non erat dubiè loquendum; nam *producere* abſurdum eſt, hoc in loco; ſignificat enim, ubi de hominibus ſermo eſt, egredientes comitari. Hîc verò neminem egredi auſum ait *Curtius*, quod ſignificat vox *procedere*. Rem notiſſimam exemplis probare nihil adtinet, ſed locum *Rufini* proferam, in re planè ſimili; qui licèt non ſatis caſtigatè ubique loquatur, ta-

* *Lib. III. C. XII*, 10.

tamen paſſim oſtendit melioris ævi Scriptores à ſe tritos fuiſſe. Sic ille, in Recognitionibus *Clementis*, Lib. I. c. 12. *Cùm hoſpitium* (Barnabæ & Petri, quos quærebat Clemens) *reperiſſem, atque ante fores conſtitiſſem, ingerebam janitori quis eſſem atque unde adventarem*; & *ecce Barnabas* PROCEDENS ——— *adprehenſum me manu introducebat ad Petrum.* Cùm deeſſet Leonnato, qui hoc faceret, ſponte ſuâ ingreſſus eſt. Ita etiam ſentire poſtea vidi *Joan. Schefferum* in notis in *Curtium*, quæ proſtare cœperunt Amſtelodami, anno 1698. & *Matth. Raderum* ſic edidiſſe.

3. Non multò * pòſt, narratâ humanitate Alexandri erga matrem, uxorem & filias Darii: *ſed nondum*, inquit, *fortuna ſe animo ejus infuderat; itaque orientem eam moderatè* & PRUDENTER *tulit, ad ultimum magnitudinem ejus non cepit.* Lege PUDENTER; hac enim in re pudor eſt, potiùs quàm prudentia. Vox eſt *Ciceronis*, *Catulli*, *Horatii*, aliorum. Huc facit *Auſonii* præceptum Epiſt. VIII.

• *Fortunam* reverenter *habe*, *quicumque repente*
Dives ab exili progrediere loco.

Ante nos, ita legendum viderat *Valens Acidalius.*

4. Lo-

* *Ibid.* §. 20.

4. Locus eſt in * *Curtio*, qui fruſtra Criticos exercitos habuit. Narrat ſupplicium ſumtum de Præfecto Damaſci, qui quaſi parum munimentis oppidi fidens, pecuniam regiam, cum pretioſiſſimis rerum, efferri juſſerat, fugam ſimulans; reverâ ut prædam Parmenioni offerret. Expoſitâ eâ fraude, direptionéque gazæ Perſicæ, ſubdit *Curtius*: *Ceterùm Dii tantæ ſortunæ proditorem*, SEPULTURÆ *celeriter debitâ pœnâ perſequuti ſunt*; *namque unus è conſciis*, *credo*, *Regis vicem*, *etiam in illa ſorte*, *reveritus interfecti proditoris caput ad Darium tulit. Matth. Raderus* & *Chr. Cellarius* omittunt *ſepulturæ*; quod tamen habent MSS. Suſpicatur *Freinsheimius*, legendum *ulturi*, ſed ſuæ conjecturæ non fidit. *Joan. Schefferus*, in notis poſthumis in *Q. Curtium*, legit *ſéque ulturi*, putátque vitium hoc natum ex eo quòd in libris antiquis eſſet ſcriptum *ſeq. ulturi*, per compendium, unde factum primùm *ſepulturi*, deinde *ſepulturæ*. At durum eſt verbum *ulturi* duplici ſignificatu, in una eadémque phraſi ſumi; nam alio ſenſu *ſe ulti* ſunt Dii, alio *ulti ſunt proditorem*, ut ipſe animadvertit *Schefferus*. *Tan. Faber* † audacior multò, ſed & acutior Criticus, legit *ſecurum ſceleris*. Sed hæc nimiùm abeunt à vetere ſcriptura. Legendum cenſeam *impoſturæ*, nam hoc crimen ſcelerati hominis fuit, quod aliter *ſtellionatus* dici ſolet. *Ulpianus*, Digg. Lib. XLVII. Tit. XX. l. 3. docet *ſtellionatum* obji-

* *Lib. III. c. XII*, 17. † *Ep. Lib. I. E. II.*

objici posse his, qui dolo quid fecerunt, & locum habere cùm in omni dolo, qui peculiari nomine caret, tum *si quis* IMPOSTURAM *fecerit, vel colluſionem in necem alterius.* Gloſſæ veteres: *Impoſtura, ſtellionatus*, ἡ ἐπίβεσις, ἡ χλεύη. Quamvis ea vox in antiquioribus non occurrat, inferiorem tamen eſſe Veſpaſiani ævo non exiſtimo; cùm verbum *imponere*, fallendi ſignificatu, non rarò in ejus & ſuperioris ætatis Scriptoribus legatur; nec dubium ſit, quin Juriſconſulti priſcas multas voces Latinas ſoli nobis ſervarint.

5. Sic deſcribuntur campi, in quibus commiſſum alterum cum Dario prælium: * *equitabilis & vaſta planicies, ne ſtirpes quidem & brevia virgulta operiunt ſolum, libérque proſpectus oculorum, etiam quæ procul receſſere, permittitur.* Nulla eſt conſtructio in his verbis, *etiam quæ procul receſſere.* Legendum ergò, *quà procul receſſere*, verbúmque hoc conjungendum cum nominativis *planicies* & *ſolum*, qui antecеſſerunt; aut legendum: *illorum etiam quæ procul receſſere.* Conjectura *Fr. Modii*, legentis *permetitur*, in quam inclinat *Freinshemius*, abſurda eſt. *Joannes* quidem *Schefferus* legit, *in quæ permittitur*; hoc eſt, permittitur proſpectus in ea quæ procul receſſere. Sed minore mutatione ſanari locus poteſt, ut oſtendimus.

6. Patron Græcorum dux, accuſaturus Beſſum & Nabarzanem, apud Darium, ut ſibi fidem faciat, ait ſe nihil ab ullo ſperare poſ-

* *Lib. IV. C. IX, 10.*

posse, præterquàm à Dario ; cùm Bactriani, aliíque præmia ab aliis possent exspectare : * *Amisimus*, inquit, *Græciam, nulla Bactra sunt nobis ; spes omnis in te, utinam & IN ceteris esset* ! Delendum posterius IN, nam optat Patron ut ceteræ copiæ Darii nullam spem nisi in eo haberent, futuræ quippe fideliores. Sic quidem mavult *Freinshemius*, *fert tamen & vulgatum* in ceteris, *quamquam multò languidior inde sensus exit.* Imò verò nullus, qui seriei orationis conveniat, nam Latinè nemo dicat : *utinam in ceteris omnis spes in te esset* ! IN delevit etiam, ut postea vidi, *Matth. Raderus.*

7. Cùm accusatus esset Philotas à Nicomacho, præsente Cratero, hic omnem lapidem movet, ut Alexandrum ad perdendum Philotam adducat, vetátque credere hunc veniâ mutari posse, tum addit : † *At ego, etiamsi ipse vel pœnitentiâ, vel beneficio tuo victus quiescere volet, patrem ejus Parmenionem tanti ducem exercitûs, & inveterata, apud milites tuos, auctoritate, haud multùm infra magnitudinis tuæ fastigium positum, scio non æquo animo salutem filii sui debiturum tibi. Quædam beneficia odimus, meruisse mortem confiteri pudet. Supereſt ut malit videri injuriam accepisse, quàm vitam.* Quibus dictis, quid hinc Alexandro colligendum esset his verbis significat: *Proinde scio tibi cum illis de salute esse pugnandum.* Legendum SCITO, nam hîc *scio* locum habere non potest, ut in su-

pe-

* *Lib. V. C. XI, 6.* † *Lib. VI. C. VIII, 7.*

perioribus. *Raderi* Editio habet *ſcias* in contextu, *ſcio* in margine, quæ eſt lectio MSS.

8. Hermolaus, cùm faſſus eſſet ſe in Alexandrum conſpiraſſe, mortémque propterea exſpectaret, ita orationem claudit: * *De cetero parce, quorum orbam ſenectutem ſuppliciis ne oneraveris.* Legendum *parentum*, non *parce quorum*. Aliæ conjecturæ duriores ſunt, & magis recedunt à ſcripturæ hujus veſtigiis, ut liquebit, ſi conſulatur Commentarius *Freinshemii*, vel adeantur Notæ *Joannis Schefferi*, ad hunc locum. *Raderus* habet *parce his, quorum.*

9. Hæc in *Curtio* emendanda nobis videbantur, quibus & alia nonnulla potuiſſemus addere; ſed, ſine auxilio MSS. Codicum, multa mutari poſſe non cenſemus. Itaque hîc judicio noſtro, de *Curtio*, finem imponemus; quod ſi per omnia non probaverint Critici, non mirabimur; nec ipſi, qui noſtris potiùs quàm alienis oculis credimus, ſolemus, omnia illorum probare.

* *Lib. VIII. c. VII*, 15.

III. Sectionis III. Partis Artis Criticæ

FINIS.

AOI 1466824

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google